51896/B

VSVS VESICANTIVM SALVBRIS ET NOXIVS, IN MORBORVM MEDELA, SOLIDIS ET CERTIS PRINCIPIIS SVPERSTRVCTVS,

A

BALTHASARE LVDOVICO TRALLES,

MEDICO VRATISL. SEREN. DVCIS SAXO-GOTHANI-CONSILIARIO ET ARCHIATRO, ACADEM. CAESAR. NAT. CVR. ADIVNCTO, ET ELECT. BOICAE SCIENTIARVM SOCIO.

SECTIO PRIOR.

VRATISLAVIAE,

SVMPTIBVS IOANNIS ERNESTI MEYERI.

MDCCLXXXII.

Forſten diſquiſitione medica de Cantharidibus in fine.

Non dubito, quin ſi vires huius remedii recte exploremus, vlteriore experientia, vſus eius ad morbos vtiliter poſſit adhiberi, inprimis forte tales, qui oriuntur ex paralytica neruorum affectione, in quibus maxime mihi intereſſe videtur, vt Cantharidum effectus a prudentibus Medicis debitis ſub cautelis explorentur. Longe tamen abſum vt putem, cum remedio adeo cauſtico, et merito inter venena relato, ſubleſta manu eſſe tractandum. Summa potius cum prudentia in eius exhibitione procedendum eſſe ſtatuo, et ſtrictiſſimas admonitiones lubenter admitto, quae ab honeſtis et prudentibus Medicis, circa Venenorum vſum, ſolent inculcari.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLVSTRISSIMO, MAGNIFICO

AC

GENEROSISSIMO

DOMINO

ANTONIO L. B. DE STÖRCK

AVGVSTISSIMO, IMPERATORI A CONSILIIS, ARCHIATRORVM COMITI, STVDII MEDICI CAESAREO-REG. PRAESIDI ET DIRECTORI; NOSOCOMII PAZMARIANI PHYSICO, SOCIET. FLORENT. ACADEM. SCIENTIAR. SIEN. ACADEM. PRINCIP. HASS. INSTITVTI BONON. ET ACADEM. NAT. CVR. cet. cet. MEMBRO.

VIRO
ARTE, HVMANITATE,
ET CANDORE INSIGNI,

HAS QVALESCVNQVE PAGELLAS, ET DEVOTA MENTE
SE IPSVM DICAT

BALTHAS. LVDOVIC. TRALLES.

Inter exactos vitae meae, ad finem vergentis, dies, quorum, donec ylla cogitandi facultate gauiſurus ſum, mihi dulcis et iucunda erit recordatio, illos praecipue numero, quos, fauſto ſub ſidere Viennae commoratus, abſumſi.

Quanta voluptate, viuidiſſimae imaginationis beneficio, mihi coram adhuc ſiſto praeſtantiſſimos et celeberrimos Viros, qui me, vltra omnem ſpem et exſpectationem, ad ſuam conſuetudinem ſumma beneuolentia admiſerunt.

Patere *Illuſtriſſime Störcki!* vt deuincto TIBI animo, TE primo nominem. TV poſtquam, ali-

quot lineolis ad TE miſſis, certior fueras redditus, me forte fortuna Vindobonae degere, ardenterque exoptare, vt, TE adeundi licentia impetrata, TIBI, digniſſimo *Immortalis Swietenii* ſucceſſori, fama nominis et editis operibus celeberrimo, reverentiam debitam teſtari mihi liceret; poſita quaſi illa auctoritate, quae ſplendidiſſimis muneribus, quae exornas, annexa eſt, me citus praeueniſti, atque in publico diuerſorio comiter conueniſti. Cum deinde TE decenter ſalutandi fine, aedes TVAS ingreſſus eſſem, vultu, quem TIBI benigna natura indulſit, ſereno et ingenuo, connataque humanitate me excepiſti; monetam argenteam, in memoriam *Magni* TVI *Anteceſſoris* cuſam, generoſa manu mihi dono obtuliſti; ad inſtruendum geniale conuiuium, me Ipſe inuitaſti, conuerſatione TVA amabili, per multas horas in ſpatioſis ambulacris amoeniſſimi horti Schoenbrunnenſis exhilaraſti; eius rariora mihi oſtendiſti; ad ſelectiſſimam TVAM bibliothecam duxiſti; atque tandem, de duraturo TVO fauore mira blandiloquentia me certum redditum, deque eodem obtento exultantem, dimiſiſti.

Imo

Imo vero, quod praecipuum eſt, eouſque extendiſti liberalem TVAM beneuolentiam, vt ad thronum *Auguſtiſſimae Imperatricis* vltro mihi aditum TVA commendatione paraſſes, niſi inuidendam hanc gratiam, quam ne quidem ſomniaſſem, deriuare in me iam laborauiſſet *Vir Eximius*, ex purpuratis, toti aulae, et omnibus bonis cariſſimus, nec ſine ſumma veneratione a me commemorandus.

Permitte igitur *Vir Illuſtriſſime!* vt omnia haec beneficia in me collata, quorum memoria gratae et TIBI deditiſſimae menti indelebilis haeret, publice referam, et collaudem, TIBIQVE pro iis, mea exſpectatione longe maioribus, maximas gratias perſoluam, atque me ad cineres TIBI obſtrictiſſimum palam profitear. Patiare porro, obſecro, vt poſt periculoſiſſimum morbum, qui pretioſae TVAE vitae praematurum interitum minabatur, ſingulari auxilio prouidentiae, quae TE ſublimem ſalutem *Auguſtiſſimae Domus Auſtriacae* tueri iuſſit, feliciter ſuperatum, reduci TIBI ad ardua TVA publica munera, inter nubem TVORVM cultorum, ſincerum *ſalue!* laetabundus acclamem.

Seruet

Seruet TE diuina omnipotentia ſagacem, potentem, et felicem morborum domitorem, atque ne ii de venerabili TVO capite, doloſam et clandeſtinam vindictam ſumant, valido clypeo ſuo tectum, TE muniat.

Sis non tantum ad intimiora almae Hygieae ſacra admiſſus, ſed et ad ſummum honoris culmen, quo adſcendere in orbe habitato medico datur, euectus, ad vltimum ſenium, coelitus TIBI infuſis viribus, artis ſalutaris decus; Studii medici, quod ſi vllibi, Viennae certe, TE Praeſide et Directore floret, et increſcit, fulcrum; Societatum litterariarum ornamentum; clientum TVORVM aſylum; honoratiſſimae familiae TVAE ſolatium, et delicium.

O quam vellem, vt inter viuos adhuc verſaretur, qui mihi coniunctiſſimus erat Beatus HAENIVS, cuius litteras bene multas elegantibus characteribus adeo beneuole et humaniter ad me tranſmiſſas, in pretioſam eius memoriam inter Cimelia aſſeruo. Sed exſtinctus eſt aterrima die, non ſolum celeberrimus in Vniuerſitate antiquiſſima Vindobonenſi Medicinae primarius Profeſſor; ſed communis cultiorum medicorum in diſſitis etiam regionibus prae-

praeceptor; aegrorum, ad eius conſilia certa fidu- cia confugientium, magnus Apollo, integerrimusque meus, et candidiſſimus amicus. Legeram per aliquot annos diligenter, relegeramque, multum Ipſi debens, vt alia opuſcula, ita et, vaſtiſſimam Eius, doctrinam et experientiam loquentem, *rationem medendi*, qua exercitatos etiam, et claros in arte practicos, morbos rite dignoſcere, diiudicare, et ſanare, docuit. Naſcebatur deinde inter nos variolarum inoculationem ſpectans, non mordax et fellea, ſed adeo blanda, vrbana, et lenis, controuerſia, vt cum *Habniana* et *Werlhofiana* in earum antiquitates inquirente, exemplo eſſe queat doctis viris, ſimplicem veritatem ſectantibus, non vanam gloriolam captare auentibus. Ab eo tempore, quod inhumano noſtro et ſatyrico ſeculo inter ſcriptores antagoniſtas, valde rarum eſt, me non tantum odio non proſecutus eſt, ſed, quod prorſus paradoxum haberi debet, me amauit, et impreſſis verbis declarauit publice, ſe amore fraterno, et amicitia perenni, in poſterum me coliturum. Id quidem, cum alio nomine mihi impoſito, antea ipſi non viſus, et quoad faciem et corporis formam

 igno-

ignotus, mercatorem Vratiſlauienſem ſimulans, ad eum accederem, de *Tralleſio* ſuo verba faciens, adeo abunde, adeo amabiliter, comprobauit, vt poſtquam laruam depoſuiſſem, in meos vix a lacrimis ſibi temperantis, et quisnam vere eſſem, diſerte eloquentis, amplexus, protinus rueret, omnemque animam meam ſuauiſſima voluptate perfunderet. O! quam ſaepe deinde, poſtquam non ſine anxietatis ſenſu, ipſi vltimum vale dixeram, Vratislauiae fruſtra optaui, ex fortunatis illis horis, quibus Eo comite bibliothecam Palatinam viſitaui; quibus ad diſputationem publicam inuitatus, non ſine innocente ſuperbia, Eo ita volente, ad latus Eius conſedi; quibus corona attentiſſimorum iuuenum cinctum publice morborum curationes, in noſocomio, ſolide explicantem audiui; quibus menſae Eius opiparae admotus ſum; quibus in egregio horto ſuburbano, ad intimam familiaritatem admiſſus, cum Eodem ſincere et amice confabulatus fui; ex fortunatis illis, inquam, horis, vel vnam, aut vnius quadrantem, reuocare liceret. Sed hae irreuocabiles tranſierunt omnes; perdidi eheu! nunc, fatum lugente Academia, lugente litterato orbe, il-

lum

lum ipſum; perdidi eius litterarium commercium, amiſi ſumme mihi honorificam Eius arctiſſimam amicitiam. Verum obuerſabitur oculis, donec alta nocte mergantur, imago, haerebit in corde ad vltimam ſyſtoles amaro-dulcis memoria viri, veritatis ſtudioſiſſimi, cuius fama numquam inter eruditos medicos interitura eſt, cui nunc ad beatas ſedes euocato, indefeſſorum laborum, ampliſſimorum meritorum, vitaeque, religioſe et laudabiliter actae, praemia diuina gratia decernit. TV *Illuſtriſſime Störcki!* doleas aduerſam meam ſortem, qui quod noui, vt praeceptorem olim TVVM, ſemper coluiſti *Haënium;* ſique TE tetigerit, quod ſpero, iuſtisſimus meus dolor, fac, obteſtor TE, vt per continuatam TVAM in me gratioſam beneuolentiam, grauiſſimam iacturam mitius patiar, et magis tranquille feram. Illam ſi mihi haud denegaueris, fauere mihi certius pergent praeſtantiſſimi et doctisſimi Viri, *Quarin, Collin, Jaquin, Crantzius, Leber*, et alii, quibus innoteſcendi me occaſionem habuiſſe, glorior, et laetor.

Nunc autem accipe leuem libellum, paruulum pignus, (namque maius non ad manus eſt) maxi-

mae venerationis, et obſeruantiae, quam meritis TVIS inſignibus debeo, qua ad vrnam TVVS eſſe ardeo, et amo. Pulchre intelligo, quae propoſui omnia, longe infra TVAM eximiam doctrinam, et locupletem experientiam eſſe poſita. Neque etiam medicis Viennenſibus, bene vſum et abuſum Veſicantium ab optimis magiſtris edoctis, ſcripſi. Probarentur, interim confido, mea aſſerta ſacris manibus *Boerhaauianis* et *Swietenianis*, quorum relicta dogmata ſecutus ſum, ſi ipſis cum miſeriis mortalium adhuc res eſſet. Erunt, credo, hinc inde practici, et inter noſtrates etiam nonnulli, qui monitis meis proficere poterunt, ſi voluerint. Ipſe ego correctionis patiens, et diſcere auidus, opuſculi non ſatis elucubrati, defectus, feſſo ſeni forte condonandos, agnoſcens, ſi a rectioribus peritiorum ſententiis me aberrauiſſe conuincar, meas deſeram, veritatique lubens cedam. Vale *Vir Magnifice!* cultoriſque magni TVI nominis perpetui, quoad ſpiritum traxerit, haud obliuiſcere. Scribebam Vratisl. die 15. Maii, MDCCLXXXII.

PRAE-

PRAEFATIO.

Conceperam animo ſpem, poſtquam ſolidis principiis vſum opii ſuperſtruxeram, ita quidem, vt eruditorum Medicorum calculum obtinuerim, nemoque mihi eapropter lites mouerit, me, eadem prorſus methodo, aliorum etiam, et generoſiorum praecipue pharmacorum adhibitionem, certiorem et ſecuriorem redditurum eſſe. Sed ars longa eſt, et vita breuis; ſenectuſque, quae ad huius terminum me propius adducit, ſpes longas inchoare vetat. Nolui tamen, dum mentis vires per DEI gratiam

illibatas adhuc ſentio, licet corporeae decreſcant, a praxi clinica, et conſultationibus vacuas ſubſeciuas horulas, quas impendere piis meditationibus aeternitatis candidatus praecipue debeo, ſine cogitatis, id ſtudium reſpicientibus, prorſus abſumere, cui iam per dimidium fere ſeculum me deſtinaui. Experimentum in arte periculoſum, iudicium difficile eſt, eoque magis ii medentum, qui diutius inter aegros verſati, ea omnia, quae attenta obſeruatione notarunt, et diiudicare ſciuerunt, cum nondum ſatis expertis, aut experiri incipientibus communicare, iudicio eorum adhuc ceſpitanti ſuccurrere, illoſque candide monere debent, ne experimenta per mortes et funera faciant. Nemo, qui in exercenda Medicina conſenuit, facile negauerit, nimis adhuc illam incertitudinibus laborare, toties illam tantum coniecturalem artem eſſe; atque valde exoptandam eius certitudinem maximopere impediri ab enormi illo, et e diametro ſibi oppoſito diſſenſu, in medendi methodo, remediorumque praeſcriptione, in hac, vel illa aegritudine, in hoc, vel illo ſubiecto. Dolui, vel ad aliorum curationes attendens, vel practicorum monumenta euoluens, horum, etiam circa vſum veſicantium, miram diſcordiam, eouſque extenſam, vt in eodem morborum genere modo ad caelum laudibus extollerentur, modo pro ancipitibus valde, quin et ſaepe nocentiſſimis declararentur. Infelix eſt Medici conditio, infelicior aegrorum, quando hic vnius auctoris vel praeceptoris ductui ſeſe permittit, atque non niſi de pane ſibi

et

et ſuis comparando ſollicitus, receptam communem methodum ſequens, ſine ſcientia et iudicio, ad Veſicatoria conuolat, aut plane eorum applicationem Chirurgi arbitrio, et conſilio relinquit. At et Medenti litterato, in lectione optimorum librorum ſufficienter verſato, ante lectulos decumbentium rite ratiocinanti, euentuſque morborum non ſoli caſui et fortunae committenti, aqua haerere debet, quando celeberrimorum virorum, ad repetitas ſuas experientias prouocantium, ſibi inuicem directe contrariantes, ſententias offendit. Vltro ergo perſpicitur, ad litem hanc dirimendam nudam experientiam inſufficientem eſſe, (quamquam ſine illa omnis medicina in inanes ſpeculationes abeat,) ſed cum eadem rationem arctiſſime coniungi debere; niſi enim hoc fiat, ſimplex et intemerata veritas numquam erui et ſtabiliri poterit. In huius vtriuſque decente coniunctione, ex quo Medicinam exercui, omne ſtudium meum poſui, omnia, quae legere potui, ſcrutatus, ſine auctoritatis praeiudicata opinione, aliquid etiam dans propriis meis obſeruationibus; ſicque certior redditus fui in arte. Quae igitur, circa vſum Veſicatoriorum ita me gerens, experientiae et rationi ſuffulta mea fecerim, ea in hoc opuſculo in commoda medentum candide expono. Perſpicua et clara dictione vſus ſum, de elegantia minus ſollicitus. Qui in allegatione Auctorum me nimis prolixum fuiſſe cauſaretur, non capit methodum, quam obſeruare debui. Producendae et inter ſe comparandae erant diuerſae ſententiae, tumque ex ſtabilitis

prin-

principiis, ab actione vera Veſicantium in corpus humanum depromptis, diiudicandum erat, quae verae ſint, quae falſae. Si in emolumentum publicum meam attentionem et diligentiam impenderim, opimum in me inde redundabit laboris praemium.

Haec ſcripſeram, libellum meum de vſu Veſicantium in febribus acutis, anno MDCCLXXVI. in publicum prodire faciens. Praeter ſpem meam ille non paucis Medicis, illisque, qui editum recenſebant, vna noua Bibliotheca germanica, quae Berolini prodit, excepta, placuit. Exemplaria impreſſa omnia vendita ſunt, atque Bibliopola nouam editionem vrget, quam tanto lubentius paro, cum libellus magno meo taedio multis vitiis typographicis adeo refertus ſit, vt non raro integer verborum ſenſus pereat, inſuper citata ex Auctoribus male ipſi textui inſerta ſunt, ita vt Lectorem morari et turbare neceſſario debeant. Hac occaſione omnem dictorum ordinem immutaui, titulum adeo alium operi praefixi, multaque adieci, quae in priori non habebantur. Dum autem quae olim ſcripſeram denuo peruoluo, et expendo attentus, nil offendo, quod reuocandum ducam; potius de aſſertorum meorum veritate indies per omne hoc tempus magis conuictus redditus fui. Nimis humiliter interea de mea auctoritate et exiſtimatione ſentio, quam vt credam, me abuſui in applicatione Veſicatoriorum fraenum inieciſſe. Conuictus potius ſum ſaepe praeter rem, praeter omnem neceſſitatem, et ſine omni matura deliberatione praeuia, eadem adhuc in vſum vocari.

Dantur

Dantur nempe Practici, qui ſemel recepto praeiudicio ſeducti res ſuas ſtrenue ſe geſſiſſe, et ab omni culpa ſeſe immunes praeſtitiſſe reputant, ſi aegrum ſuum diuerſa pharmacorum, ſaepe ſibi ipſis repugnantium farragine, liberaliter cibatum, etiam non ſine largorum veſicantium comitatu bona fortuna elabi videant, aut e viuis excedere ſinant. His ſaepe multa, ſed non multum facientibus, ſcripta et commendata velim aurea verba Illuſtris TISSOTI): *Omiſſa attentio*, inquit, *ad omnes veros effectus remediorum, Aegro praeſcriptorum, videtur mihi cauſa eſſe multitudinis errorum, qui quotidie committuntur in facienda Medicina, et a quibus tot mala emergunt. Quid eſt illud, quod in Aegro mutare debeo, qui mihi ſui curationem commiſit, quid aget, quid operabitur id, quod ipſi praeſcripturus ſum? En duas queſtiones! quas quilibet Medicus manum operi ſuo admoturus ſibi ipſi mouere deberet, cum tota Praxis medica circa eas verſetur, ad quas determinatam reſponſionem magis poſſibilem credo quam vulgo putatur.* (Adiicere mihi liceat quaeſtionem tertiam, an vere remedium meum reſpondet ſcopo, quem mihi praefigo? et ſi huic reſpondeat, an ſimul aliquid aliud efficiet, quod effectum nequaquam volo?) Pergit *Tiſſotus*: *Verum vltro, non ſine dolore profiteor, interrogari etiam poſſe: Quot ſunt Medici, qui has quaeſtiones ſibi proponunt? et quot ſunt, qui ad eas reſpondere norunt, ea rectitudine et certitudine, quae ad conuictionem requiritur, quod ad minimum nunquam noxas inferant. Sane*

ne hoc: NON NOCERE, *primarium Obiectum Medicinae eſſe debet.* a) Scripſerat nempe iam HIPPOCRATES, *duo obſervari oportere circa morbos, iuuare, et non nocere*, et alia occaſione, *Quae profuerunt, ob rectum vſum profuerunt, quae nocuerunt, ob id, quod non recte vſurpata ſint, nocuerunt.* Facile praeuideo, haec lecturos doctiores Veſicantium Patronos, mihi obiecturos fore: Scimus bene, et a longo tempore, quid eis velimus. Vires depreſſas ſtimulo excitare volumus; ſtagnantia liquida diſcutere, et mobilia reddere; humorum raptum a loco, in quem cum damno aegri is excurrit, cui periculum minatur, ad illum ignobiliorem, cui ſtimulans veſicatorium applicamus, determinatum et auerſum deſideramus. Laudo eorum bonam intentionem, at malam ſaepe inventionem taxo. Rogo ego eos, et obteſtor, vt legant et perpendant ſerio, quae huc apprime facientia ſcripſit Eruditiſſimus ALEXANDER THOMSON: b) *Veterum ſtimulorum vice vnicus hodie Medicinae ſuppetit, praeter cucurbitas, cantharidum vſus epiſpaſticus, quem illa Arabibus debet. Neque tamen in cantharidum vſu de ſtimulo ſaepe cogitant Medici, quin potius ſeri et ſanguinis deriuationem moliuntur et euacuationem, vnde peſſimo abuſu in quolibet morbi genere, et quauis aegrorum temperatura, quam primum de ſero a capite praeſertim eua-*

cuan-

a) *Traité de nerfs, Preface.*

b) *Diſſert. Medic. I. pag. 40.*

cuando ſuppetit indicium, deriuationem veſicantibus ex cantharidibus inſtituunt. Abuſum hunc prae reliquis, haud exiguo nominis ſui decore, et Medicinae emolumento, experimentis, et ratione mechanica detexit Baglivius. Coeterum haud magis conueniunt cantharides, omni ſtimuli indicationi, quam veratrum aut conuoluuli ſyriaci ſuccus vniuerſo congruunt purgandi ſcopo. Quemadmodum enim cuilibet indiſcriminatim morbo, aut aegri temperaturae, vbi purgandum eſt, non conuenit helleborus, et ſcammonium, ita ſaepe licet ſtimulo opus ſit, etiam externo, prae ignea et corroſiua cantharidum indole anceps nimis eſt huiusmodi ſtimuli vſus, vt omnino pudeat vagam Medicinam inter tot numero infinita indies detecta et detegenda medicamina de ſuo errore gloriabundam fluctuare, non niſi vna ſtimuli ſpecie fretam, cum pluribus indigeat. Si haec non ſufficiant, neſcio quo indomito affectu in Veſicatoria ruentibus tot Practicis, precor adhuc, vt ſeria penſitatione digna habeant, que tradit HOFFMANNVS.[c]) *Non ſemper opus eſt iis quae veſicas eliciunt, ſed ſaepe ſufficiunt topica, ex paulo acrioribus parata, et lenius ſtimulantia, imprimis ſi locis, in quibus acutior ſenſus eſt, vt nuctae, carpis manuum, et plantis pedum applicentur. Celebrantur haec paſſim phoenigmorum, rubefacientium, ſinapismorum, epiſpaſticorum et attrahentium nomine, et a veſicantibus gradu ſaltem differunt, haud*

 ſecus

c) *Diſſ. de Veſicatoriorum in Medicina vſu §. 22.*

ſecus, ac laxantia a purgantibus, diaphoretica a ſudoriferis, errhina a ſternutatoriis, longe tamen ſecuriorem his praeſtant effectum. Struant mihi haec Sapientiſſimorum Virorum effata murum aheneum, contra illos, qui nimis rigide me cum Veſicantibus egiſſe forte contendent. Sat multa ſcripta legi per hos quinquaginta annos, quibus non mediocrem, non omnino infelicem Praxin exercui. Sat attentus fui, ad proprias, et aliorum methodos, harumque effectus. Omnia ſcrutatus ſum, quod bonum inueni, imitatus ſum, et retinui, ſiniſtrum, ſtudioſe conatus ſum euitare. Veritatem amabo ad vrnam, eaque quae vera expertus ſum, publice fateri, et defendere haud erubeſcam. Forte ſincera mea monita vſu non carebunt. Vtinam Vitae et Sanitati Proximi inſeruiant. Scribebam Vratislauiae die 15 Maji. MDCCLXXXII.

---

§. I.

§. I.

Inter Generoſa Remedia Veſicantia referri debere, nemo facile inficiabitur, qui vltra balneatorum in anguſtas cogitationes damnatorum, Chirurgorumque inferioris ſortis prudentiam euectus, eorum indolem, et verum agendi modum introſpexerit. Quo magis autem huius ſcientia aliquis pollet, eo magis et morbi naturam, et tempus, et aegri conſtitutionem, antea maturo conſilio expendet, et trutinabit, quam ad eorum applicationem conuolabit velox, quod et a peritioribus interdum fieri, et miror, et doleo. In Praxi triuiali minimum, facile et ſine magna deliberatione ad veſicantia veniri ſolet, tantoque certius, quando multis aegris, aut mederi abſolute volens, et ardens, aut iuſſus et legitime vocatus artifex, tempore ſufficiente deſtituitur, ad omnes circumſtantias examinandas, vel ad earum examen et notitiam, ob iudicii egeſtatem impar habetur. Non ſatis inculcari poteſt ſapientiſſimum BOERHAAVII effatum: *Nullum dari remedium, niſi vſu tempeſtiuo tale fiat* [a]) huncque certe, etiam Veſicatoriorum reſpectu, in omnium morborum tractatione, ex veris principiis exacte determinare, operae pretium eſt, quia vel proſunt, vel valde nocere poſſunt.

Veſicatoria ad Generoſa remedia pertinentia poſtulant vſum prudentem.

a) *in praefatione ad aphoriſmos.*

ſunt. Ad principia haec dum non attenditur, et morbo cuivis ſua eſſe propria remedia abſolutae virtutis frigide reputatur, actione veſicantium immediata in corpus, quae ſibi quidem ſemper ſimilis eſt, attamen pro huius conditionibus nunc praeſentibus, diuerſos effectus producere poteſt, inſuper habita, et minus vt decebat conſiderata, grauiter omnino in aegrorum ſalutem peccatur. Quid in communi Praxi magis obuium eſt, quam vix viſo apoplectico, ſubito et indiſcriminatim recurrere ad veſicatoria, eaque larga et multa, nuchae, brachiis, ſuris, apponere, vt nempe alto ſomno ſopitus excitetur, aut partes inſultu ſuperato paralyticae remanentes validiſſimis ſtimulis ad motus ſuos deperditos, iterum ſubeundos agitentur, incitentur, et ex intentione Artificis cogantur. Nonne decebat antea diiudicare aegri temperiem, ſolidorum et fluidorum indolem, aetatem, vitae genus, et inquirere ſedulo in veram cauſam, ſubitaneam motuum voluntariorum et ſenſuum impotentiam inferentem, quae ſemper quidem in encephalo latitat, et preſſu ſuo in cerebri medullam, et neruos inde egredientes triſtes ſuos effectus patrat, ſed non ſemper eadem et ſibi ſimilis eſt, adeoque etiam eadem remedia expoſcere nequit. Quod de Apoplexia valet, de multis aliis morbis, in quibus veſicatoria communiter adhiberi ſolent, valet eadem ratione. Non ſufficit Medicum bonum effectum iis intendere, et venturum ſibi imaginari; neque ſufficit ſciuiſſe, per communem Practicorum agendi rationem ita agendum eſſe; non ſufficit, huius vel illius Autoris famam adepti auctoritate, et conſilio in hac vel illa aegritudine illa commendari; ſed ſciri ante omnia debet, an eius ingenio cognito, cauſae morbificae remouendae vere conueniant, an minus. Dum in Epilepſiae medela de Opio agens illos, qui id nimis liberaliter commendarunt *Paracelſum*, *Sennertum*, *Wedelium* aliosque notat Cel. TISSOT, [b]) et *Scardonam* ab vſu dehortantem laudat, facilem operam futuram dicit, conſcribendi eheu! ſpiſſum Volumen *de periculo-*

b) *de Epilepſia pag. 285. edit. germ.*

ſis

ſis erroribus magnorum Virorum. An huic inſeri poſſent Nomina celebria etiam quorundam Medicorum, circa veſicantium ſecuram adhibitionem errantium? Doctiſſimi quique et expertiſſimi, nonnunquam in deliciis habere incipiunt aliquod remedium, ſuumque faciunt, atque ſi vel dextra adhibitione, vel caſu ab aliis forte ſimul vſurpatis correctum, aliquot vicibus iuuamen attuliſſe viſum fuerit, id etiam non indicatum porro in vſum vocare amant, nil niſi meras virtutes eius in animo habentes, et vitia penitus praeteruidentes, quin et in oculos incurrentia, aliis morbi et regiminis circumſtantiis attribuentes. Non paruus eſt numerus Medicinam exercentium, qui Venae ſectionem, purgantia draſtica, opium, corticem peruuianum, ferrum, aquam frigidam, remedia ex antimonio fortiora, vel mitiora, aſam foetidam, moſchum, ab aliquo tempore guaiacum, tanto amoris aeſtro proſequuntur, vt ſine hoc vel illo, ex hoc catalogo remedio, eſſe nolint, ſed id in caſibus quoad cauſas ſibi prorſus oppoſitis, nihilominus tanquam vniuerſale praeſcribant. Edere inceperat Vir ſummus, inque artis incrementa natus Ill. WERLHOFIVS *cautiones medicas de limitandis laudibus et vituperiis morborum et remediorum,* has continuari a Viris ſatis doctis et peritis exoptarem. Secundum hanc normam, etiam intra iuſtos limites, defectu et exceſſu vſus perinde euitato, redacta vellem veſicantia, ne vnquam omittendo, et committendo iis peccaretur. Hos limites autem in variis morbis arctiores futuros crediderim, ſi rigoroſiori examini ea ſubiicerentur, experientia et ratione ſimul in ſubſidium vocatis. Si Opium dolori ſedando dicatum ab artifice, hunc leniret, et in corporis Oeconomia, dum hunc ſedat, nil mutaret, facilis eius, et ſemper felix foret adhibitio. Si veſicantia nil efficerent aliud, quam vt ex intentione Medici, in locum cui admouentur, humorum affluxum irritando allicerent, atque ab alio reuellerent, et praeter hunc effectum in ſolidis et fluidis motum et craſin non immutarent, et turbarent, ſaepius

pius multo, ac fieri poteſt, et debet, in vſum trahi poſſent. Sed hoc aliud, quod non cogitante et volente Medico, certiſſime patrant, maiorem practici iudicii aciem requirit, quam vulgo creditur, vt introſpiciatur et praeuideatur. Hoc aliud prudenter expendi debet, an veris indicationibus therapeuticis reſpondeat, aut iis potius contrarietur, ſuſpenſamque manum applicantis velit.

§. II.

Nondum eorum vſus a Medicis ſufficienter determinatus.

Monet Celeb. FREIND, qui ipſe, non obſtante ſumma ſua Eruditione, hoc aliud forte non ſemper ex aequo ponderavit, qua vi, quo demum modo cantharides humores attingant, aut commoueant, neminem adhuc ſatis explicauiſſe, quid in cute efficiant, ita omnium oculis expoſitum eſſe, vt Medicinae ſcriptores ad hoc vnum attendere videantur. [a]) Et alibi [b]) Medicorum diligentiam deſiderat, vt luce aliqua eruta, accurata de veſicantibus in diuturnis affectibus praecepta tradantur, quae et perſpicuitatem habeant, et quaſdam errare in medendo non patientes leges. Ego ipſe aliquando in votis habui, vt aliquis medentum eadem methodo, qua Opii vſum ſalubrem et noxium, ex ſolidis principiis adſtruere laboraui, Veſicatoriorum vſum et abuſum in commoda Praxeos cultioris adſtrueret [c]). Atque antequam hoc votum meum legiſſet Cel. CLOSSIVS, vt ipſe refert [d]) multa experimenta in ſuo, aliorum hominum, et brutorum corpore facta conſignare, laudesque et vituperia Veſicantium ex Auctoribus colligere incepit, laborem hunc ad finem perductum iri ſperans: Sed eheu nondum in publicum prodiit. Fatetur interea [e]) vere ſcripſiſſe Cel. TISSOTVM, obſcure hucuſque dictam eſſe veſicantium actionem. Quid igitur mirum eſt, CLOSSIVS ait, quod de vſu et abuſu illorum, tantus regnet inter eruditos diſſenſus, eademque in iisdem morbis, laudentur ab his, culpentur ab illis. Quodſi enim ad liquidum perducta eſſet illorum actio, ſemper accurate et vere determinare liceret, vtrum in

a) *in Comment. de febribus IX. p. 60 edit. operum pariſ.*
b) *pag. 62.*
c) *in Epiſtola ad Cl. Sulzerum de methodo medendi Variolis hactenus cognita, ſaepe inſufficiente §. 19.*
d) *in noua methodo medendi Variolis p. 25. 26.*
e) *p. 25.*

in hoc illoue morbo, prodeſſent, an obeſſent: Cum inter varios Autores, qui cum *Bagliuo* de Veſicantibus ſcripſerunt, tamen nemo mihi innotuiſſet, qui ex inſtituto ita hoc argumentum pertractaſſet, vt vſus et abuſus eorum euidentibus et certis principiis ſuperſtructus exhiberetur, ipſe ante paucos annos libellum *de vſu Veſicantium in febribus accuratius determinando*, elucubrandum ſuſcipiebam. Credebam quippe, Medicinam non deſtitui ſufficientibus experientiis, et experimentis, actionem veram et immediatam cantharidum, in corpus humanum, mutationesque quas illa huic infert, ſatis clare et aperte commonſtrantibus, ſi ſaltem ad eas rite attendere, eas in noſtrum vſum conuertere, et non niſi ex illis cognitis, amore et odio perinde ſepoſito, vſum et abuſum ſtabilire voluerimus. Feci periculum, ſed tum, cum iam ſub praelo ſudaret, et fere totum iam impreſſum eſſet meum opuſculum, demum incidebat in manus meas, eruditiſſima et elegantiſſima recensque edita diſquiſitio medica, cantharidum hiſtoriam naturalem, chemicam, et medicam exhibens. Auctore *Rudolpho* FORSTEN Argent. 1776. Indicaui hoc in appendice mei libelli, in quo, gauiſus de conſenſu Eximii Viri, cum plurimis meis cogitatis, aliquot annotationes adieci. Iam, dum idem argumentum antea pertractatum plenius perficere et magis extendere aggredior, non intermittam ex egregio Clariſſimi Viri tractatu mea facere, quae ad illuſtrationem et confirmationem aſſertorum meorum facere poſſe credo, ſimul, vbi recedendi pauliſper ab eius ſententiis neceſſitatem mihi impoſitam videbo, rationes ſufficientes placide et humaniter indicaturus.

§. III.

Hiſtoria vſus cantharidum in Medicina.

Vſum Cantharidum internum cognitum habuit HIPPOCRATES. Potionem hydropicam proponit [a]) ſic praeparandam: Cantharidas tres detracto capite vnius cuiusque, et pedibus et alis, corpora videlicet ipſarum, in tribus aquae cyathis

a) *de Victu acutorum* §. 66.

this terito. Porro peſſo eas admiſcendas eſſe, pro irritando vtero, legitur in libello *de ſuperſoetatione*. Quanquam autem non deſint, qui eum pro genuino foetu Hippocratis agnoſcant, tamen cum Ill. HALLERO, et aliis, ante paucos annos Cel. GRVNERVS Prof. Ienenſis [b]) illum inter ſuppoſititios locauit, Galeno aliter ſentiente. In libro de *morbis Mulierum* habetur locus, [c]) qui cantharides tritas, vinoque ſubactas tanquam purgamentum vteri ſubdere iubet, ſed et hic liber primus, vt ſecundus, inter ſpurios refertur. Vſum externum *Hippocratem* prorſus latuiſſe confidenter aſſerit FREIND [d]), notatus a Cl. FORSTEN [e]) qui Patri Artis hanc notitiam aſſerere conatur, concedere tamen cogitur, ipſum cantharides veſicas excitandi fine, ſiue vt veſicatorium emplaſtrum, nunquam adhibuiſſe. GALENVS emplaſtrorum ex his muſcis meminit, pro ſananda ſcabie et impetigine [f]), ſed ſcripta eius paſſim probant, ipſum hoc remedium fere neglexiſſe, atque vt in vſum vocaretur, nimis periculoſum habuiſſe. Graeci Medici deinde, fideles *Galeni* Sectatores, omnes eius veſtigiis inſiſtentes fere eodem modo ſe geſſerunt, quanquam externam applicationem non ignorarent. ARETAEVS [g]) in ſanando Morbo comitiali valere capitis ad ruborem frictiones dicit, et poſt vſitatas a ſe traditas, valentiorem eſſe, quae fit per cantharides. AETIVS [h]) cantharidum meminit ad extrahendos ſcabros vngues, ſi aliis remediis admiſceantur. Miſceri etiam refert aliis erodentibus compoſitionibus excoriatoriis leproſorum, addi etiam pharmacis vrinam cientibus, pauca quantitate. TRALLIANVS [i]) de ſinapismis et dropacibus praecipue agens, etiam vſus medicamenti cantharidum mentionem iniicit. PAVLVS AEGINETA [k]) ad ſcabioſos vngues cum cerato, et clauos eas commendat, erodere enim, et vrere dicit.

Inter Latinos Princeps eorum CELSVS de cantharidibus veſicante ſcopo admouendis prorſus tacet, licet toties ſinapismos collaudauerit ad papulas detergendas, et carnem putrem

b) *in Cenſura ſcript. Hippocr.*
c) *lib. I. §. 108.*
d) *Comment. IX. de Veſic.*
e) *pag. 98.*
f) *de ſimpl. Med. facult. lib. III. c. 18. et 44.*
g) *diuturn. morb. Curat. lib. I. c. 4*
h) *Tetrabibl. I. ſerm. II. c. 74.*
i) *lib. X. et XI.*
k) *lib. VII. lit. k.*

trem leniter exedendam, eas ſuadet [l]). Arabes in ſuis monumentis, vt in aliis, ita et quoad cantharides a *Galeni* Graecorumque omnium praeceptis vix vnquam receſſerunt. Habet MESUE vnguentum, quod cantharides ingrediuntur, an iis *Avicenna* et *Albucaſis* vſi ſint, inquirere nil attinet. Paucis dicam, omnia Veterum opera peruoluentes, vſum cantharidum externe adhibitarum rariſſime inueniemus; iis etiam in morbis, in quibus recentiores indiſcriminatim ad veſicatoria confugiunt, illi non niſi ſinapismis vtebantur. In elegantiſſimis libris tribus NICOLAI PISONIS *de cognoſcendis et curandis morbis,* in quibus dogmata Graecorum, Romanorum, Arabum, et inſtauratis diſciplinis optimorum Scriptorum ad Seculi XVI. dimidium collecta habentur, non niſi vnum locum offendi, veſicatoria commendantem, nempe lib. I. c. 19. in morbo comitiali per conſenſum aliarum partium, parti imponenda, vnde aura virulenta emanat, vt virus extrahatur.

Proximiore nobis tempore FERNELIVS, [m]) qui in coecitate et hydrope cantharides externe admiſit, ſumma tamen cautione iis vtendum eſſe, in arte, praecipit. HOLLERIVS de pyroticis in genere loquens ad lethargum, dolorem coxarum, podagram, hemicraniam, et multa mala inueterata cantharides in phoenigmis vtiles dicit, attamen, quod mirandum eſt, alibi, et in inſtitutionibus chirurgicis, nil peculiare de earum virtute habet. Adeo ſub initium Seculi XVI. et eo decurrente, Medici clariſſimi a laudibus Veſicatoriorum et eorum frequenti vſu longe abfuerunt. SENNERTVS noſter [n]) in peſte, pro extrahendo veneno, bubonibus applicanda veſicatoria ſuadet, monens ſimul, de hac materia apud quosdam eſſe altum ſilentium, aut de adhibitione grauiſſimas controuerſias. Ipſe tamen in febribus malignis ea laudat [o]) ad experientiam prouocans, quia materiam a capite, et ab interioribus ad externa ignobiliora determinant. Coeteroquin autem in vaſtis eius Operibus fere nulla veſicatoriorum mentio occurrit, eaque

l) *de Medicina lib. X. c. 8.*

m) *Conſ. 12. et 34.*

n) *de febribus p. 474.*

o) *l. c. p. 505.*

propter non bene capio, quomodo Optimus Vir ea ſexcenties applicaſſe, et nullas exinde noxas in veſicam redundantes, nullum mictum ſanguinis ſe ab iis obſeruaſſe, ſcribere potuerit. ETTMVLLERVS [p]) certe ambigit, et fere neſcit, an commendare ea debeat, an non, metum ſuum diffiteri nequit. Igitur Veſicatoria Italis potius relinquenda eſſe, quam in Germania adhibenda exiſtimat. In Italia, in qua vt in Hiſpania, Gallia, aliisque regionibus calidioribus, indigenae hae muſcae ſunt vere, cum peſtis Patauii anno 1575 et 1576 acerbiſſime ſaeuiret, Veſicatoria primo in frequentiorem vſum tracta ſunt, et ab HIERONYMO MERCVRIALI paſſim multis elogiis commendata, quae paulo ante eum nonnulli, licet rarius, iam adhibuerant, cum eo autem, et poſt eum, deinde non pauci morborum curationi adaptabant. Acris poſtmodum circa haec tempora de hoc argumento inter *Alexandrum Maſſariam* et *Herculem Saxoniam* controuerſia exorta eſt, dum ille contra ea alta voce declamabat, hic vero ea adhibebat et ſtrenue propugnabat. Apud Gallos RIVERIVS [q]) in febre peſtilenti non vnum, ſed multa ſimul veſicatoria commendauit. Ab illo tempore vſus magis increbuit, et variis morbis ſanandis par fuit habitus, et accommodatus, licet HELMONTIVS [r]) ea ſemper ſtulta ſubſidia et ſumme nociua eſſe, atque a ſpiritu nequam Moloch excogitata clamauiſſet.

p) *Comment. in Schroederum.*

q) *Prax. Med. lib. XVI. pag. 455.*

r) *in tractatu, doctrina febrium inaudita.*

§. IV.

Cantharides ab omni aeuo, ad hunc diem, inter venena relatae.

Quod vero adeo diu, per tot ſeculorum decurſum tot peritiſſimi Viri cantharides reformidauerint, nemo facile mirabitur, qui ſciuerit, ab omni aeuo, ad noſtrum vſque, easdem veris venenis annumeratas fuiſſe. Antiquiſſimus materiae medicinalis ſcriptor DIOSCORIDES libri ſexti de Venenis agentis caput primum cantharidibus deſtinat, a quibus interne aſſumtis oriunda grauiſſima ſymptomata recenſet. AETIVS [a]) ex animalibus ſcribit *exitioſa et lethalia, et corrumpentia ſunt cantharides, bupreſtis, ſalamandra* etc. Ab iis aſſumtis periit

a) *Tetrab. III. ſerm. I. c. 45.*

Caius;

Caius [b]); A potione cantharidum in viuis eſſe deſiit *Coſſinus* Eques romanus [c]). Omnes Veteres graeci et latini, de venenis tractantes inter ea retulerunt cantharides, et ſolerter ſimul de earum antidotis egerunt. PAVLVS AEGINETA de venenis agens, et quomodo ipſis obuiam eundum ſit, cantharidibus integrum caput deſtinat [d]). ACTVARIVS eas refert inter medicamenta exitialia [e]). SCRIBONIVS LARGVS poſt Salamandram, et aconitum, in claſſe venenorum habet cantharides [f]). Apud CELSVM etiam, in indice venenorum illae habentur [g]). Galenum ſequentes omnes Arabes ab iis deguſtandis ſerio dehortantur. Eadem haec ſententia haeſit animis medentum ſequentibus Seculis ad noſtra vſque tempora. MERCVRIALIS [h]) laudat veſicantia in febribus malignis, nihilominus tamen cantharides vocat venenum lethaliſſimum, non ſaltem quia arrodunt veſicam, ſed et ob inſitam peculiarem corpori humano hoſtilem qualitatem. Corroſiuum cantharidum venenum accuſat HELMONTIVS [i]). Cel. HOFFMANNVS aſſerere non dubitat eam illarum eſſe indolem, vt inter formalia venena referri mereantur [k]) iisque in catalogo medicamentorum virulentam naturam referentium, primum locum aſſignat [l]). Venenorum heteroclitorum toti vitae aduerſorum catalogum exhibiturus BOERHAAVIVS [m]) ante araneam, tarantulam, aſpidem, viperam, ceraſten etc. primo nominat Cantharides. In praelectionibus ſuis [n]) miratur, earum ſal volatile homini venenum exiſtens, teneriori animalculo, quod id in ſe gerit, innoxium eſſe. Et alibi [o]) cantharides venenum ſpirituoſiſſimum in ſe continere dicit. Magnus earum Encomiaſtes FRICCIVS [p]) vſui earum interno et externo fauens, licet ipſis virtutes medicas adſcribat, tamen eas numerat inter venena. RAMAZZINI [q]) ſubſtantiis venenoſis eas adiicit. TRILLERVS [r]) *nemo quod ſciam*, ait *venenoſarum cantharidum internum vſum impune tulit.* CARTHEVSER [s]) minimum interne ſumtas, pro veneno cauſtico declarat. Sed VALISNERIVS [t]) et IANVS PLANCVS [u]) inſecta haec etiam in veſican-

b) *Cicero lib. IX. epiſt. 21. ad Paetum.*
c) *Plinius ſecundus lib. 29. c. 4.*
d) *de re medica lib. V. c. 30.*
e) *lib. V. c. 12.*
f) *c. 57.*
g) *lib. V. c. 27.*
h) *Med. Pr. lib. III. c. 29.*
i) *de lithiaſi c. V. §. 17.*
k) *diſſ. de Veſic. §. 1.*
l) *Med. Syſt. Tom. II. p. 288.*
m) *in inſtit. §. 1144.*
n) *ad citatum §um.*
o) *de morbis neruorum p. 211.*
p) *de Virtute venenorum medica.*
q) *de morbis artificum c. 12.*
r) *diſp. pharm. vniu. Tom. II. p. 279.*
s) *mat. med. Tom. I. p. 426.*
t) *operum Tom. III.*
u) *diſſ. de Veſicantibus.*

x) *Mat. med. Tom. III. p. 91.*

y) *Hiſt. mat. med. p. 340.*

z) *in fine disquiſitionis de cantharidibus.*

veſicantibus venenoſa habent. CRANTZIVS [x]) Venenorum heteroclitorum animalium claſſi ea inſeruit omniumque temporum medicis ea ſuſpecta eſſe ſcribit, multorum morte notata. VOGEL [y]) *Toti inſecto* ait *vis acris et vrens ineſt, qua vbi aut intus ſumitur, aut cuti applicatur, corpori alienum fieri poteſt, hinc venenorum claſſi adſcriptum fuit.* Cl. FORSTEN, certe in cantharides non iniurius, hoc remedium cauſticum merito inter venena relatum eſſe fatetur [z]).

§. V.

et recte, habent enim omnes characteres venenorum in genere.

Vt autem nemo illorum Practicorum, qui nimio affectu in cantharides feruntur, et neſcio quam earum innocentiam ſibi imaginantur, immerito eas odioſo hoc veneni titulo inſigniri queratur, ſummo ſtudio inquirendum eſt, quid vere inter corpora naturalia, et arte facta, venenum vocetur, quidque ad huius naturam et eſſentiam vere pertineat. Tum enim, vt Scholae loquuntur, illi rei cui competit definitio, competere etiam definitum debere, aperte patebit. Mirum eſt, in nonnullis doctorum Virorum commentariis, quos de Venenis ediderunt, vel nullam, vel inſufficientem veneni definitionem legi. Communiter omne id hac voce comprehendi reputatur, quod corpori humano ingeſtum et applicatum magna incommoda ingentesque dolores ita infert, vt vita vel in ſummo periculo verſetur, vel et prorſus extinguatur. Attamen hic conceptus nondum veneni ideam et naturam exhaurit. Ill. BOERHAAVIVS [a]) venenum vocat omne id, quod ingeſtum vel applicatum corpori, talem in corpore mutationem excitat, quae per ipſam eam mutationem non ſuperatur, medicamentum autem, in eo differre dicit, quod ipſa, quam facit, mutatio in ſanitatem tendat, venenum vero corpus mutet, vt ex ſano aegrum fiat aut cadauer. Exemplum addit: vitrum antimonii parua doſi datum purgat ſurſum et deorſum, et aegrum reſtituit, eſt medicamentum; idem nimia copia exhibitum occidere

a) *Prael. in in inſt. Tom. VI. p. 379. ad ſum. 119.*

ciđere poteſt, vomitu tanto, vt non niſi morte finiatur. Monuit autem non ſine ratione Cl. SPROEGEL [b]), neminem hanc definitionem pro bona habere poſſe, qui conſiderauerit, quod hac ratione medicamentum a veneno non differret, niſi in eo, quod in minori doſi corpori proſit, in maiori noceat; porro quod doſes verorum venenorum dentur, quae a viribus vitae ſuperari queant, alias autem, quae non ſuperantur; quodque in priori caſu illa remedia, in altero autem venena futura eſſent. Omnium optime citra controuerſiam Ill. HOFFMANNVS [c]) naturam veram venenorum docuit. *Alit Natura* inquit *res, quae exigua mole et ſumma partium tenuitate breui tempore concentum atque ordinem motuum vitalium peruertunt, vel plane deſtruunt et hae vocantur venena.* Horum autem ſic deſcriptorum venenorum tres notas eſſentiales ponit, quibus ab aliis rebus exitialibus et humanae naturae inimicis diſcernantur.

b) *in diſſertatione, quae experimenta circa varia venena habet, Göttingae habita.*

c) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. 2. p. 173.*

Prima eſt, *quod ſumma partium tenuitate, adeoque minima mole agant, in corpus.*

Hoc ipſum etiam MEAD [d]) ad eſſentiam veneni requirit; nempe venena vocat eas res, quas experientia docuit, aut natura ſua tota, aut qualitatibus ſuis potiſſimis adeo animalium vitae eſſe inimica, vt parua copia ei deſtruendae ſufficiant, ſiue noceant per os ſumta, ſiue extrinſecus per vulnus corpori communicata. Minutiſſima certe quantitate agit venenum quod ictus et morſus animalium venenoſorum corpori inferunt, tum et arſenicum, cobaltum vitrumque antimonii, mercurius ſublimatus ipſumque Opium, et tamen minutiſſima quantitas haec non tota venenum eſt, ſed tantum ſpirituoſiſſima pars, quam illa minutiſſima quantitas, quae vehiculum illius eſt, continet. Eapropter BOERHAAVIVS [e]) *corpus venenatum* inquit, *non totum venenum eſt, ſed eius ſpirituoſiſſima pars tantum veneni naturam in ſe gerit. Eſt in mercurio ſublimato*

d) *de Venenis init.*

e) *in Praelect. ad inſtit. §. 1121.*

et

et arſenico vapor, quo ſublato, arſenici pars reliqua innoxium corpus eſt.

Secunda nota venenorum eſt, *quod breui tempore partium ſolidarum ac fluidarum motus ordinatos, et proportionatos in vniuerſo corpore peruertant, ac grauiſſima ſymptomata vel mortem ipſam inducant.*

Hae ſequelae verorum venenorum, breui ab ingeſtione, vel externa applicatione euenientes, per conſtantem experientiam, ſemper obſeruatae ſunt in omnibus ſic dictis venenis acutis. Lenta venena quamuis non ſtatim necent, ſemper tamen ſtatim hoſtilem ſuam fluidis et ſolidis corporis indolem commonſtrant, per certa phoenomena euenientia.

Tertia nota eſt, *quod in fluidum tenuiſſimum et partes maxime neruoſas vim ac violentiam ſuam exerceant.*

Hoc ipſum quoque aſſerit MEAD, qui eadem neruos et eorum fluidum primo affici, deinde totam ſanguinis humorumque maſſam, fuſe demonſtrat. Truculentus effectus, quo ſaepe omnes functiones corporeae, veneno hauſto, ſubito turbantur, de parte aliqua neruorum primo quidem affecta, ſed vitio toti neruoſo ſyſtemati communicato teſtatur.

§. VI.

Fallitur Cl. Aepli, qui veneni nomen cantharidibus libenter ademptum vellet.

Haec cum ita ſint, facile conſtabit falli Cl. AEPLI [a]), quem non vt antagoniſtam meum conſidero, ſed ob inſignem doctrinam et morum elegantiam, vt filium meum aeſtimo et amo. Libenter optimus Vir, ex affectu ſuo in cantharides, ipſis deterſam hanc maculam vellet, quod ad venenorum claſſem pertineant, atque eapropter ſcribit, omnia remedia certo reſpectu eſſe venena, per abuſum, et adhibitionem minus iuſto tempore fientem, hocque exemplo vini, opii, emeticorum, purgantium, ſudoriferorum, perperam repetitarum venaeſectionum in febribus malignis, euincere conatur. Opponam his magna fiducia verba Hoffmanniana [b]): *Inueniuntur*

a) *Prüfung der ſpaniſchen Fliege im böſsartigen Fieber, Zürch 1777. p. 16.*

b) *l. c.*

niuntur in ampliſſimo naturae regno plura, quae breui tempore nocent et perimunt, vt aqua frigida corpori ſudore diffluenti immoderatius ſuperingeſta, frigus acerrimum, largiter aſſumtus ſpiritus vini, aut mineralis acidus, vt et oleum vitrioli, quae tamen proprie, et commode venenorum claſſi annumerari nequeunt, quoniam praecipui characteres ac proprietates venenorum deficiunt. Harum notarum characteriſticarum Cl. *Aepli* obliuiſcitur. Nocet et perimit vinum, ſed non aliquot guttulis, verum multis menſuris ſimul epotis, aut per longius tempus integris amphoris, idem valet de ſpiritu vini. Opium pauciſſimis vtique granis nocere et interimere poteſt, et non adſuetis debilibusque vnico granulo nocere, attamen in minutis his doſibus minutiſſimae illae partes volatiles tantum verum venenum ſunt, quae per coctionem abiguntur, ita vt iis abactis opium larga copia deuorari queat, poſtquam vix ſenſibilem ponderis ſui iacturam fecit. Ipſe agnoſcit *Aepli*, nimiam doſin tartari emetici cauſari vomitum cruentum, conuulſiones, gangraenam et mortem, ſed quae doſis eſt nimia? duo vel tria grana in ſenſibilibus enormes et mortiferos motus interdum cauſantur, quos a paruula hac, vt videtur, doſi nemo expectaſſet. Aſſerit alio loco Cl. *Aepli*, neminem Medicorum eapropter claſſi venenorum inſeruiſſe emetica, et purgantia, quod aliquando nocuerint. Sed in memoriam ipſi reuoco, hoc vere feciſſe HOFFMANNVM in capitulo de medicamentis veneni vim habentibus. Emetica antimonialia eapropter talia declarat, quia in parciſſima doſi ſubtiliſſimis ſuis particulis, in neruoſum ventriculum et alias partes neruoſas operantur, et paulo auctiore nocent ſicque notas characteriſticas veneni exhibent [c]). De purgantibus inter alia, aſſerit [d]) quemadmodum elementum, per quod venena in corpus agunt, valde volatilis et penetrantis indolis eſt, et in interiora omnium membranarum neruoſarum ſe inſinuat, ita et venenum, quod fortiora purgantia in ſe fouent, quodque in neruoſas partes

c) *Med. Syſt. Tom. II. p. 235.*

d) *pag. 241.*

agit, ſubtiliſſimae indolis eſt. Notat deinde [e]), et probat, draſtica purgantia eadem mala atrocia inducere, ac venena, vtque in diſſectis ex veneno cauſtico, e. g. arſenico, mortuorum corporibus, ventriculi et inteſtinorum partes maxime inflammatae et ſphaceloſae deprehenduntur, ita idem etiam ſe deprehendiſſe in iis, qui emeticis et purgantibus interempti fuerunt, bona fide teſtatur ad multas obſeruationes prouocans. Venenorum adeo, purgantiumque et emeticorum draſticorum, antidota eadem eſſe notat, lac, emulſiones, et mucilaginoſa. Eapropter Vir Eximius peculiarem diſſertationem *de purgantibus fortioribus e Medicina eiiciendis* conſcripſit. Famoſum puluerem d'*Ailhaud*, ex puluere ialappae, ſcammonio et fuligine, et forte, vt nonnullis videtur, ex pauxillo opii conflatum, TISSOTVS nocentiſſimum venenum appellat [f]), violentas eius operationes recenſet, aſſeritque, quod non paucos vita priuauerit, et bene multos ſanitate, licet largiatur aliquibus, qui draſticis purgantibus indigebant, vtilem ſeſe praeſtare potuiſſe. De Ialappa, ſcammonio, helleboro, colocynthide; quin et de Elaterio dici omnino poteſt, vt propriis verbis Cl. *Aepli* vtar, verum et circumſpectum Medicum praeſtantiſſimam inde vtilitatem petere, eaque in ſalutem aegri adhibere poſſe, nihilominus tamen ſemper ſunt et manent venenis analoga purgantia, quae multoties nocent, et vnice laxis cachecticis, et hydrope adhuc frigido laborantibus, conducere poſſunt. Ex Mercurio ſublimato, qui ſine contradictione nocentiſſimum venenum eſt, ſi granum vnum in vnciis duabus aquae, aut ſpiritus frumenti ſoluatur, magnum remedium nos parare docuit BOERHAAVIVS et van SWIETEN, neque tamen illi fidendum, niſi magna copia, cuidam doſi potus demulcentiſſimi ſuperbibantur. Atque etiam ſub his cautelis valde multos aegros id non ſine noxa ferre monuit Ill. STÖRCKIVS [g]). Eapropter ſollicite ſemper expendendum eſt, an aliquod venenum, vt Mercurius ſublimatus, in

ſe

e) *p.* 242. 243.

f) *Avis au peuple Tom. I.* §. 626.

g) *Medicinischer Unterricht vor die Feld- und Landärzte Part. II,* p. 126.

ſe ſecundum inſitas vires vere venenum ſit, an exquiſitiſſima arte et circumſpectione, pro ſubiectorum circumſtantiarumque varietate, remedium inde effici queat. Quo magis ſic dictum remedium, etiam vbiuis pro remedio habitum, ad tres illas notas appropinquat, quae ad veram veneni naturam requiruntur, et quo magis illas ſeſe poſſidere monſtrat, eo magis neceſſario appropinquat ad claſſem venenorum. Non certe a vero aberrat STENTZELIVS [i]), quando ſcribit: *Venenum cum in genere omne id denotet, quod naturalem ſolidarum et fluidarum partium diſpoſitionem laedendo, corpus deſtruit, parum a fortioribus medicamentis differre videtur.*

i) *in notis ad Lindeſtolpium de Venenis p. 12.*

§. VII.

Cantharides habere omnes notas characteriſticas venenorum probatur accuratius.

Nunc autem his hactenus diſputatis, inquirendum eſt, an cantharides omnes notas characteriſticas venenorum in ſe foueant, adeoque iure meritoque claſſi venenorum inferantur. HOFFMANNVS [a]) inter medicamenta veneni vim habentia refert cantharides, penetranti cauſtico ſale pollentes, virulentoque principio quodam ſaepe cum noxa agentes; cum nunc operentur exili quantitate, habent vtique primam notam Venenorum. Non opus eſt pulueris magnam doſin interne aſſumtam fuiſſe, id quod Cl. AEPLI ſupponit [b]), vt quod ipſe aſſerit, partes, quas illa attingit, inflammentur, ſanguis ſoluatur, mictus cruentus, conuulſiones cum morte inſequantur, ſed valde modica tragicos hos effectus edere apta eſt. Centenae et millenae obſeruationes hoc docent. Doleo valde, non in omnibus miſerrimorum malorum inde natorum hiſtoriis, exhiberi relationem exactam doſium, quibus illa excluſa fuere, quibusque homo vel ſummum periculum incurrebat, vel moriebatur. Cum canibus experimenta inſtituit Cl. FORSTEN [c]). Dedit mane cani iuniori pulueris grana 6 cum pane et parca butyri quantitate, poſt varia incommoda veſperi hora 10. alacris et ſanus erat. Eidem deinde dabat grana 10, male ſe habebat,

a) *Tom. II. Part. II. c. 8. ſ. 2. et 6.*

b) *pag. 17.*

c) *pag. 68. 69. ſeq.*

bebat, ſed altera die iterum bene. Alii exhibebat ſcrupulum vnum, hic valde aegrotabat, fere paralyticus, vrinam mittebat intenſe rubram, et tardius ſanitati reſtituebatur. Hac impetrata drachmam dimidiam pulueris cum mica panis deglutire cogebatur, intra 5. vel 6. horas erat mortuus, poſtquam ano pituitam ſanguinolentam magna copia excreuiſſet. Alius iterum canis ſumſerat grana 30. et his quoque necabatur [d]). Doſis haec triginta granorum, quae duos canes vita priuabat, omnino ſatis magna erat, ſed turpiter falleretur, qui inde concluderet, homini etiam eandem doſin neceſſariam eſſe, vt trucidaretur, eumque 20. 10. 6. grana ſine vitae periculo ferre poſſe, et vltimam adeo in remedium ipſi cedere poſſe. In diſſertatione ſub praeſidio Ill. BVCHNERI Halae habita, *de Opii effectibus* habentur experimenta cum illo inſtituta. Cani dabatur extractum Opii aquoſum ad ſcrupulos duos, poſt tolerata varia mala altero die ſanus erat. Cel. SPRÖGEL [e]) cani exhibebat opii crudi ſcrupulos duos, ſequebantur ordinarii ab opio aſſumto emergentes effectus, ſed tertia die ſanus erat. Alii cani dabantur tres drachmae extracti reſinoſi, patiebatur ordinaria mala, cum violentis conuulſionibus, nihilominus tamen poſt aliquot dies ſibi reſtituebatur. Vix credo aliquem adeo mente captum futurum, vt ſibi perſuadeat, hominem etiam his doſibus non in mortis periculum adduci, cum certo conſtet, 2. 3. 4. grana triſtiſſima mala poſt ſe trahere, atque proinde vel vnum caute dandum, et repetendum eſſe. Prorſus eadem ratione ſeſe res habet cum cantharidibus. Eapropter NEVMANNVS [f]) licet de doſi nil adiiciat, cum vſu earum caute mercandum eſſe monet, cum ſaepe is ipſam mortem poſt ſe trahat. In ſequentibus non pauci occurrent caſus, ex quibus patebit, deglutita paucula grana horrendos cruciatus et ipſam mortem poſt ſe traxiſſe. Et quid multa? Seplaſiarios monet RAMAZZINI [g]), caueant, ne dum animalcula haec conterunt, puluiſculos volitantes naribus et ore excipiant, ſed vel prae-

d) *vide pag. 71. et 73. experim. 7. et 11.*

e) *vide eius experimenta circa varia venena.*

f) *in Praelect. chym. p. 1224.*

g) *de morb. Artif. c. 12.*

praemuniendo ſe antecedenter, vel eo ipſo tempore, quo peſtes has tractant, emulſiones ex ſemine melonum ſerum lactis et lac ipſum copioſe hauriant. Adeo ex paucioribus et minutiſſimis atomis damna emergere ſciuit Celebris hic Medicus, ſi pulmoni *inſpiranti*, vel cum deglutita ſaliua ventriculo inferrentur, aut in oris cauo morarentur, qui nemini ignotum eſſe addit, quanta volatilitate praedita ſit ſubſtantia cantharidum. Chirurgus medicamentum bibit, cuius pulueres in mortariolo piſti fuerant, in quo prius cantharides in puluerem redegerant. Hic Vir ab ore vſque ad anum excoriatus eſt, et miram veſicae excoriationem habuit 18. menſium ſpatio, donec ſanitati reſtitutus eſt. Et tamen non actu cantharides aderant, ſed vis quaedam circa mortariolum derelicta [h]). Extra dubium poſitum eſt totam maſſam interne aſſumti vel externe applicati pulueris proprie non producere effectus, qui inde emergunt, ſed illos pendere vnice ab illo ſalis volatilis pauxillo, quod is continet. Puluis a decocto cantharidum reſiduus ad drachmam dimidiam datus cani nullam mutationem intulit, nequidem nauſeam mouit [i]). Decoctum etiam ad drachmas duas cani propinatum nulla produxit ſymptomata morboſa, neque extractum datum ad grana duodecim [k]). Eadem ratione diuturna coctione ſola ita opium ſpoliari poteſt ſua vi, vt larga eius doſis impune queat deglutiri, abacto vaporoſo principio in auras. Prima igitur qualitas, ad conſtituendum venenum neceſſaria, ſecundum quam parciſſima doſi id operatur, ſine dubio ineſt cantharidibus. Secunda, qua breui tempore oeconomiam in ſolidis et fluidis peruertunt, probatione vix indiget, cum omnia dira phoenomena cito poſt ingeſtionem euenientia eam ſufficienter probent, quod in ſequentibus fuſius explicabitur. Tertium characterem, nempe quod immediate in neruoſum ſyſtema eorumque fluidum violenta ratione operentur, nemo facile negauerit, qui modum operationis externum et internum, de quo breui dicendum erit, et ef-

h) *Schenckius lib. VII. obſ. 35.*

i) *Forſten p. 78. experim. 18.*

k) *Forſten p. 85. exp. 4 et 12.*

fectus eius, conſiderauerit. Si per antecedentia verum fuerit, cantharides eſſe venenum, de quo vix amplius dubitari poteſt, extra dubium etiam poni debet, eas agere in neruos, per demonſtrata quippe Meadiana [l]) alio modo venena agere nequeunt. Non deerit occaſio in ſequentibus hoc aſſertum vlterius, et quidem clariſſime probandi, vt adeo nullum effugium relictum manſurum ſit illi, qui cantharides pro Veneno declarare detrectet.

l) *de Venenis, in introductione.*

§. VIII.

Cantharides ex quo principio agant.

Quod ſi igitur haec inſecta adeo deleteria vi inſtructa haberi debeant, magis certe, quam vulgo putatur, operae pretium erit, inquirere, ex quo principio et qua demum ratione in corpus noſtrum agant. Ac primo quidem notandum eſt, erraſſe *Hippocratem* eosque qui eum ſecuti ſunt, quando corpora cantharidum ſollicite praeſcribunt, alas autem, pedes, et caput abiici iubent, vt nempe tutior vſus fiat. Omnis nempe hac cautio, notante LVDOVICI [a]) et ETTMVLLERO [b]), prorſus inanis eſt. Rectiſſime inter alios monuit Cel. VOGEL [c]), toti inſecto vim acrem et vrentem ineſſe, qua, vbi aut intus ſumitur aut cuti applicatur, homini alienum fieri poteſt. Cui autem demum principio haec vis inhaerere ſtatuenda eſt in ipſis cantharidibus? Cum eius rationem in ſpiritu, oleo et ſale volatili, ex iis igne ſicco et violenta deſtillatione expulſis, poſt inſtituta experimenta minime inueniret *Olaus* BORRICHIVS [d]) tandem cantharides tota ſua ſubſtantia et rudiori prorſus mechanico modo operari ſtatuit. Microſcopio integram cantharin ſubiecit, tumque obſeruauit totum eius corpuſculum, quod et FORSTEN totum hirſutum eſſe dicit [e]), mille ſpinis inhorreſcere. Concluſit inde *Borrichius*, hos aculeos cuticulae infixos, idem efficere, quod faciunt vrticae folia, ſimilibus armata ſpinis, quando manum tangentis adurunt. Idem prorſus ſtatuere video Cl. CLOSSIVM [f]), quando confidenter ſcribit:

a) *in Pharmacia moderno Seculo applicanda.*
b) *in commentario ad hanc Pharmaciam de diureticis animalibus.*
c) *mat. med. p. 340.*
d) *vide Acta Haffnienſia Vol. IV. p. 186. et Bonetum in Medicina ſeptentrionali Part. II. p. 816.*
e) *p. 15. vbi accuratiſſima microſcopica cantharis deſcriptio habetur.*
f) *in noua methodo curandi variolas p. 26.*

bit: *Actio cantharidum neutiquam eſt phyſica, ſed mere mechanica. Epidermidi impoſitae ſpiculis, quibus armantur, tenuiſſimis et ſubtiliſſimis, mucum vaſculorum capillarium apicibus circumfuſum diſſoluunt, et attenuant, remotoque hac ratione naturali illorum operculo ductus exhalantes liberius ſubeunt.* Verum bene iam monuit WEDELIVS [g]), Cantharides non propter hiſpidas et aculeatas partes agere, quas nonnulli pro operatione allegant, quia tritu et mixtione cum aliis viſcidis, rotundis, oleoſis, pereunte illa figura, nihilominus potenter id praeſtant, quod poſſunt. Pereunt ſine dubio, et obtunduntur haec ſpicula penitus, quando piſtillo tritae in tenuiſſimum pollinem rediguntur cantharides, et tamen ab earum puluiſculis terentes ſibi cauere, iubet ſeplaſiarios *Ramazzini*, vt in antecedentibus notaui. Pulchre diſputat contra actionem mechanicam *van* SWIETEN [h]). Si dicatur inquit, haec inſecta minimis particulis ſcatere, quae rigidae et acutae, calore corporis, cui adhaerent, motae, tenerrima vaſcula diſcindant, quomodo explicabitur, quare eaedem particulae in viuente hoc animalculo, per tenerrima vaſa motae, illa non deſtruant.

Fuerunt, qui a tempore *Hippocratis* diſputarunt, an cantharides, capite, alis et pedibus abſciſſis, an cum his partibus, integrae, in vſum trahendae ſint. ETTMVLLERVS [i]) litem hanc de lana caprina eſſe dicit, ſingulas partes earum vim vlceratiuam poſſidere aſſerens. Neque aliter ſentit Cel. CRANTZ [k]) quando ſcribit: *Omni inſecti parti vis rodens et cauſtica ineſt, capiti, alis, pedibus, corpori.* Sane toti cantharidum ſubſtantiae ſal ineſſe volatile ſubtiliſſimum, acre, rodens, cauſticum, nemo rerum gnarus facile inficiabitur. Id adeo lubens admiſit *Borrichius*, qui, licet vt vidimus, aculeorum mechanicae actioni plurima tribuat, tamen forſan non alienum eſſe dicit, ſi exiſtimemus, vim cuſpidum a ſale earundem volatili increſcere, atque auctiorem reddi. Illas autem vrentes particulas, quibus veſicandi vis ineſt, adeo mobiles, para-

g) *Amoenit. mat. med. p. 384.*

h) *Comment. Tom. II. ad §. 603. p. 112.*

i) *l. c.*

k) *mat. med. Tom. III. p. 91.*

paratasque ad exhalandum inuenit VERATTI [l]), vt calore promptiſſime auolent, dum aqua ſoluuntur, ita vt nec inde paratum extractum, nec reſiduus puluis veſicatorium effectum edant, id quod non minus obſeruauit Cl. FORSTEN §. 7. a me laudatus. Harum interim particularum ſumme volatilium ſpecificam et indiuidualem indolem inuenire, et determinare vix licet, quantamcunque etiam operam ſuis experimentis eo fine ſuſceptis impenderit COCKBVRNIVS [m]). Sunt, qui ſal earum acidum habent, ſunt, qui pro vrinoſo declarant. At vero ſi fides habenda VERATTI [n]), is nec a ſpiritu nitri, et aceto deſtillato, nec a ſpiritu corn. cerui et ſalis ammoniaci, vllam efferueſcentiam cum cantharidum puluere potuit obſeruare. Pugnant cum hoc aſſerto ea, quae habet CRANTZ [o]) ad L. B. *van* SWIETEN prouocans. *Mirum eſt* inquit *cantharides cum acidis foſſilibus efferueſcere diu, ſaepe etiam poſt annum, concuſſo liquido efferueſcere de nouo, nec vnquam ſaturationis punctum aſſequi, aut eius productum dare.* Mea non intereſt, vt talibus diu immorer. Seorſim etiam ſal hoc ſiſti exhiberique nequit, nec aqua, nec ſpiritu Vini, gelatinoſo-gummoſam et reſinoſam partem, cui prae illa praecipue inhaerere dicitur, ſaltem ſoluentibus, extrahendum. Sal hoc partibus reſinoſis immerſum iacere, extractum gelatinoſum paene inſipidum eſſe, et ſi prorſus a reſinoſo ſit liberum, plane veſicans non eſſe, notat NEVMANNVS [p]). Extractum autem cum Vini ſpiritu paratum vim veſicas excitandi poſſidere, expertus eſt laudatus VERATTI [q]). Contradicit ei, et aliis hac in re Cel. FORSTEN [r]) cuius operoſiſſima et accuratiſſima analyſis chemica cantharidum [s]), quam inſtituit, ſedulo legi et expendi meretur, aliorum examini chemico interdum contraria. Mihi cum hoc negotio nulla res eſt, neque enim inquiro, an, et quid decoctum, puluis a decocto reſiduus, extractum gummoſum et reſinoſum, agat in corpus, ſed mea tantum intereſt, vt determinem accurate, quid in eo agant ſimpliciter puluerisatae

l) *Comment. Bononienſ. Tom. II. Part. II. p. 113. 114.*
m) *in Transact. phil.*
n) *l. c. p. 112.*
o) *mat. med. l. c.*
p) *lect. chym. p. 1225.*
q) *l. c. p. 114. 115.*
r) *p. 66.*
s) *p. 23. ſeq.*

tae

tae cantharides, vtpote ſolae in medica et chirurgica Praxi receptae. Mixtionem cantharidum adeo intimam eſſe bene edixit NEVMANNVS [t]), vt non neceſſarium ſit, id quod veſicas excitat, ab ea ſeparare, et ſeiungere, ſed ſufficere, vt in tota ſua ſubſtantia adhibeantur. Igitur puluerem tantum eiusque actionem in corpus meae conſiderationi ſubiicio. Huic autem ineſſe ſal acerrimum, rodens, cauſticum ſui generis, ſenſu teſte, hocque efficere vt pars corporis, quam ille attingit, et cui adhaeret ad tempus, doleat, rubeat, ardeat, inflammetur, ſique cutanea ſit, in veſicas eleuetur, vt in ambuſtionibus, atque aliquando vt extus, ita et intus, id quod extiſpicia hoc veneno eneclorum docent, gangraena corripiatur, ſine vlla haeſitatione, credo, affirmare potero.

t) *l. c.*

§. IX.

Vix capitur audacia Medicorum canthrides interne exhibendi.

Hanc faciem operationis cantharidum dum mihi ante oculos pono, hanc dum, mente comitatus beſtiolarum harum puluerem recta via in ventriculum et inteſtina delatum, tum ex eius contactu cum his enaſcentem mihi repraeſento, non ſatis mirari poſſum, quomodo non agyrtis ſaltem, et audaculis barbitonſoribus, ſed Medicis adeo, et inter eos ſapientibus et eruditis, in mentem venerit, ab interna aſſumtione medicatas vires expectare, et ſperare. Has minime ſibi fingens et promittens PLINIVS ſeuere vſui interno interdixit [a]). Cantharidum interne ſumtarum vim malignam exponens Cl. FORSTEN [b]) memoratu dignam legem adducit *Aelii Marciani*, qua vi Senatus conſulti vſus temerarius cantharidum ſub poena prohibetur. Legi etiam apud eum merentur communicati verſus *Nicandri*, qui ob truculentiſſima ſymptomata ſuperuenientia, ab vſu interno horum animalculorum ſerio dehortatus eſt. Verum haec talia non ſcripta videntur ſecuturis temporibus, Medicisque audacibus, qui, vt aliqui internum vſum phoſphori, quem certe, vt arſenici, metuere debebant; cantha-

a) *Hiſt. Nat. lib. X. c. 36.*

b) *p. 203. ſeq.*

tharides non reformidant, quanquam innumerae obſeruationes tragicorum euentuum ab iis deglutitis proſtent, atque bene multi Viri graues internum vſum ſerio et candide diſſuadeant. Si leuiter eas maſticare, aut parum de puluillo ore accipere alicui placuerit, ſtatim linguam cum toto ore interno irritari, inflammari, exulcerari ſentiet; atque eundem effectum cum oeſophago, ventriculo, inteſtinis, omnes corporis interni partes experientur, quas ſaliua maceratum et extricatum earum ſal acre et cauſticum attingit. An ergo mirum, quod non pauci Medicorum internecino quaſi odio proſecuti ſint canthárides, interno potiſſimum vſui deſtinandas. *Niſi cantharides, earum virulentiam ſaepe expertus, peſte peius odiſſem,* inquit HENRICVS *ab* HEERS [c]), *earumque vſum omnem, etiam in veſicantibus, penitus eiuraſſem, de modo illas in vſum vocandi, hic diſputarem, ſed de eo, qui illis periculoſe vtuntur, viderint.* *Quoad vſum internum* ait LANGIVS, *omni tempore ſumma circumſpectio neceſſaria fuit iudicata, quia fere ſine exceptione eroſionem veſicae poſt ſe trahunt cantharides, eapropter tot Auctores vim earum deleteriam ſemper corrigere laborarunt* [d]). Suppeditat Cl. FORSTEN [e]) acceptas a doctiſſimo Medico *Looff* litteras, in quibus ſequentia leguntur: *Pulueris horum animalculorum vſum omnino improbo, peſſimorum inde euentuum exempla, quae paſſim apud Auctores proſtant, omnes Medicos terrere debent.* Dum Cantharidum vſui externo patrocinatur, eumque vt innoxium ſiſtere laborat RIDLING [f]) merito internum illorum vſum ſuſpectum Medicis prudentioribus eſſe debere affirmat. *Quis enim* inquit, *niſi ſumma coegerit neceſſitas, tantas turbas volens in corpore mouebit?* Non poſſum a me impetrare, vt ſincera monita duorum Eruditiſſimorum et Expertiſſimorum Virorum huc non tranſcribam. Primum TRILLERI [g]) ita ſeſe habet: *Vſus internus cantharidum nocentiſſimus eſt, et valde ſuſpectus, quare nunquam niſi in caſu ſummae neceſſitatis adhibendae ſunt, incipiendo cum grano dimidio. Si aeger ab illo bene*

c) *Obſeruationum lib. I. No. 9. p. 101.*

d) *Mat. med de cantharidibus.*

e) *p. 212.*

f) *lin. med. anno 1698. p. 924.*

g) *in diſp. pharm. vniv. Tom. I. p. 278.*

bene ſeſe habeat, pergendum ad granum vnum vel duo. Sed ſemper tutius eſt, ab vſu interno prorſus abſtinere. Secundum eſt SWIETENII et quidem duplex. *Raro et non niſi magna cum cautela cantharides adhibentur vſibus internis, cum peſſima ſaepe et metuenda ſymptomata producant* [h]) — — *Vſus internus cantharidum merito ſuſpectus habetur, ideoque prudentiores Medici ab iis abſtinere ſolent* [i]). Centenae obſeruationes triſtiſſimae clamant quaſi alta voce, his monitis auſcultandum eſſe. Notauit iam DIOSCORIDES [k]), iis, quibus datae ſunt cantharides, ab ore ad veſicam vſque, omnia erodi et morderi, idem inter alios antiquos PAVLVS AEGINETA [l]) et ACTVARIVS [m]) annotarunt. A cantharidibus hauſtis Vir quidam apud FORESTVM [n]) ab ore vſque ad veſicam omnia arroſa ſenſit. Vehementiſſimos cruciatus, linguae fauciumque excoriationem, inde paſſus eſt Studioſus apud BARTHOLINVM [o]). Foemina, quae Veſicatorium propter odontalgiam pone aures applicatum, neſcio quo fato deuorauerat, os et labia vndique exulcerata exhibuit, cum inſigni ardore interno, et vrina cruenta [p]). His ſimilia et ſimul excrementa dyſentericis ſimillima obſeruauit IOEL [q]). Chirurgus inſignis medicamentum bibit, cuius pulueres in mortariolo piſti erant, in quo prius cantharides in puluerem redegerant. Hic ab ore vſque ad anum excoriatus eſt, et miram in veſica excoriationem habuit, 18. menſium ſpatio [r]). Pro pellenda vrina vir aliquis puluerem cantharidum ſumſit ad 4. grana, poſt tres horas ſummo ventris cruciatu mulctatus eſt, et e viuis diſceſſit [s]). Iuuenis, qui per riſum et iocum 12. cantharides fere integras, et magna ſua fortuna non in pollinem tritas deuorauerat, atrociſſimis ventris renumque doloribus afflictus eſt, ſanguinemque minxit, idoneis tamen remediis reſtitutus [t]). Virgo 35. annorum loco pulueris purgantis, aſſumſerat integram drachmam pulueris cantharidum, ſemihora elapſa, exhibito emetico magnam pulueris quantitatem vomitu eiecerat, nihilominus tamen vehemen-

h) *Comment. Tom. III. p. 379.*
i) *Tom. III. p. 301.*
k) *Mat. med. lib. VI. c. 1.*
l) *lib. V. c. 39.*
m) *de methodo medendi lib. V. c. 12.*
n) *lib. XXX. obſ. 6.*
o) *Hiſt. anat. Cent. III. hiſt. 16.*
p) *Timaeus lib. VII. caſu 20.*
q) *Operum med. Tom. V. lib. II. ſect. 4.*
r) *Schenckius lib. VII. obſ. 35.*
s) *Schenckius l. c. obſ. 40.*
t) *Hildanus Cent. VI. obſ. 99.*

hementi dolore ventriculi, abdominis, vehementiſſimo vrinae ardore, et cruento mictu prehendebatur, ſequebantur, cum pulſu duro paruo intermittente, cum frigore totius corporis, conuulſiones; Venae ſectione, clyſmatibus, copioſo oleo, lente ſedabantur dolores cum aliis ſymptomatibus, ſed ardor vrinae diu perſeuerabat [u]). Ex his recenſitis miſeris hominibus, aliqui iuſtis antidotis mature in vſum vocatis, ſeruati ſunt, aliqui cum vel ſine iisdem, inter angores et eiulatus ſunt mortui. Si vita functi omnes cultro anatomico fuiſſent ſubiecti, vt in viro reuerendo, qui cantharides ſumſerat, inter ſummos dolores extincto, ventriculum et veſicam exulcerata vidit *Bened. ctus* SYLVATICVS [x]), ſimiles laeſiones viſcerum, eroſiones, inflammationes, exulcerationes, gangraenae oculis potuiſſent obſeruari, vt eas in canibus cantharidibus necatis inuenit FORSTEN [y]). Non opus eſt, vt plura exempla, quod facile foret, conquiram.

u) *Forſten p. 206.*

x) *Cent. III. conſ. 50.*

y) *experim 7. et 11. p. 71. 73.*

§. X.

Et tamen laudantur in Hydrophobia.

Et tamen tot tragicis caſibus nullo timore perculſi Medici, pro variis morbis rebellibus ſanandis, ad cantharides harumque vſum internum, tanquam ad ſacram anchoram confugere non dubitarunt. Virulentae tamen earum indoli non omnino fidentes, variis praeparationibus et additamentis earum vim cauſticam cicurare et corrigere conati ſunt. Varia contra hydrophobiam praeſidia a longo tempore fuere inuenta, nouaque indies excogitata ſunt. Ante paucos annos, in publicis relationibus ex cinnabari naturali, artificiali et moſchi larga doſi concinnandum tale remedium depraedicabatur. Ab aliquo tempore vermiculi maiales tanquam inſigne arcanum circumferebantur, quas tamen FRICCIVS [a]) et DEGNERVS [b]) antea iam commendauerant, votis interea an reſponſuri ſint, expectandum eſt. Dolendum eſt, quod de illis omnibus, quorum vis hactenus verboſa commendatione publice aſſerta eſt, adhuc valeat, multa alia ſimul concernens effatum BOERHAAVII [c]): *Nullius ea comperta fides eſt, vt ipſi credi queat ſalus miſer-*

a) *de cantharidum virtute medica p. 176.*

b) *Acta phyſ. medica Nat. Cur. Vol. VI. obſ. 92.*

c) *aph. 1197.*

miſerrime periclitantis hominis; cum nullum ſit natum, cuius experimenta certa ſint, ſed omnia ſpeculationi ortum debeant, vel ex alio ſint deſcripta. Vſus ſui vetuſtate ſeſe commendare videntur cantharides, prouocat nempe BACCIVS [d]) cuius MEAD [e]), FORSTEN [f]), et *van* SWIETEN [g]) meminit, ad *Rhazen* et *Iohannem Damaſcenum*, quod commendauerint antidotum ex cantharidibus abſciſſis, ex hypotheſi, alis, capite et pedibus, praeſcripta arte parandum, et formandum in trochiſcos, vſurpandum ad multos dies, proficuumque futurum, etiamſi ſanguinem minxerit aeger, quod accidens facile ſanaretur. Quaſi vero hoc accidens nullius momenti eſſet, moram inter aegri cruciatus pateretur, ac ex nutu Medentis abigi poſſet. Cantharidum etiam puluerem tenuiſſimum, a granis 4. ad decem in aceti optimi vnciis duabus coctum, calide epotum, vt ſpecificum in hydrophobia commendat KRAMERVS [h]), ſed per hos quadraginta ſex annos de felici ſucceſſu, quod ſciam, nil veri et certi conſtitit. Forte quia, ſecundum illud tritum, lupus lupum non comedit, venenum ſepticum aliud venenum ſepticum non deſtruit. At nihilominus Eruditiſſimus et Expertiſſimus *Werlhofius* remedium antilyſſum, cantharides habens, compoſuit, quod Cel. VOGELIVS publici iuris fecit [i]). In Hungaria ſuperiore vltra Tibiſcum incolae morbo aliquo laborant, quo affectis ſubito collum intumeſcit, mors inter ſummam cephalalgiam et totius corporis calorem quaſi hydrophobis intra quatriduum accidit. Huic morbo eos mederi, epoto cantharidum puluere, *Ephemerides Nat. Curioſ.* recenſent [k]). Sed morbus hic hydrophobiam ſaltem aemulatur, deinde incolas harum terrarum admodum robuſtos eſſe, et cantharides ob ſingulare clima probabiliter eſſe mitiores, quam noſtrates, autumat CARTHEVSER [l]). Quicquid ſit, cordate et ſapienter ſcripſit *van* SWIETEN [m]), etiam auctoritate aliquorum Medicorum Edinburgenſium [n]) ſeſe abripi haud paſſus: *Si conſiderentur, quae Dioſcorides habet, de effectis cantharidum huma-*

d) *de venenis et antidotis pag. 80.*

e) *de Venenis tractatu 2.*

f) *pag. 226.*

g) *Comment. Tom. III. ad aph. 1145.*

h) *Commerc. litt. Norimb. 1735.*

i) *in Prael. acad. §. 112. pag. 80.*

k) *Dec. I. annol. obſ. 133. et anno IX et X. obſ. 148.*

l) *Mat. med. Part. I. Sect. VII. c. 10. pag. 436. 437.*

m) *Comm. T. III. aph. 1145.*

n) *Med. Eſſays Tom. V. Part. II. pag. 985.*

humano corpori ingeſtarum, quod nempe ſequantur eroſiones ab ore ad veſicam vſque, animi defectiones, faſtidia, vertigines tenebricoſae, mentis alienationes etc. *patebit ſatis, minime tutum eſſe talis remedii vſum, et quidem in morbo hoc, vbi et deglutitionis organa ſaepe inflammata ſunt, et conuulſiones aliaque ſymptomata demonſtrant, cerebrum et neruoſum ſyſtema adeo irritari, ſimulque in hydrophobis non poſſunt potu copioſo abſumto haec acria dilui et eneruari.* Candide etiam et ſapienter monuerat BOERHAAVE [o]) nil magis exitiale eſſe, quam acerrimis calefacientibus, et neruoſum genus exacerbantibus medicamentis vti, inter quae ſane cantharides primum locum occupant. Quando praeterea eouſque proceſſit abominabilis morbus, vt inter alia horrenda ſymptomata febris, conuulſio, vomitus, priapiſmus, ſiccitas oris, linguae aſperae exſertio, raucedo, ſitis ingens, ob potulentorum omnium auerſionem non reſtinguenda, adfuerit, ego quidem irremiſſibile peccatum practicum haberem, cantharidibus, remedio ipſo morbo grauiſſimo vix mitiore, omnia ſymptomata exacerbare, additisque pluribus cruciatibus mortem truculentam magis reddere, et accelerare. Si cantharidibus vtendum eſſet apud hydrophobos, prophylaxin quaererem in emplaſtro veſicatorio, quod in morſibus venenatis laudant *Acta noua Acad. Nat. Cur.* [p]), profundius ſcarificatae parti protinus poſt morſum animalis rabidi impoſitum. Haec antiqua fuit methodus GALENI [q]), qui augere vulnus magna inciſura, ignem candentem admouere, et medicamenta attrahentia apponere iubet, vlcuſque diu apertum ſeruare. Probata haec fuit noſtris temporibus, MEADIO [r]), et BOERHAAVIO [s]) donec certum antidotum inueniatur. Interne darem nitrum cum camphora, cui pro ſudore mouendo infuſum ex herbis aromaticis ſuperbibendum iniungerem. Tutius tamen, credo, et maiore fiducia recurritur, facta profunda ſcarificatione, in tremendo hoc malo ad vnguentum mercuriale et mercurialia interna, ex ſapien-

o) *aph. citato.*

p) *Vol. I.*

q) *de theriaca ad Piſonem lib. I. c. 16.*

r) *de Venen. Tract. II.*

s) *aph. 1143.*

pientum Virorum DESAULT [t]) SAUVAGES [u]) et TISSOT [x]) conſilio, quam ad cantharides.

§. XI.

in Iſchuria.

Venio ad Iſchuriam, in qua qui cantharides collaudent, eximii in arte Viri non deſunt. Nota vbique eſt vis millepedum in pellenda vrina. Ab antiquiſſimo iam tempore *Hippocrati*, *Galeno*, *Paulo Aegineta*, *Dioſcoridi* vis longe fortior, qua cantharides in vias vrinarias agunt, fuit cognita. Non mirum igitur quod ſuppreſſae vrinae cantharidibus mederi conati ſint ſequentium temporum Medici. Nominari inter eos meretur BALLONIVS [a]) in vrinae ſuppreſſione vſum earundem probans. In iſchuria infuſum cantharidum felici ſucceſſu non ſemel ſe expertum eſſe memorat BARTHOLINVS [b]). Mulierem iſchuria laborantem cantharidum granis tribus, ſed cum lacte, vſam fuiſſe refert, *Lucas* SCHROECKIVS [c]). Aliis non iuuantibus conſilium dat GVARINONIVS [d]), vt cum olei amygd. amararum vnciis duabus ſumantur grana duo cantharidum. HELMONTIVS [e]) Mercatorem ab octiduo ſuppreſſam vrinam paſſum, iam morti vicinum, ſumſiſſe refert hauſtum, ex ſucco millepedum, et ſucco conchyliorum nigrorum, cum grano vno cantharidum. Dedit eas WERLHOFIVS [f]) in emulſione, et cum camphora ad aliquot grana YOUNG [g]). Ill. HVXHAM [h]) etiam ſatis ſperato cum effectu datas fuiſſe in iſchuriis renalibus, crebrius perſpexit. Cel. CLOSSIVS grauiſſimam iſchuriam renalem, omnibus aliis remediis immorigeram, cantharidibus perſanauit [i]). Sed nemo magis de curatione iſchuriae, dyſuriae, ſtranguriae per Cantharides gloriatus eſt, quam *Ioh.* GROENEVELT Anglus [k]), qui vltra centum foeminas potente hoc diuretico ſeſe ſanaſſe aſſerit, ſed ſemper camphoram iis adiecit. Conſtat ex his hiſtoriis, plurimos medentum, qui his malis cantharides oppoſuerunt, eas tamen infidum remedium habuiſſe, cum non auſi ſine comitatu alicuius reputati antidoti aegris

t) *diſſ. de la rage.*
u) *diſſ. ſur la rage.*
x) *Avis au Peuple.*
a) *lib. I. conſ. 52.*
b) *Epiſt. med. Cent. IV. epiſt. 21. 54. 65.*
c) *Ephem. Nat. Cur. Anno I. obſ. 240. in ſcholio.*
d) *Conſult. p. 238.*
e) *de lithiaſi c. V. §. 17.*
f) *Comm. litt. norimb. 1733. pag. 35.*
g) *Tranſ. philoſ. No. 280.*
h) *Operam T. III. p. 124.*
i) *de noua methodo curandi Variolas p. 24.*
k) *in libello de cauto cantharidum vſu in Medicina.*

aegris ingerendas tradere. Neque tamen ſemper felix euentus ſecutus eſt. *Epiphanius* FERDINANDVS [l]) puluerem vnius cantharidis, cum puluere pellis leporis combuſtae exhibuit, ſed voto non potitus eſt. Male ceſſit hoc remedium SCHENKIO notante [m]) in polline, ad 4. grana, Viro ſuppreſſione vrinae per multos dies laboranti, et ſub corroſiuo cruciatu in ventre, interemto. Male ceſſit Monacho pro iuuanda vrinae excretione exhibitum referente *Benedicto* SYLVATICO [n]). Praeſcripſerat *Benedictus Syluaticus* 10. grana pulueris in octo vnciis iuris carnium pinguis. In eius abſentia *Iulius Caeſar Caſſerius* exhibebat hunc puluerem cum conſerua capillorum veneris. Moriebatur aeger tertia die. In cadauere ventriculus et inteſtina inflammata et exulcerata inueniebantur. Exiſtimat equidem *Syluaticus* mortem non ſecuturam fuiſſe, ſi ſecundum eius praeſcriptionem puluis cantharidum fuiſſet exhibitus. Neque dubium eſt, iuris pinguedinem ſtimulantem cauſticam vim cantharidum potuiſſe omnino obtundere, an vero proinde optatum effectum cantharides praeſtitiſſent, determinari nequit. Meminit quoque, non obſtante calculo ſuo, quem cantharidum vſui in iſchuria adiicit, modo laudatus HVXHAM [o]) foeminae, quae, licet cantharides in ſubſtantia et earum tincturam aſſumeret, ne guttulam tamen vrinae emiſit ad mortem vſque. Dum iſchuriam per veſicatorium oſſi ſacro impoſitum a Cl. *van Doeveren*, variis antea incaſſum actis ſanatam recenſet FORSTEN [p]) ſapienter adiicit: *In omni tamen iſchuria non conducere poſſe cantharides, earum agendi modus ſatis indicat, v. g. inflammatoria, ſuppuratoria, aliisque ſpeciebus.* An igitur in tali ſananda bene conueniet vſus internus cantharidum? anne externus et internus vſus, dum adhuc ſpaſmodica eſt iſchuria, aduentum inflammationis et ſuppurationis maturabit? Solae cantharides interne ſumtae, et foris admotae ſaniſſimo homini virulenta ſua vi, renibus et veſicae praecipue infeſta, in viis his vrinariis inducere poſſunt ſpaſmodicas ſtricturas, inflammationem,

l) *hiſt.* 97.

m) *lib. VII. obſ.* 40.

n) *Cent. III. obſ.* 45.

o) *loc. cit.*

p) *pag.* 200.

tionem, exulcerationem, an his malis praeſentibus pro remedio, et quidem pro ſecuro remedio, haberi queunt? inſecurum ad minimum et infidum declarari debent opinor ab omnibus, ad vim illam, quam in ſe fouent, attentis.

De Iſchuria jam ex inſtituto non ago, alioquin multum inter ſe differentes cauſas et renalis et veſicalis iuſta ſerie indicando, commonſtrarem euidentiſſime, quam male ad pleraſque quadrent cantharides. Tum autem, vt modo dictum eſt, omnium minime conuenire, quando ſpaſticae ſtricturae, ac diatheſis inflammatoria in renibus, vreteribus, veſica, eiusque collo ſubſunt, quiuis Medicus prudens concedet, et aſſeuerabit. Inquiram tantum in rationem, qua praecipue iſchuria necem adferat, huiusque ſeriae conſiderationi vſum cantharidum prorſus contrariari oſtendam. Fuere, qui mortis cauſam a colluuie ſeroſa, ob vrinae excretionem interceptam, in ſyſtemate vaſorum coaceruata, haecque implente, vltra modum diducente, et ſubiectas partes, tandemque ipſum cerebrum comprimente, deducebant. Sed conſiderandum eſt, nihilominus necare iſchuriam, ſi, ſuppreſſa vrina, aliae etiam excretiones per venae ſectionem, per aluum, per ſudorem, et tranſpirationem, quae vt vicariae conſiderari poſſunt, liberaliter ſuccedant. In eo autem mortis cauſa proprie verſatur, quod ſerum vrinoſum non ſecretum et excretum, ſed in corpore retentum, ſenſim naturali maiorem acrimoniam acquirat, et per vaſa agitatum ſemper acrius reddatur, ac ſic omnem ſanguinem rodente alcaleſcentia imbuat. Hanc vero tenerrima encephali vaſa non diu ferunt, ſed ab ea appellente vellicantur, exeduntur, deſtruuntur, vnde qui ob retentam vrinam fatis cedunt, vix ſine laeſione functionum cerebri, vix ſine deliriis, comate, conuulſionibus moriuntur, vt de febre putrida, calore, ſiti ingente nil dicam. An itaque deprauatae huic humorum craſi, vel imminenti vel iam praeſenti, congrueret ſepticum cantharidum venenum? Nonne hoc potius ſuppetias

feret conditionibus mortem inferentibus, tantum abeſt, vt eas minuat, et inhibeat? Nonne, quo adultior morbus, eo magis ambiguae et nociuae erunt cantharides? Quis vero facile aliis ſecurioribus, quae toties iuuant, nondum in vſum vocatis, ad eas praeſcribendas ſtatim conuolabit? Haec omnia trutinans Ill. HVXHAM [q]), *In iſchuria* inquit, *ſalia animalia non conſtanter eliminata pernicioſa fiunt, continuo enim magis magisque accedunt ad ſtatum alcalinum. Vrinae ſuppreſſio fit mortifera, non tam ab aucta quantitate, ſed ab acrimonia humorum.* Paucis interiectis deinde pergit: *Etſi quidem cantharides ſatis ſperato cum effectu, datas fuiſſe in iſchuriis crebrius perſpexi, attamen ſi non cito expectationi reſpondent, ſed diutius larga in quantitate continuentur, timeo, ne ſimul cum acribus ſalibus agant, et aegroti mortem accelerent, excitando deliria et conuulſiones, vt pluries perſpicere mihi ſiniſtra contigit fortuna.* Quid ex his Huxhamianis ſequitur? id credo ſatis euidenter, nunquam alicui iſchuria laboranti exhiberi poſſe cantharides, ea fiducia, qua alia remedia, ſi non iuuerint, ſaltem nocere inepta, porriguntur. Semper potius multum mali ab iis metuendum, quam boni quippiam ſperandum. Magna audacia Medici in porrigendis cantharidibus pro vſu interno, cum ſpe ſanationis, iſchuria iam laboranti requiritur, ſi bonum et malum aequa lance expenderit, hocque illi multum praeponderare obſeruauerit. Vt circumſpectum Practicum ad minimum ceſpitantem facit *Huxham*, ita etiam eum ambigentem reddit CLOSSIVS [r]), refert hic certe, vt in antecedentibus annotaui, ſe grauiſſimam Iſchuriam renalem cantharidibus exhibitis ſanaſſe, ſed ſimul non diffitetur, eas ſaepius dyſuriae et iſchuriae autores eſſe, atque adeo a Veſicatoriis binis praegrandibus femoribus admotis in puella confeſtim grauem dyſuriam, et iſchuriam enatam eſſe, quae tamen idoneis remediis ſanata eſt. Inſuper ruſticum ab eorum applicatione ex ſuppreſſa vrina miſerrime interemptum vltro memorat. Quis igitur tanto

q) *l. c. T. III. p. 124.*

r) *pag. 23. 24.*

magis ab vſu interno cantharidum ſibi religioſe cauendum eſſe, haud exinde colligeret, et intelligeret? Sola audaciam fortuna iuuet neceſſe eſt, deplorabilis autem ſine dubio eſt aegrorum conditio, quorum ſalutem temere agentes Medici caſui et fortunae committunt. Sane in renali iſchuria venaeſectio, clyſmata, balnea emollientia, interne remedia demulcentiſſima, paregorica, ſine hoſtili acrimonia ex acidorum familia lenius fortius ſtimulantia, ſaepe proſunt. In veſicali praeter haec toties catheter, aut ſimplex candela cerea vel ſufficit, vel inducias praeſtat, vt cauſa oppugnari diutius, et decenter queat.

§. XII.

In calculo et Podagra.

Facile autem nunc, vt credo, accuratius attendentibus conſtabit, quid de virtute cantharidum in calculo, et podagra ſtatuendum ſit, quas in hiſce aegritudinibus magnus earum Patronus, GREENFIELD collaudare haud dubitat [a]). Has inter lithontriptica iam retulerat RHAZES [b]). Circumſpectus autem ſatis in vſu fuit MERCVRIALIS [c]), namque, *ſoleo ego damnare illos Medicos*, inquit, *qui ſolis cantharidibus vtuntur, quia, vt ego expertus ſum, nil aliud agunt, in lapide renali, quam quod educant ſanguinem e renibus et veſica, absque vllo profectu. Vtendum igitur his non ſolis, ſed cum conuenientibus Medicamentis.* Quantitatem minimam earum eſſe dicit grana 4. vel 5. Praeparationem ſuppeditat, quae fit ex miſcela pulueris cum Gum. tragac. ex qua fiunt paſtilli, qui ſumuntur cum ſucco melonum, vel cum brodio, vel cum lacte. BALLONIVS [d]) in ſuppreſſione vrinae a calculo praeſcripſit potionem, ex decocto rad. aperient. vnciis quatuor, Syr. de raphano vncia vna, lap. jud. drachma vna, canthar. gr. jv. mithridatii ſcrupulo dimidio. *Felix* PLATERVS [e]) vim cantharidum pellendi calculum etiam commendauit, caute tamen procedendum vult. Lithontripticum aliquod *Tulpii* memoratum ab HOMBERGIO, quod cantharides ingrediuntur, deſcriptum habetur in

a) *de vſu cantharidum interno Londini* 1706.

b) *cont. X. vide Fallopium de comp medicamentorum c.* 13.

c) *Med. Pract. lib. III. c.* 29.

d) *lib. I. conſ.* 52.

e) *de Veneris dolorum curat. p.* 541.

 actis

actis Pariſinis [f]). Sed hoc valere iuſſo, relinquere etiam poſſumus electuarium lithontripticum *Andreae Galli* Medici tridentini, ex cantharidibus, cinere ſcorpionum etc. parandum, quod noſtro *Cratoni* a CRAFTHEIM [g]) non diſplicuit, ſuo auctori, tanquam nephro- et cyſtotripticum potius, quam lithontripticum. Meminit in ſua *de remediis inſecuris* diſſertatione HOFFMANNVS [h]) vſus interni cantharidum, cum nitro et camphora corrigendarum, quem in veſicae et vrinariorum ductuum vitiis Anglis mirifice placere dicit. Quamuis vero forte gentis exiſtimatione ductus, decentem et prouidum vſum damnare nolit, monet tamen cordatus, venenato cantharides agere principio, vnde cautiſſimum vſum eſſe debere dicit, in grauibus ſpaſmis, doloribus, conuulſionibus, maxime in ſubiectis tenerioribus, et ſenſibilioribus. Sed a circumſpecto et prudente Medico, omnis prorſus abeſſe debet in hiſce malorum generibus praeſcriptio cantharidum. Quid enim abſurdius cogitari poteſt, quam venenum, quod vrinae difficultatem, veſicae ſpaſmum, mictum ſanguinis ſaniſſimis inducit, doloribus nephriticis, ac torturis a calculo, auertendis et leuandis deſtinare, quibus ſola anodyna emollientia, demulcentia, externa et interna medentur, cum dolores hi ne quidem cantharidibus longe inferiora diuretica therebinthinata, iuniperina, ſuccinata et ſimilia acria balſamica ferant. Calculo veſicae, ſtranguria et dyſuria affectus aeger ſumtis cantharidibus, ſuaſu *Iulii Caeſaris Caſſerii*, *Placentini*, celebris Anatomici, cum conſerua cap. veneris ſummis doloribus obortis extinctus eſt [i]), multos ſocios habiturus, ſi iisdem affectibus laborantes ad eandem periculoſam medelam confugere non dubitauerint. Quando meatus vrinarii limo obſtructi ſunt, vſum cantharidum quod miror admittere videtur ALBINVS [k]): *Dum enim* inquit, *hae ſanguinem fundunt, meatus illos copioſum ſerum hoc ſale cauſtico impraegnatum alluit, et partim diluendo ac ratione ſalis incidendo, et vellicando, partim affluxum vrgendo, ſuccedente*

f) *anno* 1709. *pag.* 456.

g) *lib. IV. Conſil. med.* 18.

h) §. 18.

i) *Vid. Benedictus Sylvaticus Cent. III. conſ.* 50.

k) *Diſſ. de canth.* §. 14.

dente copioſe vrinae effluxu, limum et arenulas ſecum educit. Sed addit, quod notari velim, *ſi obſtructionum pertinacia hos impetus eluſerit, vae Miſero! cum etiam re bene ſuccedente, prae doloribus ringant aegri.* Si maior adfuerit calculus, a fortiter impellente hoc remedio, intra vreterum vel vrethrae meatus illum facile detrudi poſſe, atque eos tranſire non valentem dolores aucturum, monet FORSTEN [l]). Sed propulſioni nec maioris, nec minoris, nec arenularum conueniunt cantharides. Quis enim adeo infidum remedium leuis adeo animi Medicus propinaret, cum tutiora proſtent, quae illum limum et arenulas, ſine nouis doloribus inductis, et cum praeſentium leuamine eluunt, propellunt et eliminant. Non valido magis ſigillo munire poſſum ſinceras meas in hiſce caſibus omnibus dehortationes, quam ſi ſapientiſſimi BOERHAAVII ſignificantiſſima verba hic apponam [m]): *Quamdiu aeger dolores habet, manifeſtatur vias conſtringi, hinc donec durauerint dolores, nunquam excludet calculum, cogitate nunc, quod omnibus ſtimulantibus partes plus conſtringantur, hinc iis malum exaſperabitur, ſed date aegro talia, vt partes fiant paralyticae, date tenue oleum, date clyſmata, et Opium, hac ratione milleni curantur. Si teneatis globum ferreum cum aculeis in manu, an aliquis eum expelleret manum veſtram conſtringendo? anne facillime, ſi manum paralyticam efficere poſſet? Abſtineatis itaque, ab omnibus ſtimulantibus malum exaſperaturis.* Quidni tanto magis abſtinendum a ſtimulantiſſimis cantharidibus! Sed hactenus praecipue egi de imprudenti molimine pellendi et excernendi calculos per virulentum remedium, nondum ſatis egi de eo, huius beneficio vel maleficio, atterendo. Problema, an dentur medicamenta, quae calculum in veſica comminuunt, in partem affirmatiuam peculiari diſſertatione reſoluit Cl. SCHVLTZIVS. Agit ibi de lithontriptico *Horatii Augenii* ex millepedibus, addito oleo vitrioli, ſpiritu Vini et iure cicerum diſtemperato, cui potiſſimam curationis partem tribuit. Communi-

l) *p. 234. 235.*

m) *in comment. proprio, ad aph. 999.*

municat quoque ibidem *Schultzius* Epiſtolam *Laurembergii*, qui ſe ſanatum a calculo veſicae recenſet, vſu pulueris millepedum, cui modicam portionem acidi vitriolici adiecerat, creditque ille, quod hic citius ſanatus fuiſſet, ſi acidum maiori copia ſumſiſſet. Porro in ea opinione verſatur *Schultzius*, famoſum lithontripticum *Dippelii* fuiſſe medicinam ex acido vitriolico paratam, quod ipſi ſufficere videtur, toti negotio comminuendi calculum. Non inquiram, an ſi ſatis efficax foret, etiam ſatis tutum ſit, ſi praecipue diu vſurpetur. Aliud remedium *Iohannae Stephens* contra calculum renum et veſicae diuulgatum ex teſtis ouorum calcinatis et ſapone alicantico, cui *Parſons* Anglus ſeſe oppoſuerat, et inefficax eſſe et noxium, peculiari epiſtola Petropoli data et Göttingae impreſſa, ad Amicum *Hallerum* demonſtrauit Vir egregius *Ioh. Frid. Schreiber*, ibi largitus, quod acidum concentratum multa poſſit contra calculum. Multis encomiis pro atterendo calculo deinde commendata fuit aqua calcis viuae interne epotanda et in veſicam iniicienda a Praeconibus *Whytt*, *Langriſh* et *Butter*, anglis medicis praecipue. Martyrem a calculo ſumtis libris 17. ſaponis veneti, lactis libris 1500. et totidem libris aquae calcis, liberatum fuiſſe ab omnibus ſymptomatibus recenſet *de* HAEN [n]); at vero elapſo anno cathetere demonſtratum fuit, adeſſe adhuc, vt antea aderat, calculum. Praerogatiuam thermarum carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae, prae aqua calcis viuae peculiari ſchediaſmate [o]) per experimenta demonſtrare conatus eſt Cel. SPRINGSFELD. Ipſe eorum tum in Carolinis cum Illuſtriſſimo quodam aegro degens, praeſente ſimul Egregio Medico Lieberkühn, ad tempus eram ſpectator. Pulchre memini, me plus ſimplici vice optimis his Duumuiris oppoſuiſſe, licet de calculis ad tempus aquis medicatis carolinis immiſſis, ramenta ſecederent, eas tamen vires habere non poſſe vrinam a carolinarum potu, quam exererent ipſae. Vidi deinde Cel. BECHERVM [p]) tribuere omnino his aquis ſoteriis virtutem

n) *rat. med. Tom. III. p. 141. ſeq.*

o) *Lipſiae 1756*

p) *Abhandlung vom Carlsbade III. Theil XI. Abſchnitt.*

tutem eluendi calculoſam materiem ex viis vrinariis, ipſosque formatos ab ea cum ſabulo calculos, earum vero veram virtutem lithontripticam adhuc in dubium vocare, pluribusque experimentis et experientiis ad eam aſſerendam, opus eſſe. Non debeo obliuiſci vuae vrſi, quam calculoſorum ſolatium ſiſtit *de* HAEN[q]), tormenta eorum vſu eius mitigata ſaepe expertus eſt, ſed fateri coactus, calculum tamen cathetere teſte ſemper remanſiſſe. Videtur itaque nondum dari certum lithontripticum verum; dum tamen palliari omnino poſſunt et mitigari dolores variis remediis, ſectione non locum habente, aut denegata, temerarium foret velle in auxilium vocare formiduloſas cantharides.

q) *Tom. III. rat. med. p. 143. ſeq.*

Venio ad *Podagram.* Non capio certe, quomodo vlli Medicorum, vel per ſomnium in mentem venire potuerit, vt per tot ſecula anxie, ſed fruſtra quaeſitorum antipodagricorum remediorum catalogo cantharides inferret. Sed calculus et podagra morbi cognati ſunt, alternis vicibus vel ſimul ſaepe affligentes, quare in commendandis remediis facilis habetur et aequus, ſi in vno valeant, etiam ad alterum tranſitus. Sane quando in antecedentibus citatus GREENFIELD[r]) calculoſis conducere affirmabat cantharides, vſum earum internum etiam ad podagram neceſſario extendere debuit, et nonnullos ex conterraneis ſuis Medicos in eundem errorem abripere. Ab omni aeuo pro lenimine a podagricis, extra paroxyſmum et durante eo obtinendo, depraedicatum fuit, et experientia confirmatum lac, furiam hanc vincens, cuius virtus a mulcente, quod continet oleo, vnice deriuari poteſt. Si hoc iure tueatur ſuas laudes, quomodo vel tantillum acria, quomodo ſumme acres et irritantes cantharides ſumme irritanti et ſtimulanti materiae podagricae, de tyrannica ſua potentia aliquid detrahent? cantharides inquam, quarum lac ſummum eſt antidotum. Impoſſibile per rerum naturam eſt, vt illae proſint, et hoc. Equidem BOERHAAVIVS[s]) ſali vegetantium acri, alcalino fixo, igneo,

r) *Theat. of the ſafe internal Uſe of Canthar. Londini 1706.*

s) *Chem. II. p. 52. edit. Lipſ.*

igneo, eiusque liquori, oleum per deliquium appellato, virtutem antipodagricam adſcribit, ſed valde limitatam. *Vtique* inquit, *illa ſpecies podagrae, quae acido nimio ortum debet, forte vix curatur facilius, quam parco huius ſalis, ſed diu protracto vſu. Neque tamen proinde vniuerſale antipodagricum ſtatim laudari debet, quia nocet podagricis acriter bilioſis, quorumque humores iam ſponte in alcali putridum vergunt.* Notent hoc ſibi velim Medicinam empiricam ſine vlla ſana deliberatione facientes, qui hactenus ebuccinatum antipodagricum Gummi Guaiacum, Taffia ſiue ſpiritu ſachari ſolutum, ſtatim auide, vt noua omnia arripi ſolent, ambabus manibus ſuum fecerunt, et aegris liberaliter exhibuerunt. Riſi, ex quo illud apud nos innotuit, horum, et magis adhuc illorum ſimplicitatem, facile praeuidens, id incautis imponere breui ceſſaturum. Neque me hoc prognoſticum fefellit, audiui de irritis effectibus conquerentes, quin diris maledictionibus contra id detonantes. Ipſe, qui a Medicinae ſacris alienus nimis praeceps id laudibus ſuis extulerat Comes de *Treſſan*, Enthuſiaſmum ſuum intempeſtiuum fuiſſe, ſemetque ipſum fefelliſſe publice in diariis publicis gallicis teſtatus, atque nimios amatores ab vſu incongruo dehortatus eſt. Quis ſemiſana ratione vtens non introſpiceret, Gummi guaiacum, vt piper vrens, ſpirituoſo menſtruo ſolutum, dolori rodentiſſimo, vrentiſſimo podagrico, minus congruere, ſed potius aptiſſimum pabulum praebere. Et tamen fuere, qui ſuadente Medico ſub ipſo paroxyſmo heteroclitum hoc remedium magna fiducia adhibuerunt. Extra eum ferre vſum poſſunt ſubiecta aquoſa, pituitoſa, tenacibus ſuccis ſcatentia, laxa fibrarum fabrica inſtructa, ſi podagra laborent. His tamen magis conueniet decoctum Guaiaci aquoſum a PITCARNIO [t]) iam laudatum, et decoctum antipodagricum Viennenſe, quod lignum Guaiacum inter alia ingreditur. Temerarium autem eſſe cantharidum in hoc morbo vſum clariſſime conſpicitur. Quando materies arthritica interioribus nobi-

t) *Elem. Med.* c. 24. §. 27.

nobilioribusque partibus innidulatur, mala arte et diaetae vitiis retropulſa, aut viribus vitae inſufficientibus expelli et ad loca idonea externa deponi nequit, tum omnino cantharides in emplaſtris veſicantibus his applicatae magnum emolumentum praeſtant, ſaepeque adiuta iis, quae circulum augent et perſpirationem mouent, aegrum ex faucibus mortis eripiunt.

§. XIII.

in Hydrope.

Venio ad hydropem, in cuius medela antiquiſſimus eſt vſus internus cantharidum. Mentionem iam feci eum ab ipſa origine ſua explicans, potionis contra hydropem, ex cantharidibus concinnatae, quam HIPPOCRATES habet[a]). Quamuis vero deinde per multa ſecula ab hac praxi Medentes ſibi cauerint, aut rarius ad minimum eam ſuam fecerint, recentiori tamen aetate non pauci eandem aegris ſuis adaptarunt. CAPIVACCIVS[b]) cantharidum vnam, integram cum puluere rutae vel ſpicae, et iuris pulli pinguis vnciis quatuor vel ſex, ſumendam commendauit, hoc modo tuto et vtiliter dari cantharides in hydrope et aliis lotii ſuppreſſionibus, atque ab omnibus deſertos cantharidum vſu ſeſe reſtitutos fuiſſe aſſerit. Nobili Viro hydropico cantharides vt ſumeret in puluere conſuluit *Benedictus* SYLVATICVS[c]) vna cum puluere ammeos et rutae. Non ſaltem ſine detrimento, ſed maximo cum fructu et certiſſimo auxilio cantharides in hydrope adhiberi gloriatur *Ioſephus* SCHMIDT[d]). Extremum deſperati plane hydropis remedium a SCVLTETO[e]) et *Epiphanio* FERDINANDO[f]) appellantur, qui ad hoc deſcendendum eſſe inculcat, quando alia non proſunt, et ſpes eſt in anguſto, et tunc nixus auctoritate *Capivaccii* inquit, quod deſperati ad vitam reuocentur. *Valescus de Taranta*, ad quem prouocat FRICCIVS[g]), medicamentum laudat ex cantharidibus, quo multos anaſarca et aſcite laborantes ſe ſanauiſſe affirmat. Empirici Galli meminit ETTMVLLERVS[h]) qui puluerem exhibuit ex cantharidibus, in vrinae reten-

a) *de Victu acutorum ſect. 66.*

b) *Praxeos lib. III. c. 19.*

c) *Cent. III. conſ. 32.*

d) *Specul. Chirurg. lib. IV. p. 829.*

e) *Ephemer. Nat. Cur. anno V. et VI. obſ. 148.*

f) *Hiſt. med. 38. p. 117.*

g) *de Venenorum virtute medica p. 169.*

h) *in notis ad Schroed. de cantharid.*

tentione deſperata, et hydrope praeſtantiſſimum. Ad 4. vel 6. grana cum ſale alcalino, nitro et camphora dedit GRAINGER [i]). ALIX [k]) hydropico, nil proficientibus aliis remediis, puluerem cantharidum ad 4. grana exhibuit, monens vt multam aquam hordei ſuperbiberet, qui excuſſa aqua, roborantibus vſurpatis, conualuit intra ſpatium 6. hebdomadum. Securum et ſaepe verum remedium contra hydropem, eſſe cantharides, ad granum vnum ad tria, cum mercurio dulci, et camphora, multis experientiis comprobatum aſſerit AEPLI [l]). Vidit CLOSSIVS [m]) in hydropico, a cantharidibus interne ſumtis, copioſiſſimam excitatam diureſin, an morbo per eandem ſanato, an minus, non adiicitur. Ill. HOFFMANNVS [n]), cantharides interne exhibitas maximum leuamentum adferre notat, quia irritando nerueas tunicas, fortiorem reddunt arteriarum ſyſtolen, qua vniuerſa ſanguinis et humorum maſſa velociore curſu per vaſa fertur, et veteres ſubinde obſtructiones hac ratione reſoluuntur. Et alio loco [o]), de ſpecifica quorundam remediorum in certis morbis efficacia agens. *Quia per vrinae fluxum* inquit, *hydropicus tumor abſumitur, puluis cantharidum cum ſale tartari mixtus, additis aliquot ad arcendam inflammationem, nitri depurati granis, et vno camphorae, largiſſimae diureſi inſeruit,* modo *humores ad hanc excretionem ſint diſpoſiti.* Notabile autem eſt, quod dum de hydrope ex inſtituto agit [p]) Vir eximius, atque diuretica laudat, cantharidum ne verbulo quidem mentionem iniiciat, ſed fere omnia ſalibus tribuat, non diuretica ſaltem, ſed ſimul attenuante et viſcidos humores diſſoluente virtute gaudentibus. Neque etiam cantharides, quibus ſalia haec multis modis praeferenda ſunt, vtpote et potentia, et ſecura, vlli aegrorum, quorum hiſtorias ſuppeditat, praeſcripſit. Notatu dignum etiam eſt, MERCVRIALEM [q]), qui cantharides bene notas habuit, et in febribus putridis veſicatoria commendauit, internum tamen vſum periculoſum habere, atque conſulere, eas in hydrope non

i) *hiſt. febr. anomal. edimburg. 1753. p. 130.*

k) *Obſ. chir. faſc. I. obſ. 8.*

l) *Prüfung der ſpaniſchen Fliege p. 17.*

m) *de noua methodo ſanandi Variolas p. 24.*

n) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. 8. §. 6. in ſcholio.*

o) *Med. Syſt. Tom III. ſect. II. c. 8. §. 14.*

p) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. c. 14. p. 499.*

q) *Med. Pract. lib. III. c. 24. de hydrope p. 379.*

non adhibendas eſſe, niſi in extrema neceſſitate. Parua doſi cantharides nominat Cel. MONRO [r]) ſed non commendat, aut ſe iis vſum fuiſſe dicit. Eruditiſſimus et Expertiſſimus HEVCHERVS [s]) antea Profeſſor Vitembergenſis, deinde Archiater Regis Polon. Auguſti II. de diureticis remediis in genere ſcribit, quod magna circumſpectione in hydrope exhiberi debeant. Dum iudicium ſuum de nonnullis ſuppeditat, ſe quidem ſuadere vſum depraedicati a *Wiero* ſalis bufonum poſſe, ſed acrimoniam inſignem ipſum impedire dicit, quo minus hoc faciat. De cantharidibus, quarum acrimonia longe eminentior eſt, prorſus tacet, addit interea, ſecundum ſuam ſententiam, inconſultae eſſe temeritatis, et prudentiae medicae aduerſum, vti velle Medicamentis, quae pluribus Medicis ſuſpecta videantur. Prorſus ita ſentit Ill. *van* SWIETEN [t]), *Millepedum* inquiens *cum vino contritorum expreſſum ſuccum in hydrope laudauerunt plures*, *et profuiſſe noui; cantharides auſi fuerunt dare quidam*, *ſed peſſima quandoque ſequuntur mala*, *quae iam Dioſcorides graphice deſcripſit. Vnde cum tuta et ſatis efficacia remedia diuretica habeantur*, *prudentiores cantharidibus abſtinere ſolent.* In elegantiſſima methodo medendi Hydropi, quam ſuppeditat Ill. STÖRCK [u]) nullibi cantharides inuenio. Neque etiam magni Veſicantium Patroni *de Haen* et *Pringle* interne ipſis vſi ſunt, licet in Pharmacopoeia Londinenſi, et Edinburgenſi habeatur infelix Tinctura Cantharidum, a Leidenſi exulare iuſſa. Exhibentur Cantharides hydropicis nullo alio fine, quam vt propellant vrinam, cuius profluxu ſaepius plus, quam euacuationibus per aluum illi leuantur, vrinam inquam, cuius toties doloroſiſſimam excretionem, quin et ſuppreſſionem inducunt. Si vero pellerent ſine noxa, an proinde reſerarent viſcera, quorum obſtructio potior cauſa eſt ſtagnationis et collectionis aquarum? nonne alia pharmaca ſecura, quae et diuretica ſunt et ſimul potentia reſoluentia conſultius exhibebuntur? Quam male ad hydropem ſanandum cantharides quadrent, vel ex eo clariſſime

r) *Eſſai ſur l'hydropiſie p. 88.*

s) *diſſ. de cautionibus in cognoſcendo curandoque hydrope neceſſariis.*

t) *Tom. IV. ad aph. 1243. p. 258.*

u) *Anno medico I p. 82. et II. p. 175.*

 intelli-

intelligitur, quod externe adeo in veſicatoriis applicatae viſibiles noxas inferant. *Ludouicus* SEPTALIVS [x]) teſtatur, ſe 40. annorum ſpatio, quo medicinam Mediolani fecerit, nullos vnquam, quibus a Medicis veſicantia admota, curatos vidiſſe, ſed ſemper gangraenas ſubſecutas, curatu impoſſibiles. Noui bene, HOFFMANNVM [y]) in ea verſari ſententia, in anaſarca, hydrope, ſubito, vt ex menſium vel haemorrhoidum ſuppreſſione, prognato, ſi viſcera adhuc ſint ſalua, vires non proſtratae, vrina non pauca, et tenuis, nulla febris, veſicatoria locum habere poſſe, quia quandoque ipſa natura ſponte ſaepe veſicas excitat, et per easdem a copia ſeri cum euphoria ſeſe liberat. Sed noui etiam rectiſſime monere laudatum iam HEVCHERVM [z]), *in hydrope cauendum eſſe a Chirurgis*, et licet ſint, qui ad puſtulas ſponte in cruribus cum euphoria erumpentes, prouocent, plurimum intereſſe, natura an ars veſiculas excitet, et exitum quaeſierit. *Heucherus* ideo veſicatoria haud probat, *Fabricium Hildanum* conſentientem habens. Noui quoque, Cel. *de* GORTER commentantem in aphoriſmum *Hippocratis* [a]) *Hydropicis vlcera in corpore orta non facile ſanantur*, aſſerere, ſe obſeruauiſſe in particulari hydrope, vt pectoris, ſi ſimul et ſemel humor ſe exonerare poteſt, vlcera ſponte vel et veſicatoriis, in cruribus facta, ſummum attuliſſe leuamen. At vero ſimul addit: *Si in Generali hydrope, omnis lympha acris euacuanda ſit, per vnam partem corroſam, partes ambientes continua colluvie vexatae vt plurimum moriuntur, ſeu ſphaceleſcunt. Hinc tutum non eſt, in hydrope generali concitare emunctorium particulare, neque etiam ſanitatem promittit, ſi quis ſponte acquirat in aliqua parte vlcus fundens* lympham. *In aſcite talia vlcera multum liquidi plorarunt, ſed poſt euacuatum laticem perierunt aegri.* Ab Empiricis ſaltem, aſſerente hoc SYDENHAMO [b]) veſicatoria applicari ſolita ſaepenumero gangraenam inuitant, plus ſatis in hoc caſu familiarem. Idem affirmat MONRO [c]), magnam quidem ea interdum quantitatem ſeri extrahere largitus,

x) *in animadv. medicis lib. VII. caut. 56.*

y) *diſſ. de Veſicantibus* §. 18.

z) *diſſ. cit. caut. 14.*

a) *lib. VI. aph. 8. in ſua Medicina hippocratica.*

b) *Operum p. 635.*

c) *l. c. p. 833.*

gitus, ſed non ſine periculo naſciturae gangraenae, quare qualecumque aliud auxilium huic methodo praeferendum eſſe ait. Legitur quidem apud RIVERIVM [d]) Obſeruatio de Hydropico, multis veſicatoriis admotis in multis partibus a Pharmacopoeo curato, ſed frigide nimis ſcripta eſt, neque lectorem commouere apta. Magis autem conſiderari meretur hiſtoria foeminae apud HILDANVM [e]) paucis diebus elapſis mortuae, poſtquam ex conſilio imperiti Medici tibiis eius veſicatoria admota fuerant. Iuuenem habet MONRO [f]), cuius Anaſarca laborantis pedibus applicata fuerunt Veſicantia, aquae fere omnes effluebant, ſed breui gangraena moriebatur. Idem fatum expertus eſt Senex aliquis, hoc morbo afflictus, cui ruſtici ſuaſu ſuris applicatum fuerat tantum rubefaciens, ex contuſo naſturtio, quod gangraenam induxit, nulli remedio cedentem. Noui leuiores ſcarifationes cuticulae, (veſicatoriis certe multo minus irritantes) a quibus magnum ſolamen promittebatur, breui eam poſt ſe traxiſſe, noui, eam illis praegreſſis, ne quidem mature applicato decocto corticis peruuiani cum vino auſtriaco parato, auerti potuiſſe.

d) *in Obſerv. a Iacoz communicatis, No. 12.*

e) *Cent. I. Obſ. 49.*

f) *p. 133.*

* * *

Nunc autem obſecro Lectores meos, vt ſerio penſitent, quomodo cantharides, interioribus corporis partibus, viſceribusque, nulla cute tectis applicatae, in hydrope ſeſe geſſurae ſint. Quodſi enim in largioribus etiam vehiculis, aut aliis pharmacis immiſtae, aut lenientibus emulſiuis inuolutae ingerantur, non tamen tales eſſe deſinent, quales ſunt, vt in emplaſtro foris admotae, aliis eius ingredientibus immerſae, acres et rodentes eſſe pergunt, venenum ſuum ſepticum nunquam depoſiturae, nequitiam innatam nunquam exuturae. Quodſi etiam cum camphora pro corrigente habita nitrum ſimul ſumtum inflammationi exulceranti, quam inferunt, inhibendae deſtinetur, tamen ſal earum cauſticum eapropter rodere et

vrere non intermittet, ſed pro doſeos ratione magis minuſque id aget, quod ex ſua natura agere ſolet. Igitur id ſemper ſuos effectus neceſſarios edet, etiam in hydrope adhuc frigido, in quo tamen rudiores purgantium et emeticorum ſtimulos ferente, interdum vel aliquod boni patrare aut non euidenter nocere poterit. Quodſi autem iam ingens vexet ſitis, cauſa ex deſcriptione BOERHAAVII[g]) fuerit calida, morbus cum febre calida, quae ſenſim accedere ſolet; ſi vrina pauca et intenſe rubra mingatur, ſi pedes antea pallidi et inſtar marmoris frigidi, rubicundum colorem induerint, et caleant, ſi omnia haec phoenomena humorum alcaleſcentiam palam eloquantur, an hanc oppugnare licebit ſeptico veneno, quod blandiſſima hactenus temperie pellens ſerum, in ſano homine acrimonia ſua inficit, ſanguinemque integerrimum in liquamen putredinem induens diſſoluit, vt in ſequentibus videbimus. An licebit confugere ad virus, omni rodentiſſimo alcali fortius exedens, quando ſoli ſaponacei ſucci plantarum cum nitro, ſola acida et aceſcentia tamarindi, cremor tartari, quem adeo vtilem in omni hydrope inuenit MENGHINI[h]), CALDANI[i]) et TISSOT[k]), et ſimilia indicantur. Dum textui hippocratico antea allegato commentarium ſuum adaptat *Galenus*, duo recenſet exempla hydropicorum, qui ab exhibitis cantharidibus primo melius quidem ſe habere viſi ſunt, ſed poſt aliquot dies in viuis eſſe deſierunt. Lactare haec euanida ſpes tantum poteſt hydropem frigidum, calidum autem nequaquam, nam hic per cantharides ſubito in deterius neceſſario ruere debet, tragoedia omni ad finem ſuum feſtinante.

g) *aph.* 1234.

h) *in actis bononienſibus Tom. IV.*

i) *Giornale di Medicina* 1762.

k) *in epiſtolis, de Hydrope.*

§. XIV.

in Gonorrhoea virulenta.

Non poſſum non iam meminiſſe Gonorrhoeae virulentae, in qua ſananda, maxime ſi pertinax fuerit et refractaria, cantharidibus prolixa elogia ſcribunt nonnulli clari Viri. BARTHOLINVS[a]) tanquam ſpecificum commendat infuſum canthari-

a) *Hiſt. anat. Cent. IV. epiſt.* 53. *et Cent. V. hiſt.* 82.

tharidum cum vino rhenano, vel ſpiritu Vini. Similia remedia laudat LISTERVS [b]). *Paulus* HERRMANNVS [c]) magni facit puluerem cantharidum, parca doſi; et infuſum, addito oleo terebinthinae paratum ceu extremum remedium in Gonorrhoea virulenta, inueterata etiam, pro iniectione depraedicat. BLANCARDVS [d]) tincturam cantharidum terebinthinatam ſimiliter extollit. ALBERTI [e]) remedium bartholinianum ad Gonorrhoeam contumacem laudat. WERLHOF [f]) ſe cantharides cum oſſe ſepiae cum fructu dediſſe memorat. *Mead* Tincturam ex rheo, gumm. guaj. lacca, cantharidibus contuſis, coccinella, cum ſpiritu Vini paratam, ſemper ſe efficaciſſimam expertum fuiſſe refert, a guttis 30. ad 50. mane et ſero, quantum ſcilicet ſine vrinae difficultatis metu ferri poſſit. Facile clarum eſt, omnia alia ingredientia largiores doſes conceſſura fuiſſe, ſi abfuiſſent cantharides; hae dum largiori doſi timendae eſſent, reliqua nimis parcis doſibus praeberi debebant, quae ita iudicante *van* SWIETEN [g]) vix quicquam virtutis medicae praeſtare poſſunt, omnem ergo vim remedii pendere a cantharidibus. Vix concipi poteſt, quomodo tot doctis peritisque Viris haec medendi methodus in mentem venerit. Cantharides ſua natiua prauitate, aſſumtae efficiunt ſtranguriam, dyſuriam, inflammationem, eroſionem, exulcerationem veſicae. Similia prorſus mala in gonorrhoea virulenta inducit virus venereum. Quomodo igitur vlla ratione Gonorrhoeam leuare, ne dicam ſanare poterunt cantharides? Habet BARTHOLINVS [h]) ipſe hiſtoriam de cantharidibus ſtranguriae cauſa, et tamen aliis locis [i]) infuſum cantharidum tanquam ſpecificum in ſtranguria venerea commendat. Aut acre cantharidum ſuperare aptum eſt acre venereum, vt alcali ſuperat acidum, et contra, quod nemo facile aſſeruerit, aut inconuenienter vnum acre alteri opponitur. Dehortantur omnes prudentes Practici, quamdiu in Gonorrhoea difficultas et ardor vrinae adeſt, dolorque in vrethra perdurat, ab vſu terebinthinae,

b) *in exercit. med. exercit. 4. de lue venerea.*

c) *Cynoſ. mat. med. Part. II.*

d) *Chirurg. lib. III. c. 35.*

e) *Therap. med. ſect. VIII. c. 18. et Mat. med. Sect. II. cap. I. §. 9.*

f) *Comm. litt. norimb. 1753. pag. 35.*

g) *Tom. V. §. 1458. p. 486.*

h) *Cent. II. 21.*

i) *Cent. IV. et V.*

balſa-

balſamorumque omnium calidorum et acrium; abeſſe volunt in cibo et potu omnia qualiacunque ſtimulantia, quomodo igitur acerrimae et cauſticae cantharides vtilitatem afferre poſſent? Rectiſſime monet Cel. ASTRVC [k]) in Gonorrhoea dyſuriam eſſe inflammatoriam, et eapropter poſcere diuretica, temperantia demulcentia, quae frigida dicuntur, quae ſola iuvare poſſunt. Si ergo adhibeatur diureticum phlogiſticum et corroſiuum, neceſſe eſt, vt omnia mala exacerbentur et ingraveſcant. Deterſio vlceris vanus et inanis praetextus eſt, quoties cantharides praebentur. Dum purgantibus repetitis, in quibus potior pars medelae ſita eſt, virus aliorſum diuertitur et excutitur, ſola demulcentia, emollientia emulſiua ſufficienter detergunt. Nimis ruditer vlcus detergunt et repurgant balſama calida, et ardores doloresque toties augent, an cantharides mollius et mitius detergent, ſi vel ſolae vel cum illis balſamis praebeantur? Minime credo! detergent potius noua ſemper inducta phlogoſi, et exulceratione. Serio ergo horum vſum diſſuadet *van* SWIETEN [l]), qui inter alia conſiderandum proponit, tentiginem veneream excitari acribus diureticis, omnium maxime cantharidibus, verum omnibus in confeſſo eſſe dicit, nil magis obeſſe curationi Gonorrhoeae, quam venerem, prudentesque Medicos adeo omni modo cauere, ne penis fiat erectio, eaque propter tenuiſſimam diaetam imperare vitandaque omnia iniungere, quae libidinoſis cogitationibus occaſionem ſuppeditarent. Centurioni, viro vegeto, ſtillicidii a ſanata Gonorrhoea pertaeſo, exhibuerat Chirurgus aliquam tincturam cantharidum, cuius largiorem doſin praeſcripta ſumſerat. Incidit in ardorem ventriculi ſummum cum febre, iſchuria et ſatyriaſi. Mala haec oppugnabantur emulſionibus, balneis, nitro cum pauxillo camphorae, iniectione olei lini, ceſſabant ſymptomata 20. die, die 30. redibat Gonorrhoea, quae ſiluerat ſaeuientibus ſymptomatibus, methodo ordinaria dein ſanata [m]). Nonne optime ſcripſit ASTRVC [n]), ſe nolle Autorem

k) *de morbis venereis p.* 201.

l) *Tom. V. p.* 486.

m) *Forſten p.* 207.

n) *l. c. p.* 202.

rem eſſe cuiquam, vt cantharides interne adhibeat, cum tot alia remedia ad Gonorrhoeam praeſto ſint, opportuna, praeſentanea, tuta, internusque cantharidum vſus gonorrhoea qualicunque ſemper peior ſit et periculoſior.

§. XV.

ad ſtimulandam Venerem.

Supereſt vſus cantharidum aphrodiſiacus, et languidae per naturam et aetatem veneri excitandae, et ſatis iam vegetae alacrisque, ad extremam potentiam extendendae deſtinatus. Verum eſt, quod aſſerit WEDELIVS [a]), inter omnia ſalina et acria volatilia, prae carnibus ſtinci marini, ſale communi, lacte ſic dicto halecum, borrace veneta, etc. potentiſſime venerem exſtimulare cantharides. Eos in fines in Officinis proſtat *Electuarium Magnanimitatis Zwelferi*, quod cum condita radice ſatyr., confectione alkermes etc. cantharides recipit. Habent eas etiam *rotulae ſtimulantes Mynſichti.* Suaſit ipſe hoc ſcopo cantharides PLATERVS [b]) et effectum notauit. Vim cantharidum expertus eſt vir 59. annorum, qui prolem deſiderans ab aſſumtis modo citatis rotulis, notante WEDELIO [c]) viriliter ſeſe geſſit. Deuoratum nouit *Electuarium Zwelferianum* ALBINVS [d]) et miratum ſeſe ſcribit, id funeſto non factum fuiſſe euentu. Hunc vero nimis ſaepe ſecutum fuiſſe experientia loquitur. De periculoſo vſu cantharidum pro proritanda Venere obſeruationes proſtant apud SALMVTHVM [e]), et paſſim in *Miſcellaneis Naturae Curioſorum.* Iuuenis, qui eas pro augenda coeundi virtute et frequentia ſumſerat, dolorum cruciatibus et animi deliquio ſubortis, dementiae ſuae poenas dedit [f]). Alius ab hoc venenoſo aphrodiſiaco cum ſtinco marino et rad. ſatyrionis deglutito, inſatiabili coeundi deſiderio vexatus deficiente ſemine ſanguinem profudit, ad mortem vſque [g]). Stultus Amaſius vt Amicae deſideratum exſolueret penſum, electuarium diaſatyrionis cum cantharidibus in ſubſidium vocauit. At cum enormi priapismo, et

a) *mat. med. p.* 480.

b) *obſ. lib. I. p.* 239.

c) *mat. med. p.* 484.

d) *diſſ de Cantharidibus. §.* 8.

e) *Cent. III. obſ.* 23.

f) *Dec. II. Anno VII. obſ.* 256.

g) *Dec. I. Anno IX et X. obſ.* 148.

mictu ſanguinis, incaſſum adhibitis remediis, acerbiſſima et aeſtuoſiſſima morte periit [h]). Sed miſericordiam merebatur homo, qui a Vetula Medicamentum, cui intererant cantharides acceperat, pro quartana fuganda: hic enormi ſatyriaſi correptus ex amplexubus laſſatae ad nauſeam vxoris libitinariis ceſſit [i]). Plura apud Autores et Obſeruatores exempla habentur [k]). Sexagenarius Viduus vxore mediae aetatis ducta vt ſe virum, quod annorum vitio eſſe deſinebat, nihilominus oſtenderet, Apothecarium adit et ab eo auxilium petiit. Accipiebat cantharides ſyrupo cuidam admixtas, his deuoratis vxori accubans tentiginem experiebatur, ſed varia incommoda paſſus mane ſtranguriae non tolerandis ardoribus lancinabatur, vrinamque ſanguineam reddebat, variis tamen remediis tandem ſanabatur, monitus ne tanti tantillum voluptatis vel potius poenitentiam emeret [l]). Infelicior erat alius ſexagenarius validus, robuſtus. Hic vt languentem excitaret Venerem, ſumſit cantharidum pulueriſatarum drachmam, brevi ſentit vrinae ſummam difficultatem. Medicus ſequenti mane inuenit toto corpore frigidum et ſudore madentem, pulſu vix perceptibili, extremis gelidiſſimis. Periit poſt paucas horas. In cadauere inter alia veſica inuenta eſt tota liuida et gangraenoſa [m]). In viuis hic manſiſſet, ſi quod fecit *Alexander* BENEDICTVS, qui Septuagenario in effoeta ſenectute virilitatem deſideranti, loco diaſatyrionis promiſſi, diaphoenicon praeſcripſit, quod inter amplexus meretricis ventrem ſollicitauit et ſedibus motis eum a laudabilium ſuccorum dilapidatione praeſeruauit [n]). Caueant ab his artibus ſollicite, maxime feſſa et debilitata natura renuente, vagae brutaliſque libidinis ſectatores, qui ſummum bonum in lupanariis quaerunt, et infernali oeſtro in vilia et communia ſcorta et venalia proſtibula feruntur, quae vt olim Meſſalina reſupina iacent, multorumque ictus abſorbent, viris quidem laſſata, ſed nunquam ſatiata recedunt. Non indigent foedis his ſtimulis, qui naturae incitamenta ſe-

quen-

h) *Dec. I. Anno IX. et X. obſ. 34.*

i) *Iob a Meckern obſ. med. chir. c. 34.*

k) *vt apud Foreſtum lib. XXIV obſ. 7. et Schenckium lib. VII. de Venenis animal. obſ. 39. et Langium epiſt. med. lib. I. epiſt. 47.*

l) *Heers obſ. lib. I. obſ. 9.*

m) *Barrere obſ Anat. pag. 205.*

n) *de curat Morb. lib. XXIV. c. 18.*

quentes in caſtum thorum ad licitos amplexus, Bacho et Cere-re comitibus, blandientis Amicae phyſicis et moralibus Vene-ribus inuitantur. Haec omnia cum ita ſeſe habeant, repetitis experientiis infallibilibus teſtibus, nonne audiendus erit BA-GLIVVS °) quando ſcribit: *Cantharides per os ſumtae, vel con-tra iſchuriam deſperatam, vel ad excitandam Venerem, vel contra gonorrhoeam virulentam, ſolent peſſima producere ſym-ptomata, primo quidem exulceratur veſica, et meatus vrina-rius, deinde paulatim inflammatur hepar, et eroduntur inteſti-na, immenſique dolores in hypogaſtrio oriuntur, quos mentis alienatio et mors ſubſequitur, niſi ſtatim foras expellantur can-tharides, vel earum vis infringatur lacte.* Idem de Veneno hoc cauſtico, vt cantharides iure vocat, deque earum delete-riis effectibus memorat CARTHEVSER p), atque licet quidam eas interne propinent, *abſit* tamen dicit, *vt rationalium vllus anceps hoc conſilium et periculoſa veſtigia ſimpliciter ſequatur.* Aegre tamen fero, Optimum Virum ea non rotunde prorſus reiecta ex medicinali ſupellectile voluiſſe. Concedit nempe, vſum internum in ſubiectis robuſtis, et durioris vitae generis, non ſemper grauiorem et conſpicuam noxam inferre, ſed con-ſcientia ductus ſtatim addit: inde tamen ad vſus ſecuritatem ſo-lidam concluſionem formari poſſe nego, et in hoc paſſu ſin-gulos Medicos conſcientioſos mecum conſentientes habitu-rum eſſe credo. At ne forte haec ſententia nonnullis nimis rigida et damnatoria videatur, in horum gratiam pergit: *Va-lent tamen memorata de vſu cantharidum ſolitario, at mitius iudicium ferendum erit quando puluis refracta doſi oleoſis, mu-cilaginoſis, gelatinoſis, corrigentibus additur, et torpidioris naturae hominibus, quibus potentiora ſtimulantia minus nocent, duntaxat exhibetur.* Videtur optimus *Cartheuſer* ſeſe modo dextrorſum modo ſiniſtrorſum vertere, modo ſerio vultu can-tharides intueri, easque repudiatas velle, modo iterum quaſi paſſim ciuitate donatis indulgere, et a venenoſa earum indole

o) *diſſ. de Veſicantibus Operum, pag. 654.*

p) *Mat. med. I. p. 486.*

ſibi tamen aliquem bonum effectum promittere. Verum omnes conditiones circa vſum internum nullius vſus ſunt, niſi aſſerere voluerimus, prorſus internis cantharidibus artem carere non poſſe, quod ego quidem magna fiducia affirmo. Vitio quoque verto laudatiſſimo coeteroquin BAGLIVO [q]), quod expoſitis commodis Veſicantium, quae in variis morbis negari nequeant, de infuſo cantharidum ad modum *Bartholini* verba faciens, quaerat, an hoc remedium tentari poſſit per os, in obſtructionibus, cachexiis, ſuppreſſionibus menſium aliisque morbis, a ſanguine craſſo et coagulato oriundis, medicosque hortatur, vt experimenta faciant. Sane meo iudicio in omnibus ſubiectis, omnibus morbis, ſine exceptione, citius, tardius, magis minusque internus vſus nocet, dumque ſecuriora et valida praeſidia aperientia et reſerantia exſtant, cur non tandem cantharidibus omnem aditum in os humanum et viſcera ſimpliciter prohibemus? Quis facile arſenicum, venenum corroſiuum, vt ſunt cantharides, mitius declararet, et addi poſſe remediorum catalogo cenſeret, quia lacte eius rodens ingenium, vt cantharidum, vinci poteſt? Quis circumſpectorum Practicorum laudibus decantatis *Lemery*, *Wepferi*, *Meyeri*, *Friccii* aliorumque moueretur, vt ipſi ſpecifici febrifugi honores aſſereret? Idem iudicium eſto de cantharidibus, pro ſcopo necandi non ſemel furtim exhibitis. Vellemusne canem rabidum in aedibus noſtris ferre, ipſique cuſtodiam noſtrorum corporum, noſtrarumque opum et facultatum committere, nilque mali ab eo metuere, ſi quotidie iusculis pinguibus paſceretur, pro ſaliua eius venenoſa corrigenda, quando moloſſi minus mordaces et tamen ſatis vigiles praeſto ſunt? Impenſe doleo, editores Pharmocopoeiae londinenſis et edinburgenſis in ſuccincto remediorum apparatu tincturae cantharidum locum feciſſe, quem alii longe ſalubriori remedio, forte omiſſo, aſſignare poterant. Vereor enim, ne tantorum Virorum auctoritas medicos quosdam, qui infida et infa-

q) *Operum p. 660.*

inſamia, vt aurum fulminans, et alia ad generoſorum familiam nimis faciles referunt, cantharidibus fauere pergant, iisque peſſime abutantur. Claudo cogitata mea verbis Ill. WERLHOFII [r]) quae non de arſenico ſaltem, ſed et de cantharidibus, quibus, quod doleo, tantus Vir locum aliquem inter remedia reliquit, ſcripta vellem. *Valeant maligna pharmaca, et plena aleae, cum et magis exploratas et ſecuriores medelas, quarum praebia quoad opus eſt, augere et continuare poſſis, benigna largiatur Natura.* Merito *van* SWIETEN vſum cantharidum internum ſuſpectum habuit, et prudentiores Medicos ab iis abſtinere ſcripſit [s]).

r) *Obſerv. de febribus p. 52.*

s) *Tom. III. p. 301.*

§. XVI.

Quomodo externe agant cantharides, in partem cui applicantur.

Hactenus de vſu cantharidum interno, inſecuro, noxio, et ſaepe mortifero, verba feci, iam cum de externo potiſſimum agere ſuſceperim ad emplaſtra veſicatoria iisdem praegnantia, eorundemque applicationem me conuertam. Vt autem actionem ſtimuli, qui cantharidum ſali ineſt, clariſſime intelligamus, accuratius cognoſcere debemus ipſum ſubiectum, in quod is proxime et immediate agit. Sciendum igitur eſt, cuticulam ſubſtantiae cutis, cui adiacet, firmiter adhaereſcere. Cuticulae immediate ſubiacet, quod hac ſecedente et remota in conſpectum venit, reticulare corpus Malpighii, cuius fibroſa ſtamina telae inſtar ſe mutuo alterne ſecant [a]). Ex reticularis huius corporis foraminulis papillae pyramidales egrediuntur, quae in extimam cuticulam deſinunt. Inter papillas autem has vaſcula decurrunt, tubulique ex minutiſſimis miliaribus glandulis, in cuticulam, innumeris poris minoribus maioribusque perforatam hiantes, ex quibus ſerum perſpirabile et ſudor erumpit. Ipſa cuticula, ex minutiſſimis ſquamulis arcte ſibi ipſis incumbentibus et cohaerentibus conſtans, vaſculis nullis iniectionibus detegendis carens, tota inſenſilis eſt. Tanto vero acutiore ſenſu pollent papillulae citatae, neruulique cutanei,

a) *Vid. Malpighius de tactus Organo.*

tanei, cum omni cute, quae robuſta membrana eſt. Haec tota, ſi in ea fibras tendineas cum HALLERO[b]) non admittas, ex filamentis tamen, arteriis et venis ſanguiferis maioribus et minoribus, tenues vapores exhalantibus et inhalantibus, hosque, aut liquidum ſudoris forma emittentibus, a Ruyſchio detectis, neruisque numeroſiſſimis conſtat. Dum nunc applicantur cantharides vel cum fermento acri, vel cum cera, pice, terebinthina, variisque reſinoſis in emplaſtrum redactae, ſalia earum acria et cauſtica a calore naturali et humore perſpirabili ſoluta, extricata et quaſi animata (namque in cadaver non agunt) per poros illaeſae epidermidis, in quam ob vaſa plane nulla, vel pauciſſima, vis vitae admodum debilis eſt, penetrant, obuias papillulas et neruulos vellicant, irritant, affluxum copioſiorem humorum vt omnes ſtimuli per leges microcoſmicas cient, lateribus vaſculorum perſpirationi et ſudori materiem praebentium ſeſe inſigunt, eaque ſtimulant, exedunt, exurunt, et disrumpunt, vnde latex ſeroſus ex vasculis glandulisque cutaneis confertim effluit, ichorem ſiſtens, qui particulis acribus cauſticis praegnans eſt et infectus. Ichor hic colligitur ſub cuticula, a cute ceu a feruente aqua ſeparata, in bullas plures ab eodem eleuata, inque vnam tandem deſinente, ob copiam autem et viſciditatem porulos illius egredi nequit. Sub hac vel ſponte rupta vel diſciſſa, cutis deinde nuda, dolens, tumens, rubens, inflammata, et exulcerata conſpicitur *). Recte igitur HOFFMANNVS[c]) cantharidibus vim inflammatoriam tribuit. Optime quoque notat *van* SWIETEN[d]), has corpori externo applicatas inflammationem excitare, et ſi nimis diu relinquantur, ſummo cum dolore partes profunde exulcerare. Quin obſeruatum eſt, aliquando Veſicatoria adeo gangraenam induxiſſe. Puellae duo-

b) *Phyſiol. Tom. V. pag. 3.*

c) *Med. Syſt. Tom. II. p. 281.*

d) *Comment. II. ad aph. 603.*

*) Eadem ratione fuſe et eleganter veſicantium actionem in cutem, et eius effectus explicat *Forſten p.* 133.

duorum annorum cum dimidio, applicandum eiusmodi emplaſtrum vt efficacius redderet, Pharmacopoeius conſperſit puluere cantharidum, vnde cutis exuſta et tota illa pars quae a Veſicatorio tegebatur ſequenti die gangraena affecta apparuit [e]). Ne vero vni cutis teneritudini et tenellulae aetati, ad quas omnino exaltatum veſicatorium haud quadrabat, infauſtus hic euentus adſcribatur, referre debeo, *Rolfinckio* ſeni idem fatum obtigiſſe a ſimplici Veſicatorio, mortemque eius hac ratione maturatam fuiſſe [f]). Gangraenam a canthariidbus applicatis habet RHODIVS [g]). In artubus inferioribus, haud raro a venenato humore traiecto, vlcera maligna ac curatu admodum difficilia, et ipſas Gangraenas praeſertim in Senioribus oriri, notat MORTON [h]). Miles ex obſeruat. Cel. *Pringle* quem allegat de HAEN [i]) febre petechiali laborans, a Veſicatorio dorſo applicato gangraenam paſſus eſt. Bononiae multos vidit BAGLIVVS [k]) gangraenoſis Veſicantium vlceribus periiſſe, gangraenamque frequenter generare veſicantia, praeſertim in gracili et calido corporis habitu, atque aeſtiuo tempore, obſeruauit nunquamque magis gangraenam concipere vlcera veſicantium, quam ſi doſis cantharidum ſit nimia. Vlcus ſummae malitiae gangraenoſum et late ſerpens a Veſicatorio pro ſananda ophthalmia applicato habet SCHWENCKFELD [l]).

e) *Riuerius Cent. II. obſ. 87.*

f) *Hoffm. diſſ. de Veſicantibus §. 3. in fine.*

g) *Obſerv. med Cent. III. obſ 88.*

h) *Exercit. II. de morbis vniverſalibus acutis c. 7. pag 187.*

i) *Rat medendi Part. II. pag 74.*

k) *vide eius diſſ. de Veſicantibus c. II. ſ. 1. 2. 3. 4.*

l) *Theriotroph. Sileſ. lib. VI.*

§. XVII.

Actio earum in interiora corporis ſe diffundit.

Iam vero accuratius inquirendum eſt, an operatio veſicatorii ita depicta, inflammans, exulcerans, gangraenam interdum inducens, in loco, cui plagam intulit, vnice ſubſiſtat, et terminetur; ſin minus, quales mutationes praeterea liquidis et ſolidis corporis humani inferat. Recte, vt iam annotaui, Cel. FREIND [a]) taxat Medicos, quod ad id, quod oculis expoſitum eſt vnice attendant, et in ipſo limine quaſi ſubſiſtant, atque quicquid a Veſicantibus eueniat, ab vna ſeri euacuatione deri-

a) *Comment. IX. de Veſicantibus p. 60.*

deriuare ſatis habeant. Pergit deinde: *Intra externos limites, inque ſeri euacuatione conſiſtere non videtur virtus cantharidum, neque mirifica earum virtus explicari poteſt, niſi rationem eam, qua non modo cutim, ſed et ſanguinem afficiant, aſſequamur.* Multus deinde eſt [b]), vt probet, abſorptas in cute cantharidum particulas vere ſeſe inſinuare humorum oceano, ſanguinemque ipſum immutare, inuehiturque in eos, qui interiorem hanc veſicatorii vim negant et tamen exinde malorum in vrinae meatibus explicationem inſtituunt, ſic fatentes vltro cantharidum particulas in ſanguinem penetrauiſſe. Id omne ante *Freindium* pulchre iam intellexit WILLISIVS [c]). *Latex* inquiens *ſeroſus, qui a vellicatis et exeſis vaſis vbertim exſpuitur, particulas acres medicamenti imbibens, haud ſemper eas totas, eadem qua ingreſſae ſunt via, regerit; verum aculeis hiſce imbutus, in maſſam ſanguineam regurgitat, et deinde cum eo circulatur.* Cum *Williſio* etiam facit BOHN [d]), laticem ſeroſum in parte eroſa aculeos cantharidum imbibere, ſecumque ad maſſam ſanguineam vehere memorans, a quibus haec euidenter alteretur. Id certo conſtare dicit ex ardore vrinae, qui ſine particularum harum ſalino-volatilium in ſanguinem ingreſſu, fieri haud poterat. Eleganter etiam ſolide in hoc argumento verſatus ſcribit BAGLIVVS [e]): *Stimuli cum fermento illi ſunt, qui non ſolum partem rubefaciunt, divellunt, agitant, concutiunt, verum etiam aliquid cum humoribus communicant, vt veſicantia, quorum particulae acres et in parte ſtimulant, et in ſanguinem reaſſumuntur.* Atque Cel. ALBINVS [f]) Quicquid praeſtare poſſunt Cantharides, id a ſale acri humoribus et ſanguini miſto expectandum ait. Cel. *de* WOLTHER [g]) diſerte pronunciat, quod veſicatoria ſal ſuum cauſticum et penetrans in circulum abeuntibus liquidis communicent. Neminem hodie huius ingreſſum in omnem humorum Oceanum non agniturum crediderim, qui venularum abſorbentium functiones intelligit, et effectus omnes expendit, qui a Veſicatorio inte-

b) *pag. 61. 62.*

c) *Pharm. Rat. II. p. 224.*

d) *de Officio Medici p. 316.*

e) *Operum, p. 664.*

f) *diſſ. de Veſicantibus §. 16.*

g) *Pharmac. milit. p. 103.*

interiora corporis afficiente toties obſeruati ſunt, atque ſine illo ingreſſu ſeſe explicari haud patiuntur. Inter recentiores Cl. FORSTEN[h]) inquirens, an vltra locum cui applicantur effectum edant veſicatoria, expreſſis verbis ſcribit: *Cantharidum extus applicatarum vires inter limites cutis nequaquam ſubſiſtunt, namque non modo in cute neruos et vaſa afficiunt, ſed et ſanguinem et, mediante hoc, etiam alias partes a loco, cui applicatae ſunt, maxime diſſitas.* Addit: *Scio equidem varios Autores aſſerere, non vltra cutem effecta producere Veſicatoria, at ſcio, id cum experientia quotidiana minime quadrare, et effecta, quae ſaepe ab iis applicatis aegroti experiuntur, tam ſalutaria, quam morboſa contrarium euincere.* Nondum ergo mirari deſino, humaniſſimum meum et amiciſſimum Antagoniſtam Cl. AEPLI[i]), his omnibus conſiderationibus neglectis, ex nimio in cantharides affectu, omnem lapidem mouere, vt perperam, vt credit, ſuppoſitam inſinuationem acrimoniae cantharidum intra corpus, eludat, et nullam eſſe phyſiologicis argumentis probet. Non concipi, exiſtimat, minutiſſima vaſculorum oſtiola, quae per attactum frigidiuſculi aeris occluduntur, attactu ſumme acris et cauſtici corporis ſeſe aperire et, ſine diſruptione, exeſione aut aliqua diſſolutione, ipſi ingreſſum et facilem tranſitum vltro concedere. Non concipi, id in vaſa maiora venire poſſe, ſine excitatis in irritabilibus eorum tunicis ſpaſticis ſtricturis, ſine impedito auctiore affluxu ſeri ad partem irritatam, et via ipſi eo occluſa. Vrget *Aepli* omnes cauſas, quae exhalationem promouent, et augent, notante *Hallero* et teſte experientia, minuere inhalationem; omnia, quae arteriarum pulſum viuaciorem reddunt, et calorem augent, augere exhalationem, et minuere inhalationem; non ergo concipi, quomodo inhalationem promouere queant. Bullam tandem ſero plenam a Veſicatorio excitatam, pro argumento habet, quod hoc non vires inhalantes ſed exhalantes excitet, ipſumque inflammatorium et

h) *pag. 135.*

i) *Prüfung der Spaniſchen Fliege, in dem böſsartigen Fieber, in quo libello varia, quae in commentatione mea de Veſicantibus exſtant, modeſte refellere nititur p. 32.*

et dolentem ruborem non permittere, vt credatur abſorbentia vaſcula patula eſſe. Nil lucratur *Aepli*, his mere theoreticis ratiocinationibus, neque etiam veritatem, quod vere cantharidum atomi in interiora corporis pergant, in ſequentibus liquido comprobandam, deſtruunt ea, quae antea notauerat [k]). Vrget nempe, Veſicatorium, quod per 8. vel decem horas cuti appoſitum erat, fere nil perdere de ſuo pondere, paruamque eius imminutionem, magis camphorae admiſtae, in auras diſſipatae, tribuendam eſſe. Reſpondeo facile, vnicum granum moſchi, magnum conclaue poteſt ſuo odore inficere; centum hyſtericae foeminae, quae eum auerſantur, exinde vehementibus conuulſionibus poſſunt affici. Caſtorei pauxillum effluviis ſuis poteſt centum hyſtericas foeminas ſyncopticas excitare, et omne genus neruoſum commouere, ſique poſt viſos hos effectus ſtupendos, omnem oeconomiam motuum in corpore vno momento perturbantes, vtrumque libra examinetur, nil de pondere perdidiſſe obſeruabitur. Vnciae tres argenti viui cum aqua decoctae, lanci deinde impoſitae, pendent vt antea, exacte vncias tres, et nihilominus aqua haec Vermibus deleterium eſt venenum. Nota ſunt pocula emetica, quae ex duabus ſtanni anglicani, et vna reguli antimonialis parte concinnantur. In his ſi aliquamdiu detineatur vinum, expeditiſſima vomitiua virtute illud imbuunt, quae nunquam aboletur, ſed tantae firmitatis atque conſtantiae eſt, vt procurato myriadibus vomitu, poculum ne ſenſibile quidem ponderis decrementum inde patiatur. Refert Ill. HOFFMANNVS hoc phoenomenon, exquiſitam et ſtupendam partium tenuitatem eſſe emeticis probaturus [l]). Applicet haec Cl. *Aepli* cantharidibus, et in iis ſtupendae exiguitatis atomos ſumma energia tamen praeditas agnoſcat. Dilutam ſic animaduertet aliam ſuam obiectionem, nempe quod, ſi eiusdem emplaſtri Veſicatorii ſuperficies digitis immutetur, id veſicantem ſuam vim adhuc ſemel exerat. Conſiderauiſſe iuuat, irritans id et ſepticum

k) *pag. 26.*

l) *diſſ. de vſu Vomitorior. obſ. 1. in ſchol.*

cum, quod cantharides in ſe gerunt, prima operatione nondum penitus abſumtum et totum ad inſinuandum ſe in poros aptum redditum fuiſſe, ſed bonam eius partem adhuc reſiduam eſſe, quae parca quantitate eosdem effectus producere valet, quos prima pars, etiam in parca quantitate, perpetrabat. Habet adhuc aliud argumentum Cel. *Aepli*, quod ſecundum experimenta, decoctum aquoſum cantharidum, et extractum inde paratum nullum effectum edat, quia agens principium harum muſcarum ab aquoſis liquidis ſeſe diſſolui non patiatur. Sufficit interea ſcire, per experientias breui adducendas, hoc principium ſeſe humoribus corporis certiſſime inſinuare. Oportet ergo, aquoſam partem ſanguinis illud, diſſolutum aut non ſolutum, in maſſam humorum introduxiſſe. Decoctum eapropter inefficax eſt, quia inter decoquendum puluis cantharidum ſubtiliſſimis ſuis particulis energeticis in auras abeuntibus priuatus fuit, has non amplius habens decoctum, etiam ex eo paratum extractum iners eſſe debet. Aquoſa interim Tinctura cantharidum, illo non deperdito praegnans, a *Bagliuo* in venam iugularem duorum canum iniecta, vehementiſſima ſymptomata produxit et eos ſtatim necauit. Patet opinor ſatis, ſimplicibus ſpeculationibus gratis negando aditum actiuis cantharidum particulis, e loco externo cui adiacent, in interiora, iter hoc ipſis haud intercludi, quod potius nimis apertum eſſe, phoenomena applicationem ſequentia, alta quaſi voce loquuntur.

§. XVIII.

Eapropter dira mala progignunt, maxime in vrinariis viis.

Haec ergo nunc rimari, et coram intueri opus eſt, vt Veritas haec euictiſſima reddatur. Inter haec phoenomena autem, quae de effectibus applicati Veſicantis ſenſibus percipiendum teſtimonium praebent, eminent ingentes illae ſumme doloroſae moleſtiae, quas prae omnibus aliis, fortiſſimis etiam habitis diureticis, adeo interne ſumtis, extus admotae cantharides vrinariis viis ſaepe inferunt. Crebrum mingendi

 deſi-

deſiderium, cum ardoris ſenſu ſtranguriam, dyſuriam, iſchuriam, atque mictum cruentum, muſcas has non deuoratas, ſolum, et epotas, ſed foris etiam in emplaſtro applicatas excitauiſſe, innumeris paene obſeruationibus conſtat. Nemo fere Medicorum eſt, qui de cantharidibus et veſicatoriis verba faciens ipſis hoc vitium non exprobret. A Cantharidibus vrinam aegre reddi, et ſubinde cum lotio ſanguinem emitti, iam notauit DIOSCORIDES [a]). Atque eius Commentator *Matthiolus* in hunc locum, nocere eas ait priuatim veſicae, et omnibus vrinae inſeruientibus membris, non modo hauſtas, ſed quandoque etiam exterius illitas, praeſertim ſi amplis cataplaſmatibus admiſceantur. Id ſi verum fuerit, vix ſerio negari poterit, acres et ſtimulantes moleculas ex veſicatorio liberas, abſorptasque in maſſam humorum abreptas fuiſſe, aliter enim in viis vrinariis memorata grauia incommoda emergere omnino nequiuiſſent. Exempla autem eorundem vere inſecutorum, ab applicatis veſicatoriis, magno numero in ſcriptorum monumentis inueniuntur, vt adeo non praeter rem ſcribere potuerit BAGLIVVS [b]): *mictus ſanguineos et ardores vrinae, et alia Veſicae mala frequenter generant Veſicantia praeſertim in gracili corporis habitu in calido et ſicco temperamento.* HILDANVS [c]) de Nobili quodam refert, quod a cataplaſmate ex fermento et cantharidibus genu applicato, ſummum vrinae ardorem perſenſerit et, non ſine cruciatu et eiulatu, guttatim illam ſanguinolentam reddiderit, cataplaſmate remoto ſymptomata haec remiſiſſe, ſed denuo applicato, vehementiora rediiſſe. SCHENCKIVS [d]), teſtatur ſe plus ſimplici vice a Veſicatoriis brachiis et pedibus applicatis, vehementiſſimos dolores vrentes in emittendo lotio, ſanguinemque ſimul profluentem obſeruaſſe. Vrinae ardorem et ſtillicidium a Veſicatoriis obſeruauit HOFFERVS [e]). Nobilem puellam ab vnguento, quod cantharides recipiebat aliquot matulas vrina ſanguinea repleuiſſe obſeruauit *Henr. ab* HEERS [f]). FABRICIVS

ab

a) *Mat. med. lib. VI. c. 1.*

b) *diſſ. de Veſic. c. II. §. 3.*

c) *Cent. VI obſ. 98*

d) *Obſ. med lib. VII. obſ. 41.*

e) *Herc. med. lib. III c. 4*

f) *obſ. lib. I. obſ. 9.*

ab Aqua pendente [g]) ab applicatis veſicatoriis cruribus et brachiis, ſuppreſſione vrinae multos mortuos dicit, inter quos Principis alicuius meminit, cui duo Medici, ſe diſſuadente, illa admouerant, eapropter abſonum eſſe dicit, remedia eligere venenoſae indolis, cum alia ſuppetant. Non miratur BORELLVS [h]), quod modo citatus *Fabricius* veſicatoria tanto odio proſecutus ſit, cum tanta mala ab iis oriri queant. Vidit is aegrum, qui a Veſicatoriis nimio tempore in occipite relictis, mictum ſanguinis paſſus eſt. Compertum eſſe refert RAMAZZINI [i]), cantharides in puluerem contritas, et manibus tractatas vrinae ardorem excitaſſe. A Veſicatorio nuchae puellae ſexennis applicato, infortunatiſſimum euentum notauit HÜNERWOLF [k]). Cl. VOGEL [l]) ſecuram quidem applicationem veſicantium habet, certum tamen eſſe dicit, quod interdum doloroſa mictio, etiam cum ſanguine, illam ſequatur. Cel. *de* WOLTTER [m]) veſicatoria ſaepe, ob ſal eorum volatile et cauſticum, renes et veſicam praecipue irritans, mictum cruentum efficere memorat. PLATNERVS [n]) eruditiſſimus et expertiſſimus Medicus et Chirurgus, Venerandus olim Praeceptor meus, accidere ſolere ſcribit, non tantum ſi intus dantur, ſed etiam ſi extrinſecus diutius ſuperhabentur, vt veſica laedatur, adeo vt vrina cum ſummo dolore reddatur, et nonnunquam cum ea ſanguis deſcendat. TISSOT [o]) in duobus vel tribus aegris, epidemico morbo prehenſis, ab applicatione veſicantium vehementem ardorem vrinae obſeruauit. Stranguriam ab applicato lateri dolenti veſicatorio, remoto eo, ſacharato lacte et decocto bismaluae ſanatam, obſeruauit *de* HEIDE [p]). Cl. FORSTEN [q]) prouocat ad expertiſſimum *Hoffmannum*, Chirurgum militarem, qui ſaepiſſime dyſurias, et bis iſchuriam ab applicato veſicatorio productas vidit, quae ablato veſicante plerumque intra nycthymeron ſponte vel diluentibus cedebant. Meminit quoque D. Medici *Vrythoff*, qui a veſicatorio mictum cruentum obſeruauit; idem prorſus teſtatur BROGIANVS [r]).

g) *Operum Chir. Part. II. c. 114.*

h) *Cent. II. obſ. 58. vide et Bartholinum Cent. V. hiſt. 21. et 82. et Langium epiſt. 47. ſimiles caſus recenſentes.*

i) *de Morb. Artif. c. 12.*

k) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Anno VII. obſ. 86. confer et Dec. II Anno X. obſ. 133. et Dec. III Anno VIII. obſ. 137. vbi plures caſus de dyſuria et mictu ſanguinis habentur.*

l) *Hiſt. mat. med. p. 342.*

m) *Pharmac. milit. p. 103.*

n) *Chirurg. §. 938.*

o) *lettre à Mr. Zimmermann ſur l'Epidemie courante p. 93.*

p) *obſ. 97.*

q) *pag. 141.*

r) *de Venenis Henr. p. 66.*

s) *obſ. lib. I. obſ. 9.*

t) *Act. haffn. Vol. IV. obſ. 180.*

u) *lib. VI. Part. VIII. c. 26.*

x) *Comm. de febribus IX.*

y) *lib. VII. caſu 21.*

z) *de febribus pag. 505.*

a) *lin. med. 1798. p. 924.*

b) *Rat. med. Part. III. c. 1. p. 51.*

Henr. ab HEERS adeo in ſua praxi ſe obſeruaſſe affirmat [s]), capiti impoſitas, et in manu chirotheca munita geſtatas cantharides, ſanguinis mictum excitaſſe. Nuchae admotas aut brachio, moleſtiſſimam dyſuriam induxiſſe ſexcenties ſeſe obſeruaſſe ſcribit BORRICHIVS [t]), cui obloquitur SENNERTVS [u]), etiam ſexcenties ſeſe eas applicauiſſe, neque vllum damnum veſicae illatum, nullum mictum ſanguinis, ſeſe obſeruauiſſe aſſerens. Non autem optimus Vir hic audiendus videtur, cum veſicatoriis vix adeo frequenter vſus videatur, quod ipſi obiicit magnus Veſicatoriorum Patronus et Amator FREINDIVS [x]), in magnis eius Voluminibus omni medicamentorum farragine refertis, eorum mentionem rariſſime occurrere, ipſi vitio vertens. Rem vero ita ſe habere, ſe ipſum toties quoties ſeu nuchae, ſeu pone aures, ſeu brachiis, ſeu cruribus appoſuerit, expertum fuiſſe, contra Sennertum ſcribit TIMAEVS [y]). Largitur tamen alibi SENNERTVS [z]) cantharides in nonnullis Naturis incommoda veſicae afferre, licet rarius id euenire putet. Atque cantharidum vſum externum innoxium declarare amans RIDLINVS [a]) ſancte teſtatur, ſe nullum noſſe, cui vnquam vel minimam noxam is intuliſſet, nullos proinde etiam limites quantitati pulueris cantharidum in emplaſtro poſitos vult: Mirarer vnum *Ridlinum* nil mali vnquam animaduertiſſe a Veſicantibus, niſi in conſultationibus cum aliis Medicis expertus eſſem ſaepius, in oculos incidentes prauos effectus, a ſuis pharmacis, ſine quibus eſſe nolunt, nimis generoſis et draſticis, et ad veneni naturam mala applicatione accedentibus, eos praeteruidere poſſe, et ſubridere, ſi amice moneantur. Habet Ill. *de* HAEN [b]) foeminam maligna febre laborantem, cui tria primo, deinde adhuc duo admota ſunt veſicatoria. Secuta eſt ſtranguria, dolorque ad ima peluis intolerabilis, vt eiulatu ſuo mulier totas aedes impleret, et ad ſingulam vrinae guttam, cum qua continuo ſanguis excernebatur, aluo interea aeruginoſas et ſanguineas faeces excludente, conuelli videretur.

tur. Cataplaſmate emolliente applicito, et oleo lini per catheterem iniecto repetitis vicibus, intra biduum ſedatus eſt horrendus dolor. Quiuis attentus, rerumque harum gnarus lector facile, opinor, perſpicit, doloroſam hanc ſtranguriam, non, vt tantus Vir *Haenius* putauit, a malignitate morbi, ſed a malignitate cantharidum fuiſſe productam. Eadem nempe ſine dubio veſicae apud hanc foeminam fuit conditio, blandiſſimo remedio ſanatae, qualem exhibuerunt miſere cantharidibus necatorum cadauera, qualem in cane, cui tincturam cantharidum in iugularem venam iniecerat, vidit BAGLIVVS [m]), nempe ne minima mucoſitate, qua naturaliter oblinitur, inſtructam, ob eroſionem a cantharidibus. Atque ob timendas, et fere praeuidendas laeſiones viarum vrinariarum, ab omni tempore, non tantum iis, qui puluerem horum inſectorum ingeſſerant, ſed et iis, quibus externe fuerat applicatus, vt peſſimas has ſequelas praecauerent, oleum, emulſiones, lac, gelatinoſa, demulcentia, iugiter aſſumenda Medici ſuaſerunt. Qui fere primus Veſicatoria in vſum duxit ARETAEVS [n]), lac bibendum eſſe monuit, ne veſica offenderetur. Similia conſilia leguntur apud SCHENCKIVM [o]), RIVERIVM [p]) et multos alios. Cel. WEPFERVS [q]), quando Veſicatorium ſuum capiti raſo applicandum commendauit, ſemper cautionem adiecit, id non vltra 8. horas relinqui debere, quia aliter moleſtam dyſuriam induceret. Chirurgus aliquando id aegro reliquerat per 13 horas, inde ſecuta permoleſta ſtranguria et mictus ſanguinis. Ex conſilio *Riuerii* toti capiti raſo admotum erat Veſicatorium Viro nobili, paulo ante meridiem, ſub veſperam ſtranguria cruenta correptus eſt aeger, cui aduocatus media nocte TIMAEVS [r]) emulſionibus, clyſteribus ex lacte etc. opem attulit. Monet etiam Cel. HVXHAM [s]) vbi quaedam veſicatoria cuti apponuntur, vt aeger ſerum lactis, emulſionem, aut alium quendam ſubacidum et demulcentem liquorem largiter bibat, niſi fere tanta ab hoc remedio incommoda, quam ab

m) *experim. I. diſſ. de veſicantibus.*

n) *curat. morb. diuturn. lib. I. c. 4.*

o) *lib. VII. obſ. 39.*

p) *lib. XVII. Sect. III. c. 1. p. 455.*

q) *Vide eius obſeruationes de morbis capitis obſ. 32. 70. et 71.*

r) *lib. VII. obſ. 21.*

s) *Operum Tom II. p. 116. edit. lipſ.*

ipſo

ipſo morbo tolerare velit. Aduerſus illa auxilium eſſe in lacte epoto, vel in amygdalis et papaueris ſemine, ſi ex his emulſio vel cremor cum aqua contritis paretur, notauit PLATNER [t]). Deinde quoque inter recentiſſimos Cl. CRANTZ [u]) ad ſepticum venenum, viis vrinariis maxime infeſtum, infringendum, eadem antidota interne commendat, dum externe paſtae, fermentum panis, emplaſtra cum cantharidibus applicantur. In Stranguria, poſt veſicantia appoſita, emulſa largiter haurienda ſuadet QVARIN [x]).

t) *Chir.* §. 938.

u) *mat. med. III. p.* 93.

x) *de febribus et inflam. cap. IV. p.* 68.

§. XIX.

Perperam tot experientiis obloquitur Aepli.

Libenter hos cantharidum externe admotarum, ad vrinarias vias vſque excurrentes effectus, contra omnia modo adducta ſummorum Virorum, quae obiter haberi nequeunt, teſtimonia, contra alia multa, quae adhuc adduci poterant, obſeruata practica, negaret Cl. AEPLI. Et certe eos in dubium vocare et negare tenetur, quoniam ingreſſum atomorum cauſticarum veſicatorii, ex cute in humorum maſſam, non vult admittere, vt nempe innocentiam veſicantium et ſecuritatem, quibus adeo favet, tueri queat. Largitur equidem [a]) veſicatorium in ſubiectis irritabilibus, cholericis, hyſtericis, hypochondriacis, venereis, debilibus, ſiniſtra pathemata ab aucta irritabilitate, ardorem vrinae, cum ſtillicidio ſanguinis cauſari poſſe, ſed expreſſis verbis addit: *Caſum talem rariorem eſſe, ſi illos contemplemur, in quibus talia non obſeruantur.* In corporibus pigris, phlegmaticis, humidis, pituitoſis, haec phoenomena ab emplaſtro, quod non vltra 30. grana pulueris cantharidum continet, nunquam aut adeo raro obſeruari, vt cauſa non niſi in indiuiduali ſenſibilitate quaerenda ſit. Alio loco [b]) inquit: *Ex operatione cantharidum in vias vrinarias, argumentum deſumi ſolet, exſolutum ex cantharidibus ſal cauſticum in ipſam ſanguinis maſſam penetrauiſſe, ſed tota haec res nititur hypotheſi Bagliuiana, quae parum probabilitatis habet.* Peccari credo in merita Viri, cui tantum Medicina debet, qui libri

a) *p.* 18.

b) *p.* 35.

libri I. Praxeos medicae, *caput I.* de maxima obſeruationum in re medica neceſſitate; *caput ſecundum,* de eo quod certum ineſt Medicinae obſeruationibus debito, *caput quintum,* de falſis medicorum idolis ſiue opinionibus falſo praeconceptis conſcripſit, nollem hunc *Bagliuum* amoris et fauoris hypotheſium inſimulare, cum omnia obſeruationibus et experientiis et experimentis, vt in aliis, ita etiam in argumento de Veſicantibus dederit. An, quem viderunt tot ſinceri cordatique et doctiſſimi Viri ſuis oculis, ſanguinem cum vrina inter ſummos dolores poſt Veſicatoria admota exeuntem, per hypotheſin viderunt? An de cauſa huius phoenomeni ſolliciti, dum ſciebant, intus datas cantharides ſaepe ſaepius mictum cruentum produxiſſe, ſine inani hypotheſi cogebantur concludere, neceſſario irritantes et cauſticas moleculas, ab externa cute interiora verſus migrauiſſe, ſimilemque prorſus effectum edidiſſe? Quaerit *Aepli* deinde, quomodo quaedam atomi huius ſalis per organa adeo ſenſibilia et irritabilia, vt cor et pulmones, tranſire poſſunt, ſine ſpaſmodicis motibus ibidem, et aliis in ſenſus excurrentibus pathematibus excitatis? Quomodo demum, quando per adeo longas ambages ad renes perueniunt, in hoc minus ſenſibili viſcere irritantem et ſpaſticam ſcenam agere poſſunt? Cur haec operatio non eſt perpetua, vt operationes coeterae veſicatorii in partes ſolidas? Optime mihi reſpondere videtur, ad haec quaeſita Cl. *Forſten*[c]) *Obſeruationes de dyſuria et mictu cruento ſatis euincunt, cantharides veſicatorii forma cuti appoſitas, vltra cutim effectus ſuos producere, et quidem praecipue in organa vropoietica agere. Inde quis forſan credet, earum vires reliquis corporis partibus intactis ad ſolos properare renes, veſicamque vrinariam. Non inficior, ſat cito cantharides his in partibus effectus producere, inde vero concludi poſſe, ſolummodo in organa vrinaria eas agere, haud crediderim, refragatur enim huic aſſerto efficacia earum, qua in totum corpus agunt.* Si admittenda ſit actio in

c) *p. 141.*

in illa organa, ex legibus ſtimuli in neruos, et ſympathia nervorum cutis et renum deducendam eam eſſe putat *Aepli* [d]). Videbimus in ſequentibus Veſicatorium cauſari febrem, igitur ſtatui poſſet, irritationem neruorum in cute, ob conſenſum totius generis neruoſi, ad eam excitandam ſufficere. Nonne vero ingreſſae ſanguinem atomi cantharidum cor et arterias irritare poſſunt, quae in inſenſibiles renes, minus vim ſuam exerent, quam in ſenſibiliſſimam Veſicam? Ponamus, non explicari poſſe, cur ſpecifice viis vrinariis inſidientur, ſufficit, per experientiam rem eſſe certiſſimam, et contra tantum numerum affirmantium fruſtra negari. Dum communiter veſicatoria emplaſtra duo vel plura, lata et denſa ſatis, quandoque puluere cantharidum adhuc conſperſa applicantur, et per 12 horas et vltra in loco remanent, et reiterantur, vt ex voluntate Medici affluxus et effluxus humorum tanto copioſior fiat, copia atomorum abſorptarum ſatis conſiderabilis euadere poteſt. Sit vero earum quantitas, quae ſe inſinuet, exilis; nonne hoc proprium venenorum eſt, vt paucitate et ſubtilitate particularum ſuarum cito et violenter operentur vitaeque humanae nociua, periculoſa et mortifera euadant. Ad ſtuporem paruae molis eſt virus, quod ictus viperae, aliorum ſerpentum, tarantulaeque corpori infert, et tamen adeo truculenta ſymptomata inde ſequuntur. Vulnus a cane rabido nullam aliam faciem ſiſtit, quam a cane coeteroquin ſano, ex quo autem pauxillum venenatae ſaliuae in id ſeſe inſinuauit, miſerrimus homo teterrimo morbo ſerius ocyus mulctatur. Exilis portio puris varioloſi in cuſpide lanceolae, cuius exiliſſima forte pars verum venenum eſt, omnem maſſam ſanguinis inquinat, et non raro ſatis multas, quin et confluentes variolas producit. Dum hi effectus omnes certiſſime eueniunt eapropter, quod vere virus ſubtile cuti inhaerens primo, abſorptum, ad interiora deuolutum, omnique humorum oceano fuit immiſtum, cur de ſalis cantharidum ingreſſus poſſibilitate, vel impoſſi-

d) *p. 34. ſeq.*

poſſibilitate diſputaremus? Per alia ſimilia prorſus phoenomena, quae modo adduxi, is certiſſimus redditur, nil vero, hac certitudine poſita, intereſt ſcire, et rimari, cur in viis vrinariis praecipue ſeſe manifeſtet. Sufficit nube teſtium confirmari, veſicatoria cuti admota, licet non ſemper ſine exceptione, tamen ſaepe ſaepius, ſtranguriam, vrinae ardorem et mictum cruentum excludere. Nolo reticere, Ill. HOFFMANNVM [e]) Cel. *Aepli* calculo ſuo valde patrocinantem videri, quando de mictu cruento data opera agens, diſertis verbis ita ſcribit: *Proſtant quidem Obſeruationes apud Autores, quod a Veſicatoriis quae habent cantharides, externe applicatis cruenta mictio fuerit exorta, interim nos fatemur candide, a nobis nunquam tale quid viſum et obſeruatum fuiſſe, vt haud iniuria hanc operationem in dubium vocare liceat, cum forſan longe ab alia cauſa, in morbo, ſub applicatione veſicatoriorum, haec cruenta vrina exorta fuiſſe poſſit.* Magna mihi *Hoffmanni* autoritas eſt, an tamen vna centenis teſtimoniis, etiam magna autoritate pollentium Medicorum, ita opponi poſſet, vt haec omnia nullius pretii haberi, et non attendi debeant? Perpendendum hic eſt, mitem illum et humanum *Hoffmannum*, leniorum remediorum Amatorem et Encomiaſten, qui nemini aegro ſine ſontica cauſa grauis eſſe ſolebat, primo, vere rarius in ſua Praxi Veſicatoria conſuluiſſe, deinde ſemper temperatum ſuum Veſicatorium, ex aequis partibus huius, et emplaſtri de meliloto compoſitum, applicatum voluiſſe, quod omnino mitius operabatur. Interea tamen, vbi alio loco [f]) de ſpaſmo veſicae agit, vltro ſcribit: *Coeterum notari meretur, ſingularis cantharidum malignitas, qua Veſicae infeſtae ſunt, eas enim, ſiue intra corpus aſſumtas, ſiue externe tantummodo applicatas, ſpaſmum, inflammationem et vlcera interdum ciere ſatis obſeruationibus conſtat, quorum exempla exhibita allegat.* Praeterea autem iam [g]) commemorauerat: *Sal volatile cantharidum cauſticum, ſi vel interne vel externe vſurpentur, ductus vrinarios* *maxi-*

e) *Tom. IV. Med. Syſt. Part. II. Sect. I. c. 6. p. 141.*

f) *l. c. Sect. II. c. 7. pag. 402.*

g) *nempe Med. Syſt. Tom. II. Part. II. c. 7. pag. 281. 282.*

maxime petere, et ſpàſmis corripere ſolere, vnde plerumque ardorem et difficultatem vrinae, quandoque mictionem cruentam efficiant, quod ſatis abunde ex obſeruationibus fide digniſſimis liquere, dicit, quare *Miſcellanea Nat. Cur. Bartholinum, Ioh. Langium, Henr. ab Heers, Rayerum,* ſe plus quam centies a Veſicatorio applicato vrinae difficultatem obſeruaſſe, ſcribentem adducit, quo ipſo minimum horum omnium Virorum teſtimonia ſe non in dubium vocare teſtatur. Nunquam ego crediſſem, perſpicaciſſimum, expertiſſimum, et in lectione auctorum verſatiſſimum Medicum, qualis erat mihi amiciſſimus Beatus *de* HAEN, peſſimam hanc operationem veſicantium in vias vrinarias, non introſpicere et agnoſcere protuiſſe, ſed omnes miſerias ab iis enatas vi morbi attribuiſſe, niſi id meis oculis non ſine ſtupore legerem [h]). Adduxi caſum antecedente §o. Magno viro interea, mictum ſanguinis oculis vſurpanti, clamores perpetuos ob infandos dolores audienti, nullatenus in mentem veniebat, tormenta haec a quinque Veſicatoriis excludi, ſed conſectaria malignitatis habebat, ita quidem, quemadmodum malignas Variolas mictus cruentus comitari ſolet. Eſuceſcit exinde, ſi *Haenius* aliquis, ex nimia fiducia in Veſicantia, et praeconcepta opinione de eorum innocentia, adeo manifeſte errare, et ſemet ipſum fallere potuerit, non mirum eſſe, Medicos longaeua adeo et diuite experientia haud pollentes, ac hic Vir incomparabilis inſtructus erat, tanto facilius manifeſtas Veſicantium noxas non animaduertere, ipſasque, ſi vel mortem poſt ſe trahant, ſummae malitiae morbi, Veſicantibus non vincendae, tribuere poſſe. Qui vero vnice veritati litans, poſita omni praeiudicata opinione, manifeſta facta obſeruare et conſiderare voluerit, multum aberit, vt ea ad imaginationem et practicam puſillanimitatem referenda eſſe ſtatuat. Operae pretium erit, vt ex nonnullis obſeruationibus meis, vnam notabilem depromam, atque adducam, quia in mea taedia per dies continuos aerumnarum huius

h) *Rat. Med. Part. III. cap. I. p. 50.*

ius generis teſtis exſtiti. Illuſtriſſima Foemina, hyeme ſaepe leuiter veſtita oeconomicis ſuis negotiis defungens, acri frigori pedes et totum corpus iter ſuſcipiens expoſuerat, artuumque inferiorum primo magnam debilitatem, deinde plenariam paralyſin inde contraxerat. Conſulebat ipſi, poſt varia irrito conatu adhibita, Medicus quidam eruditus, vt lumborum regioni, vbi nerui crurales egrediuntur, femoribus ad extremos pedes vſque ſuis ramis proſpicientes, veſicatorium applicari faceret. Nitebatur nonnullis Anglorum obſeruationibus, quae probarant, id in ſimilibus caſibus, vt et in incontinentia vrinae, cum emolumento factum fuiſſe. Applicabatur illico, relinquebaturque per 8. horas, in partes paralyticas nullus redundabat fructus, huius vero exoptati et ſperati loco, enaſcebatur ſtimulus perpetuus ad mingendum, difficilisque ardens et valde doloroſa mictio, vna cum aliis ſpaſticis in infimo et medio ventre ſtricturis, quae mala diu pertinacia, tandem emulſione oleoſa cum ſyr. diacodii, ſinceroque oliuarum oleo epoto ſuperabantur. Ipſe ego, minaci oculorum affectu motus, nuchae, et alio tempore, lumbagine rheumatica pertinaci affectus, lumborum regioni applicari faciebam veſicans. Vt incommoda inde naſcitura in futurum ſapiens auerterem, bibi ſtatim largiter lac tepidum, decocta auenacea, hordeacea etc. his tamen impedire non potui, quin ſtimulum crebrum et ingratum ad mingendum per aliquot dies ſentirem.

Praeter illum effectum autem, quem Veſicantia in organis vrinariis edunt, alius adhuc notabilis commemorandus ſupereſt, quem ipſis BAGLIVI verbis [i]), qui eum toties obſeruauit, deſcribam: *Nihil* ait *tam cito poſt adhibita ſuperuenit veſicantia, quam ſitis, cum linguae ariditate, quae quandoque tanta eſt, praeſertim in aegris aduſti temperamenti, et mente non alienata, vt quibuslibet remediis temperari vix poſſit, praeterquam*

i) *Diſſ. de Veſicant. cap. II. §. 1.*

terquam continuo aquae gargariſmo; durat haec ſitis ita vehementer per triduum circiter, prout ſcilicet citius aut ſerius, parcius vel vberius, acres cantharidum ſales e maſſa ſanguinis fuerint ſeparati, deinde ſenſim remittit, eamque appellare ſoleo ſitim veſicantium, ob rationes dictas. Inter effectus applicatorum veſicantium ſitim ſummam etiam refert *van* SWIETEN [k]). Non minus obſeruauit noſter de HELWICH [l]), quod veſicantia ſitim, nulla arte edomandam, per tres quatuorque dies inducant. Atque hoc ipſum et ego ſtudio ad hoc phoenomenon attentus, multis vicibus ita ſeſe habere, obſeruaui. Quis vero aetiologiam huius ſitis explicabit ſine admiſſis ſalſis acribus irritantibus particulis, e cantharidibus veſicatorii emplaſtri maſſam humorum ingreſſis, atque ad laticem ſaliualem et linguam delatis. Hic certe, vt in affecto ſyſtemate vrinario, neruorum cum cute conſenſus, gratis allegaretur.

k) *Comment. Tom. II. p. 41.*

l) *Hiſt. Morb. Vratiſl. 1769. p. 64.*

§. XX.

Cur vrinariis viis adeo infeſtae.

Facilius omnino generatio ſitis a veſicantibus explicatur ex dictis rationibus, quae imaginariae eſſe nequeunt. Cur autem illa ſpecifica vi renibus et veſicae, non aeque aliis viſceribus, nocumentum adferant, difficilius ſoluenda quaeſtio eſt. Vt ad eam reſponderet HOFFMANNVS [a]), aſſerit, omne virus particularem et propriam in certas, quas afficit, partes neruoſas vim habere, ob conuenientem forte pororum particulis veneni ſtructuram. Fallor, aut per hanc aetiologiam res nondum clara redditur. Verum eadem difficultas premit paene omnem de Venenorum effectibus explicationem. Neſcimus, cur ictus viperae, hepati praecipue fatalis, icterum inducat; cur dipſas, potiſſimum in humores ſaliuales agens, inexplebilem ſitim excitet; cur leuis phyſeteris ictus omnem, qua late patet, membranam celluloſam emphyſemate diſtendat; cur effuſo per arterias cruore in omni corporis plaga haemorrhous trucidet; cur morſus canis rabidi hydrophobiam inducat; cur tarantula choreas

a) *Med. Syſt. Tom. II. p. 281.*

reas proritet. Interim pace Optimi Praeceptoris, ſi ratio reddenda eſt, dixerim, fere mihi melius arridere placita, quae de Veſicantibus propoſuit WILLISIVS [b]). En propria eius verba: *Acriores particulae cantharidum ſi hae diutius cuti applicentur, interdum copioſius a ſanguine imbibitae, totum eius ſerum inficiunt, qui tamen latex adeo aculeatus, quamdiu cum balſamico ſanguine confunditur, nulli parti officit. Verum ab hoc per renes ſeparatus quandoque iis noxam affricat, et frequenter veſicae collum, non modo acrimonia ſua vellicat, ſed et nonnunquam corrodens, inde mucum, et pelliculas, imo et cruorem abſcedere facit.* Probari eiusmodi aetiologiam FREINDIO [c]) video, quando iis ſubſcribit, qui a Veſicatoriis in ſanguinem penetrantes particulas, tanquam ſalia acerrima, iis quos adfert vrina adhaerere, atque ita has tragoedias excitare contendunt. Cantharides ſimul cum acribus vrinae ſalibus agere, etiam ſtatuit HVXHAM [d]). Sed his omnibus contradicit experimentum, quod inſtituit FORSTEN [e]). Sumſit cantharidum pulueris recentis ℥ß, ſuperaffudit vrinae ſuae ſanae vnciam vnam, leni digeſtioni hanc miſturam commiſit, poſt horas 24. liquorem a puluere per filtrum ſeparauit, hoc imbutum ſpleniolum ſub emplaſtro cuti appoſuit, quod nec pruritum, multo minus veſicam produxit, hypotheſin ergo ſaltem eſſe dicit, ſal vrinae cum cantharidum ſale coniunctum cauſticum fieri. Cum igitur in hac re nil certi determinari queat, mauult ignorantiam ſuam profiteri, quam hypotheſi inani phoenomenon obſcurum explicare. Feramus libenter et facile nos latentem veram cauſam, cur ſpicula cantharidum rodentia et cauſtica maſſam humorum ingreſſa renes et veſicam praecipue laedant. Sufficiat nobis rem ipſam certiſſimam eſſe. Nunc effectus alios applicati Veſicatorii in ſolida et fluida corporis noſtri, quos accuratius noſſe multum intereſt, debita cum cura rimemur.

b) *Pharm. rat. II. p. 224.*

c) *Com. IX. de Febribus, vbi de veſicantibus agit.*

d) *Tom. III. operum p. 124.*

e) *pag. 150.*

§. XXI.

§. XXI.

Veſicatoria omne Neruoſum Syſtema irritant ac commouent, atque praeterea circulum ſanguinis augent.

Cantharides penetranti ſale cauſtico irritare, et inflammare locum cutis, cui adiacet veſicatorium, ocularis inſpectio docet, non minus haec inſpectio ſtimulo allectum et collectum in Veſica ab eleuata cuticula formata, ſerum coram ſiſtit. His autem effectibus operatio cantharidum non abſoluitur, et finitur, ſed earum moleculae humores ingrediuntur, id quod praegreſſo §o. demonſtratum fuit, ſtimulusque ſolidis illatus non ſubſiſtit intra limites loci inflammati, et exulcerati, ſed latius in ſolidorum ſyſtema et omne neruoſum genus eius actio extenditur. Hanc magni momenti veritatem iam bene intellexit WILLISIVS [f]), quando veſicatoria ſpiritus valde irritando, in omnes partes ſolidas agere dixit. Illa ratione doloris et irritatarum fibrarum ſenſibilium in ſpiritus agere, etiam aſſeruit BOHN [g]). *Mouent veſicatoria, contrahunt, concutiunt totum corpus, atque vt fluida, ita etiam ſolida, vno eodemque tempore excitant, et dimouent*, ſcripſit BAGLIVVS [h]). Cantharides in ſe gerere venenum ſpirituoſiſſimum, quod corpus humanum adeo mutat, vt nil maneat intactum; habere vires penetrantes ad oſſa vſque, cum dolore et tentigine in toto genere neruoſo, teſtatus eſt BOERHAAVIVS [i]). Motum in toto corpore augere aſſeruit *van* SWIETEN [k]) Tandem quoque HOFFMANNVS, vim inferre partibus ſolidis ſal cauſticum cantharidum, atque etiam per vſum externum in vniuerſum partium neruoſarum ſyſtema penetrare, easque conuellere docuit [l]). Non minus cel. HVXHAM [m]) cantharidum actione non tantum ſolam cutem, ſed totum quoque neruorum et vaſorum ſyſtema affici notauit. Atque recentiſſimus Scriptor Cel. FORSTEN [n]) elegantiſſime et doctiſſime cantharidum efficaciam in totum corpus ex inſtituto probat. *Pars cantharidum* inquit, *quae perſpirabili noſtrae materiae ſolubilis eſt, et proprie earum principium actiuum conſtituit, id eſt illud, in quo latet mirabilis illarum vis irritans, cauſtica, veſicans, illud acre irritat vaſcula*

f) *Pharm. rat. II. p.* 223.

g) *de officio Medici p.* 315.

h) *Operum. p.* 664.

i) *de morbis neruorum pag.* 211. und 748.

k) *Comment. Tom. III. p.* 301.

l) *Med. Syſt. Tom. II. pag.* 281. 282.

m) *Operum Tom. II. p.* 115.

n) *p.* 142. 143.

cutanea

cutanea, illaque ad maiores motus incitat. Sed portio eius ſoluta per vaſa reſorbentia cum maſſa humorum circulantium commiſcetur, et hoc pacto ad diſſitas partes delata manifeſta ibi effecta edit. Dum itaque acris haec ſolutio, cum ſanguine mixta, per vaſa fluit, non iners erit, et renes ſaltem afficiet, ſed principium cantharidum cauſticum, ſtimulans, acre, cum ſanguine commixtum et circulans, agit in ipſam ſanguinis maſſam, et in vaſa, illam ſoluendo et tenuiorem reddendo, haec ſtimulando, et ad frequentiores et fortiores motus incitando. Neque immune eſt a ſtimulo applicati Veſicantis neruoſum Syſtema, non ſolum enim ſtimulantur nerui cordis, arteriarum et venarum, vbi cantharidum vis per vaſa circumit; ſed vel maxime in ipſa cute nerui acriter afficiuntur, ſuaque moleſtia in conſenſum trahunt (vti toties in doloroſis cutis affectionibus fit) totum ſyſtema neruoſum, et ne quidem ipſum cerebrum immune relinquunt. Certiſſimum eſt, centenis forte vicibus applicari veſicatoria a Practicis, atque de hac vniuerſali neruoſarum partium irritatione et conuulſione, pulſusque incitamento, inde phyſica neceſſitate ſequentibus, haud cogitari. At vero effectus valde pernicioſos, nimis praepoſteram eorum applicationem ſubſecutos eſſe, ſaepiſſime vidit HVXHAM[o]), quales ſunt pertinax peruigilium, delirium, vrinae ſuppreſſio etc. Qua de re ſuaſor et autor eſt, vt antea iuniores Medici (addere mihi liceat adultiores, et veterani, praxin omnem empirice exercentes, vt aliquod opificium) antequam liberaliores ſint, cum ſalutari hac ſeueritate, Baglivum *de vſu et abuſu Veſicantium* conſulant, atque vt iſtum melius intelligant, antea eius tractatum *de Fibra motrice*, et *Bellinum de ſtimulis* perlegant.

o) *l. c.*

§. XXII.

Cantharidum ſal e veſicatorio ſanguinem ingreſſum cum fundit, et in liquamen putridum diſſolvit.

Hactenus effectus veſicantium in partes ſolidas, mutationesque, quae his ab iis accidunt vidimus. Iam cum §. 17. ſeq. clare opinor et ſufficienter, euicerim, cantharidum atomos ſo-

lutas et ſui iuris, e veſicatorio quo includebantur, factas, corporis interiora vere ſenſim ingredi, fluidisque omnibus intimius admiſceri, iam in actionem veram canthaеridum in ſanguinem noſtrum, et ſerum, mutationesque quae ipſis inde eueniunt, accuratius inquiram. Vtiliſſimum hoc erit ſtudium, apparebit enim inde ſponte, et in ſubſequentibus liquido apparebit, nimis familiarem cantharidum applicationem, prudentiorem deliberationem praeuiam requirere, quam vulgo reputatur. Sequar hac in re ſapiens conſilium Magni Viri ipſius FREINDII [a]), quamuis in multis aliis ad praxin ſpectantibus, cum eo facere nequeam, dicentis: *Quodſi animum ad vim, quae interius exercetur, aduertimus, veſicantium rationem omnem aſſequemur et quo demum modo ad curandos morbos felicius accommodari poſſint, diiudicabimus.* Fallitur inſigniter Cl. AEPLI, quando [b]) aſſerit, *Actionem Veſicatorii in partes ſolidas eſſentialem et certam eſſe, immediatam autem actionem in fluidas hactenus neutiquam euictam eſſe.* Aliter ſine dubio ſenſit BOERHAAVIVS [c]) quando ſcripſit: *Cantharides in ſe gerunt venenum ſpirituoſiſſimum, quod corpus humanum adeo mutat, vt nil maneat intactum.* Quae vero demum eſt illa mutatio, ſanguini et humoribus eueniens, quando eorum maſſam per vaſa abſorbentia ingreditur ſeroſus latex, e loco a Veſicatorio exulcerato, ſale cauſtico cantharidum infectus? Eam vt intelligeret BAGLIVVS [d]), canibus in venam ſubclauiam iniecit Tincturam aquoſam cantharidum, atque inter dira ſymptomata mortuorum diſſecta cadauera inſpexit, tumque in corde et venis inuenit ſanguinem nigerrimum, liquatum, diſſolutum, nil coagulatum. Deinde ſanguini humano e vena miſſo inſperſit cantharidum puluerem, qui primo coagulatus, breui autem totus diſſolutus eſt, in ſerum nigrum et ſubliuidum; inſperſit talem puluerem etiam ſimplici ſanguinis ſero, a quo id liquidius redditum eſt, et vix coagulabile. Auſus deinde eſt aſſerere, veſicantium particulas acres, et in parte ſtimulare, et in ſanguinem

a) *Comment. VII. p. 62.*

b) *pag. 25.*

c) *de Morb. Neru. p. 211.*

d) *vid. Operum p. 647. 648. Experim. I. II. III. IV.*

guinem reaſſumtas valide illius maſſam ſoluere et attenuare [e]). Sanguinem diſſoluere cantharides in emplaſtro admotas, etiam aſſerit BOHN [f]). Atque ante eum non minus iam notauerat WILLISIVS [g]), Veſicatoria humores fundere, ac cogere vt in partes ſecedant, ita, vt pars aquoſa particulis illis acribus et venenatis maxime imbuta cum reliquo latice quaquauerſum proiiciatur. Eadem mens eſt LANCISII [h]) quando ſcribit: particulae acres et volatiles cantharidum, nimium cohaerentia noſtrorum fluidorum corpuſcula, cuneorum et menſtruorum inſtar, ſummouent, et ſoluunt, vnde fluidiora redduntur liquida, atque ad ſeparationes facilius comparantur. Et in ſequentibus [i]) denuo repetit, cantharidum fermentum in Veſicantibus, intra vaſa, cohaerentes lymphae particulas ſoluere. Ill. *van* SWIETEN etiam veſicatoria lentum et viſcidum ſanguinem ſoluere aſſerit [k]). His omnibus tamen non mouetur Cl. *Aepli*, qui quidem concedit largam doſin pulueris cantharidum, interne ſumtam, ſanguinem diſſoluere [l]), ſed plura etiam Veſicatoria id praeſtare negat, potius illa maſſae humorum indifferentia habet. Verum quo minus huic aſſerto aliquis facile ſubſcribat, antea citata praeſtantiſſimorum Virorum effata cauent, et prater ea adhuc ſpecialis opera, qua Cel. FORSTEN [m]) cantharidum vim reſoluentem experimentis demonſtrauit, ſerio prohibet.

e) *pag. 660. §. 5. et pag. 664. §. 2.*

f) *de officio Medici p. 316.*

g) *Pharmaceut. rat. II. p. 223. in fine.*

h) *de noxiis paludum efflauiis lib. II. c. 8. ſect. I. §. 2.*

i) *loc. cit. lib. II. Epidem. IV. §. 37. pag. 280.*

k) *Comment. Tom. III. p. 115.*

l) *pag. 17.*

m) *p. 143.*

Ob tot vnanimia clariſſimorum Medicorum aſſerta, magnum pondus habentia, non dubitabimus, cantharides e Veſicatorio ſanguinem et ſerum ingreſſas, hoc et illum attenuare et diſſoluere. Sed ſolliciti nunc eſſe debemus, an haec ſolutio ita fiat, vt nulla alia mixtioni ſanguinis mutatio inducatur, quam vt eius viſcidae et ſpiſſae particulae diuidantur, a ſe inuicem ſecedant, et ſimplex attenuatio craſſitiei fiat; aut an conſtitutio ſanguinis naturalis, quam ſanitas vel praeſens, vel recuperanda ſibi depoſcit, deprauetur, et in praeternaturalem et morbo-

 ſam

ſam transmutetur. Prius certe aegre concipitur, poſterius autem, adeo primo ſtatim intuitu, valde probabile eſt.

§. XXIII.

Cl. Aepli mota dubia refelluntur.

a) p. 24.

Cel. AEPLI [a]) interea incredulitatem ſuam exinde tueri nititur, *quod in genere exacta notitia modi et principii, quo cantharides in corpus viuum agunt, hucusque deſtituamur, namque nos latere* dicit, *an mechanica, an chymica ratione, vel vtraque operentur, an influxus earum in partes fluidas* (quem hic non negat) *mediate, in actione viuidiore partium ſolidarum in has agente conſiſtat, an principium cauſticum ex cantharidibus abſorptione et inhalatione ſanguinem ingrediatur?* (dum vere ingreditur, quanam alia ratione ex veſicatorio ingrederetur?) *an hoc principium alcalicae, acidae, vel alius tertiae, quartae, indolis ſit, quas mutationes poſt illum ingreſſum in partibus fluidis edat? an hae inflammatoriam in alcali putridum vergentem qualitatem adipiſcantur.* Ad haec omnia reſpondere nequeo, cum ipſe *Forſten* poſt omnes poſſibiles inquiſitiones, tamen confiteri cogatur: latent hac et forte ſemper latebunt, in puteo Democriti. Qui attente hoc effatum FORSTENII [b]) conſiderauerit, et cum omnibus quae praemiſit Vir egregius comparauerit, clariſſime videbit, id tantum pertinere ad tentamina chemica, quibus, ſolerter inſtitutis, adhuc incerta et in medio relicta manet acrimoniae irritantis cantharidum intricata, et abſcondita natura, quam tentamina illa acidam eſſe negant, licet hoc CARTHEVSERO [c]) ita viſum fuerit. Reliqua quaeſita Cl. *Aepli Forſten* paſſim egregie ſoluta exhibuit. Neque etiam in totum verum eſſe puto, quod ille aſſerit [d]), operationem cantharidum a priori non poſſe explicari. Namque poſito earum, cuiuscunque demum indolis ſit, acri ſpecifico ſtimulo, ſatis euidenter illa explicatur. Si nil certi determinari de actione in ſolida et fluida poſſet, diſputationibus, an huic vel illi morbo conueniant, an in hoc vel illo vtilia, vel noxia ſint,

b) pag. 57.

c) Fundam. Mat. med. Tom I. ſect. X.

d) p. 25.

ſint, nullus eſſet finis, atque quoties adhiberentur, res aegri meris incertitudinibus, caſibus, dubiaeque ſorti exponerentur, Medicusque in adhibitione ſemper fluctuare, neſciens an iuvaret, an noceret, cogeretur. Si et a priori et a poſteriori non conuictiſſimi redderemur, emplaſtra veſicatoria circuitum ſanguinis celeriorem et fortiorem efficere, illis, qui magnum eorum fructum in febribus acutis et inflammatoriis ebuccinant, ne verbulum opponere poſſemus, ſique aliorum dehortationes et oppoſitiones, experientiasque experientiis oppoſitas in aeternum audiremus, et legeremus, quis mortalium determinaret, a qua parte Veritas ſtet? Nonne ſic in hoc argumento medica Praxis ſemper errabunda, incerta et empirica maneret? Quod cantharides cauſticum principium in ſe foueant, quod id externe in cutem agat, et quod in interiora corporis penetret, nemo certe in dubium vocabit, qui poſt applicationem earundem ſenſum ardoris in cute et in excretione lotii ipſe percepit. Nil intereſt an hoc ſal cauſticum alcalicum vel acidum, vel alius generis ſit, id tamen concedere tenebimur, ſi, qualecunque fuerit, humoribus noſtris admiſceatur, hos certe eius admiſtione non lenes et blandos effici poſſe. Potius, quando Veſicatoria particulas ſuas venenoſas, acres, et igneas dimittunt, haeque ſe humoribus inſinuant, horumque vniuerſam maſſam imbuunt et inficiunt, fidem ſine dubio adhibebimus MORTONO[e]) aſſerenti, ea, quia partes ſubiectas corrodunt et inflammant, diatheſin inflammatoriam toti maſſae humorum impertiri. Non ſane errauit ALBINVS, quando[f]) dixit: cruorem ſolito fluidiorem reddendo, craſin eius turbare veſicatoria. Cum vero haec craſis turbata vere ſit inducta diatheſis inflammatoria, atque haec craſin alcaleſcentem et in putridum vergentem toties habeat comitem et pediſſequam, hanc concedere tenebitur quiuis, atque eiusmodi ratiocinia, licet ab iis AEPLII lubens abſtrahat, nemo fundamento deſtituta habere poterit.

e) *de febribus contin. Exercit. II. p. 187. 188.*

f) *diſſ. de Cantharidibus §. 9.*

Sed vlterius! Omnia rubefacientia, allium, radix ari, pyrethri, raphanus ruſticanus, caepae, ſemen ſinapi, ſunt alcalinae indolis. Quia nunc cantharides eundem effectum, licet maiori gradu, praeſtant, valde probabile redditur, quod non minus ſal aliquod alcali, vel ad tale accedens in ſe foueant. Quodſi per obſeruationes Cel. CRANTZII [g]), ad *Swietenium* prouocantis, cantharides cum acidis foſſilibus efferueſcant diu, ſaepe etiam poſt annum, concuſſo liquido, efferueſcant de novo, neque vnquam ſaturationis punctum aſſequantur, aut eius productum dent, nil impedit, quo minus ipſis ſal alcali, et quidem ſatis forte et non facile ſuperabile, attribuatur. De ſale alcali in genere pronunciat BOERHAAVE [h]): *Sapor, ſi ita loqui fas eſt, igneus. Si enim particula linguae humidae ſanae imponitur, ſenſum imprimit, qui a prunula ignita oritur, inflammatio ſubitanea naſcitur, quae dein vlcuſculum relinquit. Simulac parti humectatae ſanae ſal hic applicatur, ita vt vno maneat affixus loco, atque extrinſecus tegitur, ne decidat, tum breui ſolutus a naturali humore corporis, ſemper tranſudante, atque agitatus calore illo, qui homini ſano ineſt, facit pruitum, calorem, rubedinem, dolorem vt ab igne, tenſionem reſplendentem, inflammationem veram gangraenoſam, in ima corporis vsque, ita vt vere agat in partes ſolidas humani corporis inſtar ignis. Vtque rurſum ignis cito putrefacit partes animalium, ita quoque alcalinus ſal adſperſus, miſtusque illis, ſubito foetidam putredinem concitat. Hinc hoc reſpectu ſincerus hic ſal veneni inſtar deſtruit animalium compagem, ſicque inter ſales periculoſus admodum homini, imprudenter a recentioribus Medicis pro Medicamento depraedicatur adeo tuto.* An ſi effectus veſicantium ſibi deſcribendos ſumſiſſet *Boerhaauius*, aliam eorum magisque ſinceram imaginem ſuppeditare potuiſſet? Nonne inter hos et illos, qui a ſale alcalino oriuntur, exactiſſima datur ſimilitudo? quodſi etiam vnum, pro circumſtantiarum differentia, prae altero agat vehementius. Vtriusque certe interne ſumti

g) *Mat. med. III. pag. 99.*

h) *Chem. Tom. II. Proceſſ. XII. p. 47. 48.*

ſumti eadem agendi ratio; imo vero ſal alcalinum, ſat dilutum, innocentius multo et, dilutiſſimum, ſub definitis conditionibus, vere fit medicamentoſum. Tanto magis videtur concludi poſſe, ſal cantharidum in alcalinorum ſalium familiam reponendum eſſe. Id probabilius adhuc redditur conſiderantibus ea, quae experientiis nixus ſcripſit Cl. FORSTEN [i]; alcalica vim veſicantem horum inſectorum augere, teſte ſemine ſinapi, et aliis, quae alcalina gaudent natura, et cuti appoſita rubedinem inducunt, cumque cantharidibus in cataplaſmate adhibita, pulchre earum vim adaugent, intendunt, et promouent. Hos alcalinorum ſalium et cantharidum ſimillimos effectus, ſine dubio mente tenuit HVXHAM [k]), quando ſcripſit: Harum muſcarum ſalia ſimili fere ratione ac ſalia alcalina volatilia vim ſuam exerunt, et profecto diſſolutionem, indeque ſanguinis putredinem promouent. Dum de antiſcorbuticis vegetabilibus, quae ſibi relicta ſpontanea corruptela degenerant in foedum volatile, agit *van* SWIETEN [l]), accidere aliquando dicit, vt imprudenti vſu ad ſcorbutum, ſic diſſoluatur ſanguis, adeo exedantur vaſa, vt lethales haemorrhagiae, halitus putridiſſimus, vrina foetidiſſima, faeces aluinae cadaueroſo odore teſtentur putredinem inde natam. Quando nunc haec phoenomena de vera putredine humorum indubium teſtimonium praebent, atque prorſus eadem illa, poſt applicata veſicantia, etiam euenire obſeruantur, his non ſine praegnantibus rationibus vis tribuitur, humorum alcaleſcentiam proritandi. Rectiſſime certe iam inter Veteres *Auincenna* acrem, vrentem et putrefactiuam facultatem cantharidibus tribuit. Atque recentiore aetate BOERHAAVIVS [m]) Veſicatoria, inquit, faciunt halitum cadaueroſum, vrinam foetidam, et acrem, ſanguinem in acre putrefaciens ſolutum. Idem illud confirmat *van* SWIETEN [n]) vixque vnice amore Praeceptoris ſui ductus. Et quid multa? Sufficit, qui in his inueſtigandis tanta opera, tantaque cum laude verſatus eſt doctiſſimus FORSTEN [o]). Is per experimenta

cum

i) *p. 57. in fine et 58.*

k) *Operum II. p. 115.*

l) *Tom. I. p. 113. 114. ad aph. 76.*

m) *in Comment. proprio ad aph. 75.*

n) *in Comm. Tom. I. ad hunc aph.*

o) *pag. 88. ſeq.*

cum cantharidibus, quae accurate recenſet, clariſſime obſeruauit, ſanguinem detentum in calore, qui corpori humano naturalis eſt, non ſolum diſſolui, ſed in liquamen putridum male olens abire. In canum, puluere cantharidum intruſo enectorum, ventriculo, inteſtinis pituitoſam materiam cum ſanguine mixtam ingrati odoris, ventriculum ipſum cum inteſtinis inflammatum et gangraenoſum, veſicam vrinariam inflammatam, veſiculam felleam loco fellis liquido ſanguinolento atro foetido plenam, cor, venam cauam, et emulgentes, vaſa piae matris atro diſſoluto ſanguine referta inuenit [p]). Cum praeter omnia obſeruata haec non raro accidat, quod vlcera a Veſicatoriis enata non raro in gangraenam abeant, quod §o. 16. per multiplicia Autorum fide dignorum teſtimonia probaui, an facile negari poterit, cantharidibus vim competere, ſanguinem ad putredinem concipiendam diſponendi.

p) *pag. 71. 73. experimento 7. et 9.*

§. XXIV.

Obiectiones aliae Cl. Aepli diluuntur.

His omnibus non obſtantibus non dubitat ſcribere Cl. AEPLI [a]): Poſt tot experimenta capta, ſe non credere vnum vel plura veſicatoria, ſanguinem ſani hominis in alcaleſcens et putridum ſerum poſſe diſſoluere additque, Cl. FORSTEN hoc etiam non credere, atque deinde theoreticis argumentis, quae in antecedentibus fruſtranea eſſe demonſtraui, negatiuam ſuam ſententiam tueri ſatagit. Ego autem credo firmiter, poſſibilitatem et veritatem eiusmodi diſſolutionis, per hactenus diſputata, in dubium vocari neutiquam poſſe, et ab hac ipſa mea fide Cl. FORSTEN, vt modo probaui, non alienus eſt. Nempe per propria ſua in oculos incurrentia experimenta, cum puluere cantharidum et ſanguine facta, de hac diſſolutione putrida fuit conuictus [b]) eamque lubens concedit, ea ſub conditione, vt calor accedat, hic autem calor in corpore viuo non deeſt. Per Experimentum I. V. et VI. breui etiam temporis ſpatio ſuccedentem diſſolutionem cum ſignis putredinis, mani-

a) *§. 9. et 10.*

b) *pag. 95.*

manifeſte obſeruauit. Ea propter ita ſcribit[c]): *Videtur mihi his experimentis fidendum eſſe, quia ſtatui naturali analoga ſunt. Sanguis enim per corpus fluens vitalis plerumque gaudet illo caloris gradu, qui in thermometro ſahrenheitianó inter gradum 90 et 100 dantur, praeterquam quod euentus iſtorum experimentorum conueniat cum euentu illorum tentaminum, quae in animalibus viuis circa vſum internum cantharidum inſtitui.* Verum, quod nunquam expectaſſem, non ſine ſtupore animaduerto, in ſequentibus, quae Cl. *Aepli* lubens arripit, et ſua facit, ita pergere Cl. FORSTEN[d]), quaſi omnium eorum quae proprio ſenſu perceperat oblitum: *Ne autem quis credat, me ideo concludere, veſicatoria debita forma applicata putrefactionem ſemper noſtris humoribus inducere*, minime *hanc opinionem foueo Tam parca enim eſt cantharidum ad veſicatorium conſtituendum requiſita quantitas ratione totius maſſae ſanguinis circulantis, vt talem effectum producere non poſſit. Vnde equidem credo, tuto affirmari poſſe cum Swietenio (qui veſicantia vi fundente pituitoſum iners diuidere et attenuare affirmat) cantharidibus praeter vim ſtimulantem etiam reſoluentem competere, attamen non ideo patere, hanc humores ſemper putrefacere.* Ingenue ignoro, fateor, et non capio, quid Cl. *Forſten* ad hanc exceptionem et limitationem, poſt omnia illa, quae antea adeo euidenter adſtruxerat, diſponere potuerit, praecipue cum ille locus *Swietenii*, quem pro ſua ſententia in fauorem Veſicantium firmanda allegat, accurate conſideratus, nil minus dicat, quod vult, ſed ipſi potius prorſus contrarietur, et repugnet. Concernit hic glutinoſum ſpontaneum, et remedia ſolutioni ipſius inſeruientia, inter quae et cantharides referuntur. De his dicit: *Agunt ratione ſtimuli, quo languentem motum ſanguinis excitant, et vi fundente, qua pituitoſum iners diuidunt, et attenuant, hinc in omnibus morbis frigidis et languidis tanti vſus ſunt*[e]). Sed immediate ante haec verba ſcripſerat *van* SWIETEN: *imprudenter applicata corpori*, (id eſt,

c) *p. 147.*

d) *p. 147. 148.*

e) *Comment. Tom. I. p. 108.*

ſine dubio contrariis circumſtantiis praeſentibus) *febrem*, *ſitim*, *calorem vrentem*, *halitum cadaueroſum* (qui ſine dubio de humorum alcaleſcentia teſtatur) *moleſtiſſimam ſtranguriam faciunt*, *quare a Dioſcoride venenis annumerantur*. Et immediate poſt illa verba, quibus ſuam ſententiam tueri ſatagit *Forſten*, ita ſcribit; *Vbi vero humores diſſoluti acres*, *in putredinem vergentes*, *et magnus motus adeſt*, *non adeo tuto adhiberi poſſe videntur veſicantia.* An alia ratio ſubeſſe poteſt, cur haec talia memoret *van Swieten*, quam quia credit, quod ipſis vis competat ſanguinem in ſerum alcaleſcens diſſoluendi, et ſi iam talis diſſolutio adſit, eam augendi, quod fieri nequiret, ſi haec vis ipſis non ineſſet. Nulla ratione igitur verba *Swietenii*, ſi quae praemittuntur et ſubſequuntur, vna ſerie, in vno contextu et nexu, ſimul legantur, illum ſenſum habere poſſunt, quem vult Cl. *Forſten*: *Licet cantharides ſtimulantem et ſoluentem virtutem poſſideant*, *non proinde ſequi*, *quod humores ſemper in putredinem vergere faciant*, cum potius hoc ipſum doceant et adſtruant. Imo ipſa limitatio Cl. *Forſten*, quod non ſemper humores putrefaciunt, non dicit, quod nunquam hoc faciant, ſed exceptionem minimum admittit, quod interdum hoc praeſtent. Ego interim magis crediderim, *ſaepius* quam *interdum*. Omnia remedia non ſolum agunt ſecundum activitatem ſuam, ſed etiam ſecundum receptiuitatem; eapropter ſal cauſticum ſeſe humoribus inſinuans, et cum iis remixtum, non in omnibus ſubiectis eos eodem gradu et eadem vi corrumpet. Aliud eſt putrefacere, aliud eſt ad alcaleſcentiam diſponere. Si vaſa fuerint laxa, pigra, et inertia, atque phlegmate lento et viſcido repleta, omnisque circulatio languida, vis cantharidum, quae ſub his conditionibus ſaepe conuenit et bonos effectus edit, putredinem non facile infert. Si vero vaſa fuerint elaſtica, mobilia, plenaque et turgida ſanguine orgaſtico, qui ipſe circulans per ſe et ſua natura ad alcaleſcendum eſt diſpoſitus, atque is impetu maiore in orbem circumagatur,

tur, aut humores ad putredinem concipiendam appropinquent, ſine dubio cantharides vim ſuam putredinem inferendi citius et fortius exerent. Haec vis cauſtica et putrefaciens ſiue magis ſiue minus in actum deducatur, tamen ipſis perpetuo manet propria, vt nitro vis refrigerans et putredini reſiſtens. Obiectionem illam, quod quantitas pulueris canthari-dum in veſicatorio adeo exilis ſit, et parui momenti, vt in ratione totius maſſae ſanguineae hunc effectum praeſtare nequeat, in antecedentibus iam nullam eſſe monſtraui, vbi proprium hoc omnium venenorum eſſe euici, vt vltra imaginationem exilibus et pauciſſimis atomis vehementiſſimos effectus edant. Non igitur me mouet Cl. CVLLEN [f]) quando opinatur, exiguam cantharidum particulam, quae reſorbetur e Veſicatorio, craſi ſanguinis mutandae nequaquam eſſe parem, ideoque nec prodeſſe lentorem phlogiſticum ſoluendo, nec nocere ſanguinis diſſolutionem putridam promouendo. Et tamen monet, veſicatoria in nephritide vix locum habere poſſe, ſed circumſpecte agendum, *ne cantharidum notabilis abſorptio fiat.* An non omni tempore, quando applicatur Veſicans, notabilis et ſufficiens, vt noceat, abſorptio cantharidum aeque euenire poteſt, ac ſi malo conſilio aegro nephritico applicaretur? De arcano *Bartholini* contra gonorrhoeam, quod ex ſcrupulo vno pulueris cantharidum, et quatuor vnciis vini rhenani infuſis praeparatur, ſcribit BOERHAAVIVS [g]): Homo, qui liquoris huius filtrati vnum cochlear, ſeptem aliis vini vel cereviſiae admiſtum aſſumit, halitum foetidum, ardorem vrinae, imo mictum cruentum patitur. Sine dubio Vir ſummus hos effectus obſeruauit, gratis enim et praecipitanter aliquid aſſerere nunquam, et nullibi ſolitus fuit. Quam ſubtiles, quam paucas atomos vnum cochlear filtrati liquoris, qui puluerem relinquit, cui parum aut nihil ponderis deceſſit, continere poteſt? Quam valde illae per admixta ſeptem cochlearia vini, aut cereuiſiae, a ſe inuicem ſeiunguntur, et ita ad agendum,

f) *Primae lin. Med. Pract. traductae a Beerenbraeck p. 83. 189.*

g) *de morbis Neruorum p. 211.*

vt videtur, minus habiles redduntur, et tamen adeo ſontici effectus exoriuntur, inter quos halitus foetidus corruptionem humorum luculenter probat. Anne credibile eſt, ex emplaſtro, quod cuti per octo, vel duodecim horas, aut plures, fuit impoſitum, multo plures liberas factas particulas interiora corporis poſſe ingredi? Cur hae non eosdem plane effectus edere poſſent? Imo vero, edunt eos ſine dubio; ſi enim tritae in pollinem aceto humectentur, et immiſceantur fermento panis acido, et applicentur corpori, teganturque veſica, aut emplaſtro, habent, aſſerente *Boerhaauio*, vires penetrantes ad oſſa vsque, cum dolore, et tentigine in toto ſyſtemate neruorum, in veſica faciunt ſtranguriam, in genitalibus priapiſmum, in toto corpore febrem; nil relinquunt in toto corpore intactum [h]). Faciunt halitum cadaueroſum, vrinam foetidam et acrem, ſanguinem, in acre putrefaciens ſolutum [i]). Qui omnia haec, quae hucusque explicui, ſine praeiudicio expendere voluerit, largietur, ſpero, me non ſine fundamento aſſerere, veſicantia noſtris humoribus diſpoſitionem ad putredinem inducere.

h) *Boerhaave de morbis neruorum p. 211. 748.*

i) *In Comment. proprio ad aph. 75.*

Omnia haec accuratius penſitanda, et diligentiſſime notanda ſunt, contra eruditiſſimum Virum, Cl. CLOSSIVM: Hic nempe craſeos ſanguinis mutatae, et alcaleſcens ingenium nactae a Veſicantibus, prorſus obliuiſcitur, et ſimpliciter ſolutionis et attenuationis humorum, ceu eorum effectus meminit, atque vtramque, vt alibi data opera annotabo, benignam et innocentem ſibi imaginatur. *Actio cantharidum* inquit [k]), *neutiquam phyſica eſt, ſed mere mechanica* *) (ſpicula *Borrichii* ſine dubio in animo habens) quando ad ipſum ſanguinem deferuntur, naturalem particularum cohaeſionem imminuunt, eas a ſe inuicem diſiungendo, et in minores particulas diuidendo.

k) *de noua variolas curandi ratione pag. 26. 27.*

*) *Crantzius mat. med. III. p. 79. claſſi venenorum mechanicorum ſaltem infert adamantem, alumen plumoſum, cryſtallum montanum, et vitrum.*

dendo. Actio igitur veſicatoriorum in partes fluidas in hoc conſiſtit, vt maiorem ipſis fluiditatem concilient. De hac quidem re vnanimis hodie inter Medicos dogmaticos eſt conſenſus, ſaltem, an ſolutus ſanguis ſit humor fluens blandus, an vero a blanda ſua temperie deſciuerit, et irritantem acrimoniam alcaleſcentem contraxerit, quaeritur, id quod per antecedentia demonſtrata omnino affirmari debere, clariſſime euincitur. De imaginaria actione per aculeos et ſpicula in ſanguinem, in ſequentibus plura dicam.

§. XXV.

Cl. Veratti coagulum ſanguini per veſicatoria induci aſſerit, ſed perperam.

Verum enim vero, his omnibus de ſanguine et ſero eius, a Veſicantibus diſſoluto, e diametro contrariatur Cl. *Ioſephus* VERATTI [a]), qui Medicorum diuerſis ſententiis, et controuerſiis commotus, veſicantium naturam per experimenta indagare aggreſſus eſt. Sanguinis hominis ſani e vena fluentis vncias quatuor pulueri cantharidum in aptum vas coniecto ſuperfudit. Sanguis tunc continuo coagulationis indicia prodidit, intra 20. minuta, vel paulo plus, totus coactus fuit. Exacta ſemihora, tenues ſeri guttulaee cruoris ſuperficie veluti expreſſae erant, quas ſi cogi in vnum potuiſſent, vix drachmae pondere futuras exiſtimauit *Veratti*. Interim ſanguis vaſis parietibus fortiter adhaerebat, nulla in eo coloris mutatio, nulla craſſamenti reſolutio, quamuis omnia nouem dies ſteterint. Huius experimenti exitus, cum ab exitu Bagliuiano adeo diſtaret, idem iterum iterumque repetendum, ac multipliciter variandum duxit *Veratti*, vt conſtaret, an forte aliquid accidiſſet, cui merito diuerſitas eſſet tribuenda. Namque *Bagliuus* ſanguinem a commixto cantharidum puluere, primo quidem coagulatum, deinde vero totum diſſolutum fuiſſe in ſerum nigrum et ſubliuidum, memorat. *Veratti* ergo ſanguinem variorum hominum ſanorum et aegrorum diuerſi temperamenti, vario anni tempore ſumſit, et decies experimentum

a) *in Comment. bononienſ. 1746. T. I. part. I. p. 175. Comment. de Veſicant. et Tom. II. part. II. pag. 107. opuſculo de veſicantibus.*

 repe-

repetiit aequa ſemper cruoris ſeorſim, ſimili in vaſe, et eodem in loco copia ſeruata. Idem tamen experimentis omnibus exitus fuit, vt ſanguis denſaretur, neque vllam deinde mutationem ſubiret, qua vel natiuus eius color in nigrum aut ſubliuidum abiret, vel conſiſtentia eius ſolutior fluidiorque appareret. Serum etiam, contra *Bagliuum*, a puluere cantharidum minime liquidius, tenuius, et vix coagulabile. Quaerit ergo *Veratti*, quorſum igitur abiit vis illa, qua cantharides pollere dicuntur, attenuandi et ſoluendi? A rubefacientibus ad Veſicantium naturam accedentibus, allio, radice ari, caepis etc. vix citius quam fieri ſolet, per experimenta condenſatio ſanguini inducta, ſaltem ſeri tardior, et parcior a craſſamento ſeceſſio, et fibroſa pars ſanguinis durior et compactior. Quarto die allii ſuccus attenuationis indicia dedit, ſiquidem primo rutilum eius colorem paulatim in ſubnigrum mutauit, atque intra octiduum demum ſanguinis compages in fluxile, atrum liquamen laxata eſt. Quid nunc ego ad haec? cuinam parti accedam, ſiue pro ſolutione ſanguinis, ſiue pro eius coagulatione a cantharidibus ſtanti? Licet omnino cuiuis, vt experimenta ipſe faciat, et effectus ſuis oculis decipere ſe neſcientibus vſurpet. Ill. *de* GORTER [b]) a puluere cantharidum ſanguini admiſto primum aliquantum ſanguinem concreſcere, deinde vero reſolui eum in liquamen plumbeum ſubnigrum ichoroſum, notauit, *Bagliuo* hac ratione ſuffragatus. Experimenta *Bagliui* ſtudioſe etiam inſtituit PERVICAL, Anglus Medicus, et eosdem effectus obſeruauit [c]). Diſſidentes has ſententias Verattianas et Bagliuianas egregie compoſuit veritati vnice litans et aequiſſimus Arbiter Cel. FORSTEN [d]). Inuenit nempe differre effectus multum, ſi vel in atmoſphaera frigidiore vel calidiore ſanguini admiſceantur cantharides; ſi id fiat in aere frigido, illos Veratti obſeruatis analogos eſſe, ſi autem admittatur calor artificialis, vel leniſſimus, Bagliuianis eſſe ſimiles. Ex experimento eius I. V. VI. conſtat, horum

inſecto-

b) *Compend. Medicinae Tract.* 83. *§.* 20.

c) *Eſſays Medical and Experimental Eſſay IV. p.* 191.

d) *pag.* 95. 143—147.

inſectorum puluerem ſanguini admiſtum, cumque eo leniori calori, ſiue atmoſphaerico ſiue artificiali, expoſitum, cito producere putredinem, et diſſolutionem, cum nigricante colore; ſed mutationem hanc ſanguini non inducere puluerem, vbi non acceſſerit calor, per experimentum II. III. IV. eademque phoenomena obſeruari, ſi experimenta inſtituantur cum ſero ſanguinis. Quando nunc ſupponimus, atomos cantharidum ingreſſas eſſe ſanguinem per vaſa motum, calore naturali vel praeternaturali praeditum, conuincamur neceſſe eſt, ipſum ab illis abſolute reſolui, et ad alcaleſcentiam ſuſcipiendam diſponi debere. Rubefacientia, allium, radicem ari, ſemen ſinapi, cum veſicatoriis fere pari paſſu ambulare ipſe aſſeruit *Veratti*, quem tamen experimenta cum iis inſtituta fefellerunt. Omnia vero haec vegetabilia, tantum abeſt, vt ſanguinem coagulent, vt potius in eo diſſolutionem putridam acrimoniamque alcalinam volatilem oleoſam producant, quae ſane a cantharidibus in veſicantibus non minus, et grauior omnino, euenire debet. Teſtatur Ill. *van* SWIETEN [e]), vt iam in antecedentibus notaui, herbas has imprudente vſu, ad ſanandum ſcorbutum adhibitas, ſanguinem ſic diſſoluiſſe, vt halitus putridiſſimus, vrina foetidiſſima, et foeces aluinae cadaueroſo odore inde enaſcerentur. Concludamus ab iis ad cantharides et veſicantia, horumque effectum minime coagulantem, ſed diſſoluentem, ſanguinemque in liquidum acre alcaleſcens ichoroſum colliquantem, contra *Verattum* admittamus, et vt veriſſimum tueamur.

e) *in Comment. ad aph. 76.*

§. XXVI.

Veſicatoria, quia per §um XXI. circulationem augent eaque propter febrem inducunt, in febribus acutis nequiquam conueniunt.

His effectibus, qui ab applicatis veſicantibus in ſolida et fluida corporis redundant, hactenus conſideratis, propius nunc accedo ad ſcopum illum, cui praecipue laborem praeſentem deſtinaui, nempe ad vſum et abuſum Veſicantium in medela morborum ex certis principiis determinandum. Multoties

ties, credo, in Praxi communi et tumultuaria, ea aegrorum corporibus admoueri, ſine vlla deliberatione, an, praeter intentionem reuellendi, alias mutationes inducant, quae noxas certiſſimas inferre poterant, et ſanationi morborum indicationibusque therapeuticis veris contrariantur. Initium faciam a febribus. Demonſtrauit BAGLIVVS [a]) a ſtimulo debere ſuccedere maiorem niſum motuum illarum partium, ex quibus totum ſyſtema membranarum componitur; a ſtimulo villos membranarum, id eſt totius corporis, naturali contractione validius contrahi debere, a ſtimulo augeri velocitatem et curſum ſanguinis. Conſtitit autem §o. XXI. Veſicatoria ſtimulando vaſa circulationem incitare, augere et celeriorem reddere. Iam vero, docente PITCARNIO [b]), febris eſt motus ſanguinis auctus, atque BOERHAAVIO [c]), ex ſola velocitate pulſus febris praeſentiam Medicus iudicat. Aut ergo omnia haec referenda ad ſpeculationes inanes, et ſomnia medica, aut ſequi debet euidenter, ad febrium curationem minime quadrare Veſicatoria, contra communem et triuialem Praxin, quia ipſa ſua naturali operatione, in corpus, faciunt febrem. Facile intelligitur, me de acutis febribus acturum fore, in intermittentium quippe curatione, niſi forte ad hoc vel illud ſymptoma leuandum, Veſicatoria raro vel nunquam in praxi ſolent adhiberi. Febrium acutarum naturam et cauſas, et ad harum remotionem directam genuinam medelam, prorſus excludere Veſicatoriorum vſum, ſi ad veras indicationes rite attendere voluerint eorum Amatores et Patroni, vel inuiti concedere tenebuntur. Quando fermentationes et efferueſcentias humorum, quibus ſummus *Werlhofius* adhuc fauebat, quas tamen cantharides haud componerent, mittimus, nullam febrium theoriam rerum naturae magis conformem inueniemus, quam immortalis BOERHAAVII. Obſeruauit ille toties cruorem violento impetu ruentem de ſectis venis hominum laborantium febre ardentiſſima, phrenitide, pleuritide. Nunquam eo ipſo momen-

a) *diſſ. de Veſicantibus cap. IV.*

b) *Elem. Medic. Tom. I. defin. No. 34.*

c) *aph. 570.*

mento, quo incidit in excipulum, vidit vel leuiſſimum ſignum vllius prorſus ebullitionis, efferueſcentiae, fermentationis, motus inteſtini, rarefactionis; dixit ergo neque ſunt in corpore [d]. d) *Chem. Tom. II. part. II. proceſſu 14.* Reduxit igitur Vir eximius omnes cauſas poſſibiles febrium ad obſtructionem, et ſtimulum. Obſtructio a lentore viſcido, inerte etc. ad me non ſpectat, ſed ſola illa, quae acutis febribus propria eſt. Haec a plethora oriunda tollitur venaeſectione, a ſpaſmo relaxantibus, a viſciditate phlogiſtica nitro, aquoſis, ſaponaceis, et iuſto moderamine circuli, ne excedat vel torpeat. Solus torpor indicare poteſt Veſicantia, et de illo ſeorſim fuſe agam ſuo tempore. Venio ad ſtimulum qui multiplex eſt, ad eum omnia acria pertinent. Dum catalogum cauſarum febres excludentium per ſtimulum BOERHAAVIVS [e]) exhibet, ei etiam applicata externa acria, pungentia, rodentia, lacerantia, vrentia, inflammantia infert. e) *aph. 586.* Aut ergo haec omnia ex claſſe cauſarum febres excitantium erunt exterminanda, aut dandum erit, cantharides acres, pungentes, rodentes, lacerantes, vrentes, inflammantes generare febrem. In Commentario proprio ad hunc locum ſcribit *Boerhaavius*: *Sunt homines, qui non poſſunt ferre cantharides, quin habeant febrem.* Auſim dicere, dum cantharides ſtimulant neruoſum ſyſtema et acres ſuas atomos humoribus immiſcent, in omnibus humanis corporibus efficere, vt habeant febrem, maiorem minoremue, pro gradu ſenſibilitatis maiore vel minore, Veſicatorioque vel fortiore vel mitiore. Pergit *Boerhaavius*: Fuit ruſticus, qui ſanabat febrem intermittentem ſola applicatione ranunculi pratenſis raſi, intra digitos, ſuperpoſita veſica ſuilla, tempore apyregias ante paroxyſmum, tum oriebatur calor ſummus, qui ſuperabat futurum frigus febrile. Fecit ruſticus febrem ante febrem. An autem Veſicatorium debilius ranunculo? Scripſit *van* SWIETEN [f]) in ſuo commentario ad hunc aphoriſmum: *Cantharides applicatae pluribus locis &* f) *Tom. II. 41.* *ſimul* (vel vni largius) *toties febrem et ſitim ſummam effecerunt.*

Ipſe autem BOERHAAVIVS notare non oblitus eſt, cantharides per ſe facere in toto corpore febrem [g]), quare miratur Claros Viros adeo ſaepe veſicatoria laudare [h]). Atque modo laudatus egregius Commentator ad hunc locum, *cantharides* inquit, *in loco, cui applicantur, excitant calorem et deinde in toto corpore caloris augmentum faciunt, quod eſt effectus febris.* HILDANVS grauiſſimum effectum cantharidum externe adhibitarum recenſens, ab applicato in genu cataplasmate, ex fermento et cantharidibus, dolorem maximum, inquietudinem et febrem obſeruauit [i]). Cel. de WOLTTER [k]) cantharides cauſtico et penetrante ſale ſuo, quod humoribus in orbem volutis communicant, pulſum celeriorem, et febrem efficere ſcripſit. Neque negare ſuſtinet ipſe AEPLI [l]) obſeruatum fuiſſe, cantharides operari in circulationem humorum eamque viuaciorem ac pulſum celeriorem et fortiorem reddere [m]), et alibi vim cordis arteriarumque motricem, et calorem augere. Data vero opera demonſtrauit FORSTEN [n]), Veſicatoria, ſtimulando vaſa, circulationem incitare et pulſum celeriorem reddere, atque contra *Glaſſium* et *Whytt*, qui praecipue in pectoris morbis ab iis tardiorem reddi contendunt, egregie monet, hoc fieri, quando pulſus celeritas oritur ex pituitoſa oppletione et obſtructione pulmonum, qua cantharidum vi reſoluente et attenuante profligata, et circulatione ſanguinis ſic libera reddita, celeritas pulſus neceſſario debet minui, quemadmodum etiam ipſe *Whyttius* largitur. Cel. TISSOT, ſi ſaniſſimo homini applicetur veſicans, ſtatim ictus pulſuum celeriores reddi annotauit. [o]) Quando BOERHAAVIVS ad curationem febrium et remotionem cauſarum accedit, inter acria irritantia externe haerentia expreſſo verbo Veſicantium meminit, quibus lenta mucoſa et oleoſa blanda opponenda dicit. [p]) Atque magni Viri Commentator, *quando*, inquit, *a cantharidibus, arſenico et ſimilibus febris nata fuit, magna cautela requiritur. Saepe enim minutae horum particulae tenuiſſimi pollinis ſub ſquamulis* epi-

g) *de Morb. Nerv. p. 748.*

h) *ad aph. 75.*

i) *Cent. VI. obſ. 98.*

k) *in pharm. militari p. 103.*

l) *pag. 19.*

m) *pag. 33.*

n) *p. 148. 149.*

o) *Lettre à Mr. Zimmermann p. 24.*

p) *aph. 603.*

epidermidis haerent, et nocere pergunt; vnde ſollicita abluitio et depuratio loci requiritur. Praeterea locus laeſus ſaepe excoriatus et profundius eroſus eſt, et neruoſa cutis pars a minima etiam aeris applicatione irritatur, et dolet, adeo, vt aëris attactus cruciatum augeat, vnde inflammatio et febris ſaepe ſequuntur, quare molliſſimi fotus, et molliſſima vnguenta requiruntur. Crediderim per tantorum Virorum aſſerta et demonſtrata extra omne dubium poni, Veſicantia circuitum ſanguinis augere et febrem inducere.

§. XXVII.

Nihilominus a claris Viris in febribus laudantur.

Verum ad omnia haec et ſimilia, eximii alioquin viri non pauci, plane non attenderunt, ſed potius, quod quidem numquam ſatis mirari potui, Veſicatoria inter ſumma febrium remedia collocare, et extollere haud dubitarunt. Hi ergo audiendi erunt, licet plurimi eorum, etiam dogmatici, fere ſaltem vnam experientiam crepent, praeteruidentes actionem phyſicam cantharidum, praeiudicatae ſuae opioni indulgentes, et ſibi ipſis interea non raro contradicentes. Vidimus §. 3. Veſicatoria in peſte et febribus malignis fere primo fuiſſe adhibita; cum in his vſum praeſtare viderentur, illico praeceps nata eſt concluſio, in benignioribus tanto magis fructuoſa futura. Optime hoc perſpexit et annotauit BAGLIVVS [a]), *Medici, inquiens, falſa imbuti opinione, Veſicantia vim habere extrahendi venenum febrium malignarum, indiſcriminatim contra omnes cuiuſcumque naturae febres eadem praeſcribebant, magna aegrotantium pernicie.* Ita tamen proh dolor! actum eſt. Qui, dum adhuc de adhibitione Veſicantium inter medicos dimicabatur, tamquam alter Hercules, eorum energiam, quantum poterat, contra *Alexandrum Maſſariam* tuitus eſt *Hercules* SAXONIA [b]), ea febribus continuis, malignis, ardentibus, optimum adferre auxilium aſſeuerauit. Inter recentiores Cel. BOHNIVS [c]), quem tanti fecit BOERHAAVIVS, vt

a) *diſſ. de Veſic. Cap. III. p. 655.*

b) *Prax. med. de febribus c. 24.*

c) *de officio medici p. 316.*

vt eum, cum *Hoffmanno*, in palaeſtra chemica et medica micare inter omnes, edixerit [d]), *Varia*, ait, *in ſanguinem et ſpiritus animales actione, apprime prodeſſe obſeruantur veſicatoria in febribus cuiuſcumque generis, intermittentibus pariter et continuis, et harum quoque malignis.* Dolendum, quod actionem illam variam, qua febribus proſint, non ſimul determinauerit. Deinde etiam Cel. VERATTI, [e]) diſputat contra eos, qui ab vſu Veſicatoriorum abhorrent, eaque non ſine crudelitatis nota adhiberi poſſe, plane et aperte contendunt. Prouocat poſtea ad *Helmontium*, et hunc ſecutum, *Lucam Tozzi*, qui Veſicatoria adeo perículoſa ſe comperiſſe teſtatur, vt ea ſtulta praeſidia, circa corporis ſuperficiem, vbi centralia laborant, et obſeſſa ſunt, a ſpiritu nequam moloch excogitata vocauerit. Pergit VERATTI: *Helmontius* et ante eum priſcis temporibus multi Auctores, Veſicatoriorum vſum non ſaltem inutilem, ſed valde periculoſum ſuadere conati ſunt, ac obſeruationibus ſuis, et rationibus effecerunt, vt vniuerſa medicorum ſchola ab eorutm vſu, vel in ipſis febribus abſtineret. Quis ex his non colligit, Cel. *Veratti* in toto morborum catalogo, quibus prodeſſe poſſint Veſicatoria, primum locum dare febribus, in quibus carere illis velle praecipue religio ſit. Sed nec hic celebris vir, in tota diſquiſitione, de hoc argumento, vel vnico verbulo aliquid dicit, cur proſint in febribus, et cui demum fini impetrando haec emplaſtra queant inſeruire. Doleo, mirum quantum, quod Cel. *Vogelii* diſſertationem, de tuto et eximio Veſicatoriorum vſu in acutis non viderim, quae Göttingae 1768. habita eſt. Credo, in his potius id euenturum, quod celeberrimus Vir in materia medica ſcribit [f]): Toti inſecto vis ciens et vrens ineſt, qua, vbi aut intus ſumitur, aut cuti applicatur, corpori alienum fieri poteſt.

d) *Chem. I. p. 85. edit. Lipſ.*

e) *Comm. inſt. Bononienſ Tom. II. part. II.*

f) *p. 340.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Verum enim vero ſi omnia practicorum medicorum monumenta, quae exſtant, ſollicite peruoluamus, vix vllum auctorem inueniemus, qui cum maiori fiducia magis honorificum panegyricum ipſis ſcripſerit, et quidem ſpeciatim in ſanandis febribus, quam Ill. FREINDIVM. Quo maior eſt Viri eruditiſſimi fama et auctoritas, etiam poſt eius fata ſuperſtes, quam ex merito longe lateque diffuſam obtinuit, eo maiori cura expendenda ſunt omnia, quae totus in cantharidum laudibus promulgandis ediſſerit. *Speciatim ab Ill. Freindio, qui modeſte confutatur.*

Magni facit FREINDIVS Veſicatoria, de quibus Commentariorum de febribus, ad lib. I. et III. Epidemiorum Hippocratis, nonum et vltimum ſcripſit, tamquam euacuans, poſtquam alias euacuandi vias, quas natura, aut eius interpres, *Hippocrates*, in vſum deduxit, hactenus conſiderauerat, illaque eapropter, non poſtremum locum in febrium reſtinctione ſibi vindicare dicit [a]).

Veſicantia valentiſſima eſſe, ait, et maxime efficacia, et morbi vim alleuare, modo quodam expeditiore, magisque inopinato, quam cetera quaecumque euacuantia, venaeſectionem ſi exceperis [b]). Quamquam pluribus in morbis ſint vtilia, febribus tamen maxime proficere, teſte experientia, ſcribit [c]).

In his omnibus igitur, ex nullo alio capite, Veſicantia a *Freindio* extolluntur, quam quod morbi vim alleuent euacuando. In hoc momento igitur debet conſiſtere fauſtae operationis ratio. Interim in ſequentibus idem hic *Freindius* disertis verbis ſcribit [d]): Cantharides ſi ideo proficerent, quod ſerum euocarent, eadem ſane ſeri copia, per vrinae vias effuſa, pariter prodeſſet. Atqui in omni fere morbo ſeri tantumdem per meatus iſtos eiicere licet, quantum Veſicatorio admoto educitur, neque vero in vllo fructum inde aequalem percipi poſſe, experimentis conſtat. Euidens ergo eſt, *Freindium*

a) *in Comm. de febribus p. 58.*

b) *p. 58.*

c) *p. 60.*

d) *p. 61.*

vim antifebrilem, quam Veſicantibus eapropter tribuerat, quod euacuarent, illis ipſum iterum derogare.

De maximo fructu, qui, experientia teſte, in curatione febrium ab eorum vſu redundet, in ſequentibus fuſe diſpiciemus.

Facile videt *Freindius*, *Bellinianam* doctrinam laudibus, quas decernit Veſicantibus, in totum aduerſari; ideoque *Bellinum* reprehendit, qui in eo, quod ſtimulent Veſicantia, vim omnem eſſe poſitam contendat, et eadem de cauſſa pulſum excitari pronunciet. Quaerit, num aut cauſtica, aut fonticuli, aut ſetaceum, aut cantharidum expertia Veſicantia, ea ſtimulandi virtute polleant, vt pulſum ad tempus attollant? Purgantia, inquit, ſtimulum inteſtinis admouent, vnde tamen nihil virium pulſus adquirit. Aqua bulliens, carbo ignitus pruritum in cute et Veſicam commouent, ita tamen, vt ne minimum quidem ſanguini motum adferant [e]),

e) *pag.* 62.

Ego certe in his ſingulis, adeo confidenter aſſertis, *Freindium*, tantum virum, nullibi inuenio. Sane omne cauſticum in parte affecta ſemper parit inflammationem, quae ſine febre vel mitiore, vel grauiore, ne concipitur quidem, cum haec ad eſſentiam inflammationis ſpectet. Nil certius eſt, quam veteres Chirurgos ſuis ignitis ferramentis violentas febres induxiſſe. In fonticulis, quando ſemel vel inciſione vel cauterio excitati ſunt, leniter omnino irritat piſum, neruoſamque ſyntaxin non multum commouet, licet humorum affluxum mediocrem concitet. Setaceum autem, notat HEISTERVS [f]), ob dolores, quos adfert, prohibere, quo minus multi aegrotantes nobile hoc et efficax medicinae genus admittant. Nonne autem effectus doloris ſunt febris, calor, ſitis [g]), cet.? Nonne febris fere ſemper magnos dolores ſequitur, etiam in illis morbis, qui ex ſua natura minime in febrem vergunt [h])? Nonne ruſticus cantharidum experte veſicante, ranunculo,

f) *Chirurg. lat. p.* 730.

g) *Boerh. aph.* 226.

h) *van Swieten in Comm. ad hunc aph.*

culo, febrem induxit, et pulſum ad tempus adauxit? Oleum, e ſcarabaeis lucanicis factum, ad modum olei ſcorpionum, pulſibus inunctum, certo experimento febrem excitare, ephemeram aemulantem, recenſet HOEFERUS [i]).

i) *Herc. med. lib. I. c. 6.*

Quid de purgantibus dicam, quo magis draſtica fuerint, aliquid venenoſi habentibus, quorum ſtimulo nil virium pulſum adquirere, putat *Freindius?* Cogitandum eſt, ſtimulum ſaepe ſimul purgatione eiici. Interim a purgantibus, improvide datis, flatulentias, ſitim febrilem, calorem, ſub ipſa medicamenti operatione animaduertit HOFFMANNUS [k]). Sique doloroſa tormina induxerint purgantia, neceſſario febrem poſt ſe trahent, atque quando diatheſin inflammatoriam, vel leuiorem, vel grauiorem proritauerint, hacque necent, num illam concipere ſine febre licebit? Poſt data purgantia in principio acutorum BAGLIVUS [l]) nihil frequentius obſeruauit, quam febris exacerbationem, vigilias, deliria, motus conuulſiuos. Atque SYDENHAM [m]) cauendum eſſe, inculcauit, ne forte ab agitatione et tumultu, quem in febricantium ſanguine et humoribus purgantia ſaepe excitant, aeger ex ſpirituum animalium confuſione comatoſus fiat. Aquam autem bullientem, carbonemque ignitum pruritum ſaltem in cute et veſicas commouere, ita tamen, vt ne minimum quidem motum ſanguini afferant, monere *Freindium*, virum ſummum, id non ſine dolore lego. Habet combuſtio ſuos gradus a leuiori dolore ad ſummum, ab inflammatione leuiore grauiore ad ipſam gangraenam; ergo etiam a leuiore febre ad grauiorem et grauiſſimam. Sed inflammatio nil eſt, niſi ſtagnatio ſanguinis in parte, cum motu reliqui ſanguinis liberi aucto, ſeu febre.

k) *Med. Syſt. Tom. II. p. 78.*

l) *pag. 659. 660.*

m) *p. 654.*

Pergit nihilominus audacter *Freindius:* „In febribus acu„tis tutum maxime atque expeditum auxilium praeſtant Ve„ſicantia, quae quidem, licet materiam febrilem a cerebro „potentiſſime auertant, fluxiones tamen ceteras, ſudoris,

„prae-

„praecipue autem vrinae, ſaepenumero iuuant, ſaltem „nullo vmquam modo reprimunt.“

Potentiſſima reuellentia ſunt Veſicatoria, id omnino certum eſt; vrinam ſi propellant fortius, ſemper metus ſubeſt, ne id cum dolore et mictu ſanguinis fiat. Proſunt reuellendo in morbis ſine febre, et in quibus febrem excitauiſſe, nil nocuerit. Sed febris acuta iam praeſens ſupponit celerem et validum motum humorum, verſus cerebrum praecipue excurrentem. Nil ergo iuuerit, eum Veſicatorio aliquo modo ad partem irritatam inuitaſſe, quando eodem tempore in toto corpore ſimul intenditur et fortius, ac antea, verſus cerebrum excurrit, quod bene perpendendum eſt.

Nunc vero *Freindius* fere deſinit eſſe medicus, immani ſua praeiudicata opinione abreptus, qui alioquin eruditione et ſapientia bene multos vicit; ſic enim loquitur: „Neque „in eo percurioſius haerendum, vt ſemper ad aegri habitum „aptentur Veſicatoria, quaecumque enim fuerit corporis „conſtitutio, vtcumque ſiue bile, ſiue ſanguine tenui feruidior, ſi febris vltra modum ſaeuierit, leuia incommoda „non tanti ſunt, vt de vita interim ipſa non ſimus ſolliciti. „Saepiſſime enim in id diſcriminis res venit, vt nihil, niſi „a veſicantibus, ſpei reliquum ſit.“ [n])

Longe certe aliter ſtatuit BAGLIVVS, [o]) quando in vſu Veſicantium maximam cautionem adhibendam eſſe dicit, ne indiſcriminatim praeſcribantur quolibet anni tempore, cuilibet aetati, temperamento, habitui corporis, et quibuslibet morbis. Quaererem ego a celebratiſſimo *Freindio*, quale demum ſit illud remedium, maxime e generoſis, in tota praxi medica, quod non ad aegri habitum aptandum ſit? An poſſibile eſt, vt id, quod ſanguini ſeroſo, pituitoſo, fibrae laxae, pulſui lento, debili, conuenit, etiam conueniat ſanguini a copia et bile feruenti, fibrae ſtrictae, pulſui valido, et celeri? An remedium, quod, vt cauſa, febrem poteſt produce-

n) *p. 62. 63.*

o) *operum p. 651.*

ducere, eam etiam, vltra modum ſaeuientem, poteſt refraenare? An rapido et perniciſſimo curſu agitatus equus inſidentem excuſſurus, et in praeceps daturus, calcaribus additis quietior reddetur, et lentius incedet? Aut probari debet, ſtimulum febrilem ſtimulo cantharidum obtundi, et aboleri, quod nemo facile praeſtiturus eſt; aut concedendum, febrem, vltra modum ſaeuientem, Veſicatorio ad ſummam rabiem incitari. De leuibus incommodis, a Veſicatorio oborientibus, ſermo non eſt, ſed de grauioribus et grauiſſimis, ex his, leuibus habitis, enaſcentibus, quae vitam hominis non in vado locant, ſed praeſentiſſimo periculo exponunt. Si febris eouſque ferueat, vt id diſcrimen naſcatur, quod vix aliquam ſpem reliquam eſſe ſinat, tantum abeſt, vt Veſicantibus illa tuto committatur, vt potius haec ſpem hanc, in totum inanem, et collapſam redditura ſint certiſſime; non ſecus ac ardens, et flammis deuoranda domus, addito igne, tanto certius deflagraret.

Ex vno errore in plures progreſſus facilis eſt. Triſtem hanc experientiam ſuo exemplo *Freindius* comprobat. In variolis, inquit, morbillis, febre ſcarlatina, eryſipelacea, licet ſanguis ardentius aeſtuet, incitatius feratur, hoc tamen auxilii genere haud dubitanter neque infeliciter vtimur. Quare nequaquam audiendi ſunt ii, qui in febribus ardentibus et continuis, etiam ſi ſopor adſit, aut delirium acceſſerit, Veſicantium vſum repudiant.

Pendent haec infelicia conſilia ab hoc ſolo, quod non attendat *Freindius* ad inconcuſſam veritatem, cantharides accelerare circulum ſanguinis; ea enim admiſſa, nemo medicus vmquam, ſi in his febribus ſanguis aeſtuet, et incitatius feratur, ea applicari ſuaſerit, felicemque inde effectum ſibi pollicebitur. Aeſtuat in variolis et morbilis et celerius mouetur ſanguis, ob ſpecificam acrimoniam, quae vnicuique ex his febribus propria eſt, quaeque potente ſuo ſtimulo morboſo,

curſum ſanguinis valide auget, et incitat. Huic ſtimulo morboſo, medicum ſtimulum vrentis acrimoniae cantharidum addendum eſſe, et opponendum, vt morboſus agere deſinat, aut mitius agat, nemini in mentem venire poteſt, namque nemo cantharidum acrimoniam pro antidoto acrimoniae varioloſae, aut morbilloſae declarabit. Vt haec ſub ſpecie exanthematum, vi vitae ad exteriora feliciter determinetur, huius iuſtum moderamen requiritur. Longe ſaepius autem pro hoc fine impetrando, fraeno opus eſt, quam addito calcare. Numquam ergo prudentem locum habere poſſunt Veſicantia, quam vbi vis expellens languida nimis eſt, et expulſioni haud ſufficit, atque vbi ob hanc exanthemata retrocedunt. Attamen ſub his circumſtantiis BOERHAAVIVS, in epiſtola quadam ad *Baſſandum* p) excitantia quidem laudat, contrayeruam, ſerpentariam, rutam, vinum rhenanum, ſed de Veſicantibus ne ſyllabam habet. Atque haec de febre prima! Doleo toto corde, ex falſiſſima hypotheſi, febrium remedia eſſe Veſicantia, fluere etiam eorum laudatum vſum, in febre variolarum ſecunda, de quo *Sydenhamus* prorſus tacet, venaeſectioni et opio vnice confiſus, quem vero *Freindius*, mirum quantum, commendat, licet in ſe ſit pernicioſiſſimus, et necare potius, quam ſaluare aptus, niſi alia vere indicata remedia ſimul adhibeantur, noxaſque Veſicatoriorum forſan mitigent, et ſua energia his praeponderent. Si verum fuerit, venaeſectionem vtilem et neceſſariam eſſe in ſecunda variolarum febre, eapropter, quod ſanguinis impetum et orgaſmum refraenet, cui fini, ipſi in ſua actione e diametro contrariantia, Veſicatoria applicabuntur? Omnis ſuperficies corporis a confluentibus variolis iam aduſta eſt, quaſi tota meris Veſicatoriis cooperta foret, in quem finem ergo his tormentis morboſis medicus tortor ſua adiiceret? Merentur omnino huc transſcribi, quae habet HOFFMANNVS q): *Gerardus Columba veſicantium vſum valde noxium in variolis deprehendit, quia non multo poſt ſecu-*

p) *vide Comm. van Swieten Tom. V. p* 73.

q) *Med. Syſt. Tom. II. p.* 283.

tae

tae ſunt conuulſiones, *ob dolorem quem excitant*, *praecipue eo tempore adhibita*, *quo ardentiſſimus durante exulceratione vrget dolor*, *ex quo certe iuvenes ſenſibilioris texturae moriuntur*, *praeſertim in confluentibus*, *quia ille membranas cerebri in conſenſum rapit moxque delirium et conuulſiones excitat.* Debilis pulſus in hac febre ſi obſeruetur, licet ſat ſaepe ſit nimis fortis et vehemens, indicari videtur primo intuitu vſus Veſicantium, quae eum excitent omnemque circuitum vegetiorem reddant. Sed notandum, quod toties inculcauit *Sydenham*, febrem eſſe putridam, a particulis putridis variolarum ſuppurantium, in ſanguinem reſorptis, oriundam. Suadet ergo ſana ratio, vt pulſus excitetur, non ſtimulo cantharidum, qui ſanum adeo ſanguinem in liquamen putridum diſſoluit, ſed remediis acidis, vegetabilibus, mineralibus, gratis analepticis, vino rhenano, potui aquoſo admiſto, myrrha, camphora, cortice peruuiano. Haec ſunt palmaria, interponenda blandis aluum laxantibus, merito a *Freindio* commendatis, quae colluuiem purulentam in humorum maſſa coaceruatam ſenſim educant, et vera ſunt febris ſecundae remedia. Rectiſſime Veſicatoria reiicit Ill. TISSOT, [r]) atque ea nocere, praeſertim in vehementi ſuppurationis febre, ſcribit, quidquid ſuaſerint ante 30. annos *Freindius* cum ſuis aſſeclis. Ne aliquis experientiam opponat, belle adiicit *Tiſſot*, ſi vmquam profuerunt in hac febre, profuerunt vnice largam puris copiam euacauando, ſed tot contaminantur naeuis, vt illas hoc ſcopo adhibere piaculum foret, inſuper dubium remanet, num verum varioloſum pus, ante, quam apponerentur, iam exiſtens, aut nouum, quod ipſa generant, euacuent. Multoties damnoſae huic medicationis methodo praeferenda eſt, cum benignis purgantibus, diligens variolarum bene maturarum pertuſio, ſpongiis deinde aqua et lacte tepido madidis iugiter applicatis, vt pus extrorſum alliciatur, eidemque exitus ita paretur. Optat BOERHAAVIVS, [s]) qui fomenta perpetua emollientiſſima

r) *in epiſt. med. pract. ed. 1770. p. 224.*

s) *in comment. proprio ad aph. 1402.*

cum

cum pannis laneis hunc in finem commendat, vt aegri perpetuo ferre poſſent balneum vaporis, quod debilitas eorum ſumma non admittit. Vnicus forte caſus eſt, qui in febre ſecunda variolarum Veſicantia fert et poſcit, bene a TISSOTO annotatus, [t]) vbi relicta cute ad pulmonem acre deuoluitur virus, cum frequentiſſimo et debiliſſimo pulſu, cutis ſiccitate, orthopnoea, anxietate. Forte tamen et hic, niſi ſummum ſuffocationis periculum vrgeat, emollita cutis fomentis aſſiduis, laxa aluus, oxymel ſimpl. et ſquill. cum nitro, et balnea pulmonica cum aceto, maiorem vſum praeſtabunt, quam Veſicantia. Haec de variolis; eaedem fere cautiones valebunt de morbillis, et febre ſcarlatina.

t) p. 223.

Quod coma et delirium febrium acutarum attinet, videbimus in ſequentibus, an operae pretium ſit illos audire, qui ſuis praeceptis, rationibus et experientiis, Veſicatoria in his febrilibus ſymptomatibus diſſuadeant.

Nunc *Freindius* [u]) *Sydenhamum* adoritur, eumque taxat, dum hac methodo, quam vlla alia, ex febribus liberos euaſiſſe aſſerit, quod ille, ad febres 1644. 1675. 1679. 1685. populariter graſſantes Veſicantia adhibuerit optimo conſilio, aliis autem annis praetermiſerit, qui tamen nullam febrem intulerint, in qua non aeque profutura fuiſſent Veſicantia, quorum vis in omni morborum acutorum tractatione latiſſime pateat. Non longe abeſt deinde Cel. *Freindius*, vt putet, aegros, quos *Hippocrates* in febribus amiſerit, prae omni alia medicina proficientibus Veſicatoriis potuiſſe ſeruari.

u) p. 63.

Adhibuit omnino *Sydenhamus*, annis citatis, in febribus Veſicatoria, an ſemper cum fructu, non conſtat. Forſan deinde omiſit, quia numquam ſuis ſententiis pertinax inhaeſit, et ſuos errores interdum commiſſos introſpexit, et correxit, et quod ipſe profeſſus eſt, cautior factus fuit. Saltem in ſchedula monitoria [w]) de nouae febris ingreſſu, *in* phre-

w) p. 660.

phrenitide radi caput iuſſit, ſicque cerebrum recreare et refrigerare laborauit, vt ſenſim calidas impreſſiones, vt loquitur, queat vincere. Atque idem notari etiam de comate, huic febri ſuperueniente, voluit, in quo Veſicatoria, non ſaltem nullo cum fructu, ſed ne ſine maximo quidem periculo vſurpentur, adeo, vt mortem ſaepius adſciſcant. Ab actione Veſicatorii, quam ſal eius cauſticum patrat, refrigerationem cerebri, quae medelam *Sydenhamianam* abſoluit, nemo facile exſpectauerit. *Hippocrati* apologiam ſcribere iam non vacat. Finit tandem ſua praeconia *Freindius* his:

„Illud autem prae aliis commodi habet haec euacuandi „via, vt numquam non tutiſſime in vſum duci poſſit. Ce„terarum enim ita perdifficilis et lubrica eſt ratio, vt non„numquam eae, vbi atrocior fuerit morbus, non ſine pe„riculo tentari poſſint, id quod in venaeſectione ſaepe ex„perimur, a qua, plus diſcriminis habente, non ita, vt a „Veſicantibus, quiuis abhorret.“ Taxat deinde aegrorum puſillanimitatem, et medentum mollitiem, quos, ſi humaniſſimi ceteroquin ſint, vbi vitae periculum immineat, tortores eſſe deceat. [x])

x) p. 63.

Impoſſibile prorſus eſt, vt Veſicantia ſemper tutiſſime adhibeantur. Nullum enim remedium, etiam e benigniſſimis, de quorum abuſu elegantem diſſertationem ſcripſit *Hoffmannus*, nominari poteſt, quod non, quando haud rite adhibetur, queat nocere. Ad benigna autem, ſuo ſenſu contradicente, cantharides nemo referet. Lubrica eſt ratio venaeſectionis, quando ſanguis nimis remiſſo impetu fertur et febris torpet, ſed non tantum ſumme lubrica; ſed potius ſumme infida eſt Veſicantium ratio, quando ſanguis nimis forti impetu proiicitur, et vehemens febris adeſt. Iuſto tempore magna medici et Chirurgi virtus eſt immiſericordia, ſed non ſemper. Poſtulat humanitas et amor proximi, vt aegri, a morbo ipſo facile perdendi, a medico accedente, illique ſuppetias ferente, non

 certius

certius occidantur, eo inſuper ita feriente, vt ſe mori ſentiant.

Colophonem ſuo commentario imponens, *Freindius* Veſicantia ad febrilem materiem euacuantia refert, quibus ſolis multae febres auſcultare ſoleant [y]).

y) p. 64.

Notaui iam antea, quod aliam virtutem ipſis ineſſe credat *Freindius*, ab euacuatione pauci feri nil ſibi promittens [z]). Sed adeo, ſine vllis limitibus poſitis, illa extollens nullibi tamen exponit, cur alia ex ratione proſint, aut prodeſſe queant, vna reuulſione a ſuperioribus excepta, quae ſi iuſte inſtimatur, tamen ad ſymptomata ſaltem minuenda et oppugnanda facit, non ad ipſum morbum. Sufficit *Freindio*, enthuſiaſmo aliquo abrepto, ea pro polychreſtis non ſaltem, ſed pro panchreſtis remediis declarauiſſe, omni neglecta rationali aetiologia.

z) p. 61.

Magna interim ſemper et vbique vis veritatis eſt, ita quidem, vt inter denſas hypotheſium nebulas haerentis radii, his vtcumque diſcuſſis, quaquauerſum diſperſi, ſubinde etiam hominem ipſam negligentem feriant, atque haud opinantem, de ea apertum teſtimonium ſua ſponte proferre cogant. Miremini mecum, Lectores optimi! *Freindii* agendi rationem, qui, licet ſibi ipſi contradicat, tamen inter media Veſicantium praeconia diſertis verbis ſic loquitur:

„Intus aſſumptae cantharides inter alia vim habent in „ſanguinis curſu incitando, - - veriſimile eſt, eas etiam, cum „cuti admotae ſunt, altius peruadere, humoreſque eodem „plane modo commouere [a]).“

a) p. 61.

An autem hoc volumus, quando febres acutas curare aggredimur? nonne potius omnis labor contrarios fines intendit? quomodo igitur febribus, iisdemque etiam vltra modum ſaeuientibus, quod alibi dixerat, conuenire poſſunt?

Porro: Cantharides in Veſicantibus, in ſanguinem vim exercent. Eapropter hecticis (praecipue ſi ſudoribus colliqueſcant) billioſis item, iiſque, qui ad febriles aeſtus natura

tura ſua feruntur, interdum noxia ſunt, etiam vbi corpus plenius fuerit, ſi ſcriptoribus habenda fides, et, niſi venam ſecueris, periculoſae, ſiquidem cum ſanguinis molem admodum attenuent, curſumque intendant, febres et deliria pariunt [b]). b) *p. 6.*

Oro ego quoſuis cordatos lectores, vt haec et alia *Freindii,* a me adducta in antecedentibus, effata inuicem concilient. Si diuerſo tempore, inque diuerſis libris, talia, e diametro ſibi repugnantia, ſcripſiſſet *Freindius*, longe minus mouerer, at in eodem commentario paucis paginis conſtante, adeo diſſona legi, prorſus obſtupeſco. Dum in illos animaduertit, qui interiorem vim Veſicatoriorum negant, et tamen cruciatus, quos in vrinae meatibus excitant, admittere debent, et explicare inſtituunt, in haec verba erumpit [c]): *Ita fere, qui rationem male ſemel inſtitutam mordicus tenet, in eas dilabitur difficultates, vnde ſe expedire vix poteſt, niſi a ſe ipſo diffideat ipſe, ſecumque diſcordet.* Fallor, aut ipſiſſima verba haec ad *Freindium* applicari poſſunt, Veſicatoria adeo in febribus laudantem, et tamen, quod illa febrem ipſa excitent, negare nequeuntem, ſed aperte potius profitentem. Mihi quidem hae diſcordes ſententiae, pro veritate mea ſtabilienda, pleniſſime ſufficiunt. c) *p. 62.*

§. XXIX.

Et Cel. Cloſſii, cuius ſententia expenditur, et amice refellitur.

Neſcio, an *Freindii* placitis, licet ſibimet ipſis prorſus obloquentibus, ſeſe abripi paſſus ſit cel. CLOSSIVS, medicus egregius, litteratus, et in arte pulchre peritus. Id interim certum eſt, ipſum inter auctores claſſicos, pro adhibitione Veſicantium in febribus militantes, referendum eſſe, teſte eius, ante decennium edita, *noua methodo medendi variolis.* Doleo impenſe, quod cum eo facere nequeam, tantoque magis, quod tenuitatis meae nimis honorificam paſſim mentionem iniecerit, quam ingratus apparens, vt confutatione aſſertionum

tionum eius rependam, aegerrime a me impetro. Sed etiam inter diuerſa ſentientes ſubſiſtere poteſt exiſtimatio et amicitia, vt inter *Hahnium* noſtrum et *Werlhofium*, nobile ſane par medicorum, ſubſtitit, et inter magnum *de Haën* et me, circa vſum Opii in variolis, (in quo argumento mecum facit cel. *Cloſſius*) non conuenientes, ſubſiſtit.

Veſicatoria dum febrem variolarum primam iugulare vel inſigniter mitigare, aſſerit Cl. CLOSSIVS [a]), conſtat facile, ipſum vſum eorum in febribus acutis haud reformidare. Contradicere potius amat et *Boerhaavio*, et *Tiſſoto*, et mihi, pro febrifuga, febrificam potius vim ineſſe cantharidum ſali, aſſerentibus. Dicit, ſe ſat expertum, poſteriorem prorſus inficiari non poſſe, ſed neceſſariam, conſtantem, et perpetuam eſſe, ſine audacia negare audet, atque allegat Ill. *van* SWIETEN [b]), duriora verba Praeceptoris, quod Veſicatoria per ſe faciant febrem, ita emollientem, vt *intempeſtiue applicatas cantharides* tantum febrem facere perhibeat.

a) *p.* 21.

b) *in Comment. ad aph.* 75.

Reſpondeo ad haec omnia, pace Cel. *Cloſſii*, cantharides applicatae aut in omnibus ſubiectis ſale ſuo ſtimulum inferunt neruis, aut in certis ſubiectis non inferunt. Ponamus, poſterius verum eſſe, tum tamen de potiori valituram eſſe denominationem conſtaret, nec negari poſſet, pluribus ad minimum reſpectu paucorum, Veſicatoria inferre febrem. Sed in omnibus viuentibus neruis ſtimulum inferunt; nemo quippe facile eſt, cui applicatum recens paratum emplaſtrum Veſicatorium ruborem inflammatorium et veſicam non inferret, licet in vno id citius et fortius accidat, in altero lentius et remiſſius, pro neruorum magis minuſque irritabilium et ſenſibilium conſtitutione, fibrarumque muſculoſarum tenſione maiori, minorique. Pro harum conditionum itaque differentia febris inducta erit manifeſtior vel remiſſior, omnibus tamen augebitur diuerſo gradu circuitus ſanguinis. Nempe, vt deinde ipſe recte monet *Cloſſius*, nullius medicamenti actio eſt abſo-

abſoluta, ſed ſemper corporum conditionem ſequitur. Actio interim pharmacorum in corpora ſemper eſt eadem, licet reactio differat. Nemo puto de puluere ialappae, licet eadem doſis, tribus, quatuor ſubiectis, numero diuerſas deiectiones, cum vel ſine torminibus inferat, non concedet, eius reſinam in omnibus ſua natiua dote fibras ventriculi et inteſtinorum ſemper ſtimulare. Nemo, ſi tres vel quatuor homines diarrhoeam a laxitate patiantur, iisque detur eadem doſis adſtringentis, in vno autem diarrhoea ſtatim ceſſet, in altero minuatur, in tertio perduret, facile negauerit, in omnibus tamen adſtringens remedium fibras adducere, licet in vno plus, quam in altero. Ita etiam, vt in aliis multis pharmacis, ſtatuendum eſt de Veſicatoriis, ſemper et vbique irritantibus et ſtimulantibus, licet effectus ſtimuli pro ſubiecti qualitate, in quod agit, interdum ſit euidentior, interdum remiſſior.

Quod molliorem ſententiam Ill. *van Swieten* attinet, quam, vt antea iam notaui, ex eius verbis etiam elicere laborauit *Forſten*, nempe tantum imprudenter applicata Veſicatoria, febrem, ſitim, calorem, creare, tenendum eſt, et prudentem et imprudentem applicationem ſemper ſtimulo ſuo febrem facere, vt commonſtraui. Applicatio autem ipſa tunc prudens dici meretur, quando praeſenti morbo vere aduerſatur, atque ex febre hac artificiali commodum in aegri ſanitatem redundat; imprudens autem, quando morbo minus conuenit, et damnum in aegri obtinendam ſanitatem redundare facit. Dum, in allegato a *Cloſſio* loco, *van Swieten* de glutinoſo ſpontaneo et lentore inerte loquitur, et Veſicatoria in omnibus morbis, ab eo pendentibus, lentis et frigidis magni vſus eſſe dicit, quia pituitoſum iners diuidunt, et attenuant, clariſſime conſpicitur, ipſum his circumſtantiis poſitis, quae febrem artificialem volunt, prudentem vſum, qui prodeſſe poteſt, luculenter indicare, illum autem neceſſario imprudentem habere, quando contrariae conditiones obtinent.

Eapropter etiam ſtatim haec verba addit *van Swieten*: „vbi „humores in putredinem vergunt, et magnus motus adeſt, „Veſicatoria non adeo tuto adhiberi poſſe videntur.“ Applicentur Veſicatoria homini temperamenti ſeroſi, pituitoſi, nunc paralytico, creabunt febrem, vt alia antiparalytica ſic dicta omnia, huic aegro ſalubrem, quia motus deficientes excitant et reſtituunt. Applicentur homini abundantia ſanguinis boni praedito, cholerico, nunc febre continua laboranti, creabunt etiam febrem, ſed inſalubrem, quia eam, quae iam praeſto eſt, augent, et grauiorem reddunt, forte in aegri perniciem.

Nihil lucratur Cel. *Cloſſius*, dum ab vno remedio diuerſos plane effectus ſequi poſſe aſſerit; vt nempe probet, Veſicatoria modo inducere febrem, modo non, nam ſi hoc ipſi ſine vlteriori inquiſitione, ex qua ratione diuerſus effectus oriatur, concederem, conſtaret tamen, interdum tantum alium effectum obſeruari, quam ordinarie obſeruatur, nemo autem circumſpectus proinde, quia interdum febrem non crearent cantharides, easdem bona cum ſpe, illam non oborituram, poſſet applicare. Namque nemo hunc caſum ſingularem, ab effectu communiter et ordinarie obſeruato toto caelo diuerſum, a priori poſſet hariolari, ſed a poſteriori demum intelligeret; atque ſi ex voto non ſequeretur, fortuito euentui ſalutem aegri fuiſſe commiſſam, ſiniſtra experientia demum
c) *p.* 22. 23. diſceret. Opium memorat *Cloſſius* [c]) foeminamque ſiſtit, colica hyſterica et alui obſtructione laborantem, cui laudanum *Sydenhami* dederat, a quo aluus reſerata eſt, quam tamen alioquin per naturam ſuam retardat, et ſiſtit. At differente effectu non obſtante, vna tamen ſemper ratione in inteſtina agit opium, nempe minuit naturalem motum periſtalticum, quo minuto ſcybala, eo deorſum promouenda, remoram patiuntur. Quodſi nunc fibrae, motum periſtalticum cientes, praeter naturam ſpaſticis ſtricturis laborent, et propter has ſcybala ſubſiſtunt, minuto praeternaturali motu periſtaltico, et ad naturalem deducto,

ducto, excretio aluina prompte iterum ſuccedit. Sed non perinde ſtimulo ſuo in motum cordis et arteriarum agentes cantharides eum modo accelerant, modo retardant, verum aequa actione accelerant ſemper, licet in torpido phlegmatico minus, in actiuo cholerico magis.

Iſchuriam modo cauſantur cantharides, modo profluuium vrinae excitant, vna actione irritante et ſtimulante organa vrinae ſecretoria, et excretoria, quam aegri hydropici laxiſſimae et paene inſenſibiles fibrae aliter ferunt, ac hominis, irritabilibus et tenſis fibris praediti. Sed ſi hae in toto genere vaſculoſo laxiſſimae ponantur, ſemper tamen cantharides earum actionem vtcumque ſtimulo incitabunt, numquam retardabunt et inhibebunt. Numquam itaque eueniet, quod Cl. *Cloſſius* autumat, vt Veſicatoria aliquando febrem, ſub certis conditionibus excitantia, his in contrarium poſitis; eam mitigent vel plane profligent, dum in omnibus ſimpliciter omni tempore ſtimulant.

Nondum deſerere poſſum cel. virum; namque tandem ex actione Veſicantium vſum eorum in febribus acutis inflammatoriis explicare laborat. En eius aetiologiam [d]). *Actio mechanica Veſicatoriorum in eo conſiſtit, vt ſpiculis ſuis cohaeſionem naturalem particularum in humoribus minuendo, maiorem ipſis fluiditatem concilient, lentoremque phlogiſticum diſſoluant, optima igitur ſeſe praeſtabunt febrifuga.* [e]) *Aſſeruit Boerhaauius alicubi in commentario, „omnem febrem inflam- „matoriam illico ceſſaturam, ſi ſanguis omnis ſubito in aquam „conuerti poſſet.“ Tale quid efficiunt Cantharides,* inquit *Cloſſius, mixturam ſanguinis turbantes, et bonam cruoris partem in ſerum mutantes,* et praeceps concludit: *a reſolutione igitur, non a reuulſione ſanguinis, vt vulgo ſtatuunt, maxima ex parte dependet eximia illa virtus, qua Veſicatoria in febribus inflammatoriis ſeſe commendant.* [f]) Incredibile paene eſt, in quos errores ſaepe abducere queat ſemel praeconcepta opinio, et-

d) p. 25. 27.

e) p. 28.

f) p. 29.

iam eruditiſſimos viros. Demus Cl. *Cloſſio*. Veſicatoria ſanguinem attenuare, et diſſoluere, ſed conſiderare debemus, veram faciem et indolem ſanguinis attenuati et diſſoluti a Cantharidibus. Conſtitit §. XXII. non ſimpliciter portionem ſanguinis rubram ita diſſoluere Veſicatoria in ſerum, vt naturali circuitu per vires vitae ſenſim diſſoluitur, ſed ea omnem craſin ſanguinis immutare et turbare, quae vox ipſi *Cloſſio* excidit. Conſtitit, ſanguinem particulis cauſticis imbui et contaminari. Conſtitit, ſanguinis compagem ab iis quidem diſſolui et fundi, ſed diatheſin acrem inflammantem humoribus omnibus induci, teſte *Mortono;* ſolui eos in acre putrefaciens, ex ſententia *Boerhaauii;* ſolui ita, vt per ſalia alcalina ſoluitur, indeque putredinem eorum promoueri, monente HVX-

g) *Il. 114.* HAMO.[g]) An autem talis ſanguinis phlogiſtici ſolutio intenditur a medente in febribus acutis? An talis promoueret ſanationem aegri, an potius eius perniciem? An veroſimile eſt, talem ſolutionem in votis habuiſſe BOERHAAVIVM, quando credidit, omnem febrem inflammatoriam illico ceſſaturam, ſi ſanguis omnis ſubito in aquam conuerti poſſet? Lenem voluit hanc aquam ſine dubio, blandam, et omnis acrimoniae expertem, non ichorem. Secundum eius notata, *inflammatio ſoluitur reſoluendo, ſi humor fluens blandus, motuſque eius*

h) *aph. 386.* *ſedatus.*[h]) E diametro contraria patrant cantharides; quis ergo eas facile reſoluendis inflammationibus in febribus deſtinaret prudenter? Nullo ſane ſale alcalino, vel volatili, vel fixo, valere iuſſa priſtina methodo, vtitur emendata praxis, pro diſſoluendo lentore phlogiſtico; ergo etiam vt ſalibus volatilibus alcalinis, ita multo inſuper fortius agentibus cantharidibus vti nequit. Nitrum adhibet, acida vegetabilia, ſapones ex horaeis hoc diſſoluendi fine, et vt ſimul alcaleſcentiae humorum, quam ipſa febris inducit, quaque necat, obicem ponat. Quis autem, haec omnia vel obiter expendens, bene conciperet, applicationem Veſicatoriorum in febribus excipe-

cipere frequentiae et duritiei pulſus imminutionem, et ſymptomatum omnium manifeſtum leuamen? Interim quando in quocumque morbo inflammatorio Veſicatoria adhibuerit, haec phaenomena, quae a ſanguine ſoluto deducit, ſeſe obſeruaſſe, *Cloſſius* aſſerere non dubitat [i]). Facilius longe, febrem ſynocham in putridam abire, inflammatoriam febrem gangraenoſam diatheſin poſt ſe trahere, concipitur, ſi aegro Veſicatoria liberaliter applicentur.

i) *p.* 29. 30

§. XXX.

Multi tamen Medici ſummi Veſicatoria in febribus noxia declarant.

Relinquam doctiſſimo viro ſuam experientiam, neque vnice meam ipſi, quamquam proprie mea non eſſet, namque potius ex attentione ad aliorum praxin enata eſt, opponam. Eruditiſſimorum et ſimul experientiſſimorum medicorum ſententias, de vſu Veſicatoriorum in febribus, colligere nunc debeo, et in vno quaſi conſpectu exhibere, vt practicis aſſertis veritas ſtabiliatur, quae certe ſpeculationibus theoreticis non tantum innititur, vt Cantharidum fautores cauſſari poſſent. Adeo vbi nondum febris aderat, ſed in habitu macilento et ad febres procliui veſicatoria cantharidibus facile turbas excitare poſſe inculcat WEPFERVS, tutiusque omittendas cenſet [a]). Quanta vi agant inſecta haec in motum cordis, egregie intellexit MERCVRIALIS, alioquin odio Veſicatoria non proſequens, qui, quoniam doloribus inductis ſpiritus valide conuellant, in cordis palpitatione ea non adhibenda cenſuit [b]). Vix ergo etiam in valida ſyſtole febrili locum inuenire poterunt. Magnum ſuo tempore practicum, *Michaelem Etmüllerum*, notat FREINDIVS [c]) quod in morbis, et febribus praeſertim tractandis, Cantharides ita frigide atque non ſine metu quodam medico laudet, vt hanc medendi rationem Italis potius, quam ſuis popularibus familiarem velit, Comment. in *Schroederum.* Sed diu ante eum diſertis verbis ſcripſerat Italus, *Proſper* ALPINVS [d]), artibus ciuium ſuorum neutiquam plaudens, et de earum inſecuritate conuictus: *Numquam pro-*

a) *Obſerv. de affectibus capitis obſ.* 104. *pag.* 445.

b) *Prax. lib. II. c.* 2.

c) *p.* 59. 60.

d) *de medicina methodica lib. V. p.* 173.

bare potui in acutis Veſicantium vſum, quod calorem febrilem augeant, dolorem et vigilias concitent, et deliria inducant, coctionem impediant, non minus et motui humorum critico obſint, cum incertus locus ſit, ad quem vel per quem criſis eſt futura. Non puto, obiter habendam eſſe experientiam THONERI [e]), referentis triſte exemplum iuuenculae plethoricae, febre continua afflictae, cum dolore capitis, vbi, iunioris medici ſuaſu, Veſicatorium ceruici admotum, ſed paulo poſt aegra vociferari, et quiritari coepit de ingenti capitis incendio, poſtridieque ſuperuenientibus conuulſionibus, vitam cum morte commutauit. Audiamus nunc cel. *Mortonum*, quem ciuis ſui, *Freindii*, nimium affectum, et quaſi oeſtrum in Veſicatoria, non correxiſſe, vtique mirandum eſt. Ita vero ille de iis iudicat: *magnum hoc remedium* (quod paulo ante dixerat maſſae humorum inflammatoriam diatheſin inferre) *perperam a vulgo medicorum in quibuscumque febribus indiſcriminatim adhibetur, ſiquidem in inflammatoriis cantharides plurimum nocent, ac flammam flammae adiiciendo, curationi officiunt.* Sed prorſus notatu digna ſunt verba Cel. ALBINI [f]): *Id medicamenti genus, quo ipſo febris artificialis inducitur, quod ſanguinem fundit, illiusque mixturam turbat, quod partes ſolidas inflammat, magnumque aeſtum ciet, febrem tollere debet, fiet hoc ſane ſi febrem efficere et effacere, fuerint ſynonyma. Quibus feliciter ſucceſſiſſe viſum eſt, fallaciam non cauſae vt cauſae commiſerunt.*

Conſentit pleniſſime Ill. LANCISIVS, quando aſſerit: *Veſicatoria vim circumpulſiuam canalium ſtimulo ſuo augere* [g]), *quia nervorum ac membranarum retia ſtimulant, preſſiones liquidorum intendere* [h]), *vſumque eorum in febribus, quas internae inflammationes comitantur, raro conducere* [i]). Praeiuerat ipſi, eamdem mentem fouens, *Georgius* BAGLIVVS: *Per ſtimulos veſicantium,* inquiens, *maior in fluidis fermentatio, turgeſcentia, et orgaſmus excitatur, et in ſolidis viuida quaedam oſcillatio* [k]). *Nocent in febribus ardentibus, et continuis, in quibus*

e) *obſerv. med. lib. I, obſ. 20.*

f) *diſſ. de Canthar. §. 16.*

g) *de noxiis paludum effluviis p. 166. 167.*

h) *ibid. pag. 280.*

i) *Hiſtoria Romanae Epidem. c. IV. §. 22. p. 143.*

k) *pag. 659.*

quibus magna eſt ſanguinis agitatio, et impetus [l]) *poſt imprudenter et intempeſtiue adhibita veſicantia nil aliud obſeruamus frequentius in praxi, quam febris exacerbationem, deliria, inflammationes* [m]).

Veniam ad Illuſtr. HOFFMANNVM, qui auditoribus ſuis, vt aliorum magnorum virorum, ita et *Lanciſii* et *Bagliuii* aſſiduam lectionem inculcare ſolebat. In eleganti de Veſicatoriis diſſertatione ſcribit [n]): *Veſicatoria praeter alia ſymptomata, ſitim intenſam et pulſuum celeritatem generant.* Atque in medicina ſyſtematica, *cantharides*, ait, *irritando nerueas tunicas fortiorem reddunt arteriarum ſyſtolem, qua vniuerſa ſanguinis et humorum maſſa velociore curſu per vaſa fertur - - - pulſu exiſtente forti et celeri, veſicantia non ſunt applicanda, niſi dolores, febres inflammatorias, accendere, et phrenitidem accerſere velimus* [o]). Piaculum foret, ſi BOERHAAVII obliuiſcerer. Docet vir ſummus, hominem, qui liquoris *Bartholiniani*, ex cantharidibus parati, cochlear, ſeptem aliis vini vel cereuiſiae admiſtum, aſſumſit, halitum foetidum, ardorem vrinae, febrem, paſſum eſſe [p]). Porro ſi cantharides tritae, aceto humectatae, immiſceantur fermento panis acido, et applicentur corpori, vires habere penetrantes ad oſſa vſque, cum dolore et tentigine in toto ſyſtemate neruorum, in veſica facere ſtranguriam, in genitalibus priapiſmum, in toto corpore febrem [q]). Tandem (vtinam hoc ſolum effatum medici adeo in applicatione Veſicantium faciles ſerio perpenderent!) *Agunt,* inquit, [r]) *veſicatoria quatenus motum faciunt, et ſe in corpus inſinuant. Non conducunt, vbi humores acres, nec in morbis acutis, nec vbi inclinatio eſt ad alcali. Miror, claros viros Veſicatoria adeo ſaepe laudare, faciunt nempe per ſe febrem, anxietates, halitum cadauroſum, vrinam foetidam et acrem, ſanguinem in acre putreſaciens ſolutum.*

An autem a monitis Praeceptoris ſui adeo recederet Ill. *van* SWIETEN, vt in hoc argumento aliter ſentiret? Minime certe,

l) *pag. 652.*

m) *pag. 659.*

n) *§. 4.*

o) *Tom. II. Part. II. c. 8. §. 6. in ſchol.*

p) *de morbis neruorum pag. 211.*

q) *ibid. p. 748.*

r) *in Comment. proprio aph. 75.*

certe, ſed potius *cantharidum vſus*, ait, *minime tutus, vbi valida febris, calor magnus, et putredinis metuendae ſigna* [s]). *Veſicatoria*, inquit, *non tantum ſtimulant partem, cui applicantur, ſed ſimul motum in toto corpore augent* [t]). *Veſicatoria, cuti ſanae applicata, epidermidem attollunt in veſicam, tenui ichore plenam, calorem excitant in illo loco, et deinde in toto corpore caloris augmentum faciunt. Imprudenter applicata corpori, febrem, ſitim, calorem vrentem, halitum cadauero-ſum, faciunt. Omnia haec agunt ratione ſtimuli. Vbi magnus motus adeſt, humores diſſoluti acres et in putredinem vergentes, non adeo tuto adhiberi poſſe videntur* [u]). *In inflammatione curanda ſemper cauendum, ne acribus irritantibus motus ſanguinis in toto corpore augeatur, ideoque magna cautela laudanda ſunt Veſicantia* [x]).

Neque qui inter *Boerhaavii* diſcipulos doctrina et gloria eminuit, *de* GORTER [y]), aliter cenſuit. *Veſicatoria nocere in morbis cum maiori circulatione, calore corporis, colliquatione pinguedinis, ſiccitate inflammatoria* affirmans.

Ex Belgio proficiſcamur in Angliam! viſuri, quid ibi celeberrimi viri ſtatuant. *Mortoni* ſententiam iam ſcimus. *Veſicatoria febrem facere, et oris ſiccitatem,* aſſeruit LANGRISCH. [z]) *Increſcens febris,* inquit, HVXHAM [a]), *nullo indiget ſtimulante, hinc Veſicatoria tam ſaepe nimis praepoſtero, et minus conueniente modo applicantur. Si irritatio et impulſus iam ſunt nimii, certe ſine vllo iudicio adhibentur.* In illa inſtructione, quae titulum *Nuclei totius medicinae* gerit, quaeque in vſus Xenodochii militaris, iuſſu Ser. Ducis Cumbriae, ab Archiatris, Chirurgis, et Pharmacopoeis regiis, publici iuris facta eſt anno 1748. in germanicam linguam verſa [b]), vbi emplaſtri Veſicatorii mentio iniicitur, haec verba leguntur: *Optimum in ſe remedium peruerſo vſu, ad ſui deſpectum occaſionem praebere poteſt; id huic emplaſtro ſaepe accidit. Qui in omnibus febribus ſine diſcrimine, inque omnibus morbi circum-*

ſtantiis

s) *Tom. III. p. 47.*

t) *Comment. Tom. III. pag. 301.*

u) *Tom. I. pag. 108.*

x) *Tom. III. p. 296.*

y) *Comp. med. II. p. 119.*

z) *med. pract. p. 166.*

a) *Tom. II. p. 115.*

b) *vide p. 40.*

ſtantiis illud adhibet, aperte probat, quod magni Apollinis in ſua arte elogium haud mereatur. Antequam ad illius applicationem acceditur, probe penſitandum eſt, an febris ſit inflammatoria, an neruoſa. In illa, Veſicatoriorum loco lanceola adhibenda, atque demulcentia, refrigerantia, et diluentia remedia. Verum Celeb. PRINGLE [c]), edit. german. de morbis caſtrenſ. aliter ſentire videtur. Diuidit febres inflammatorias in duas periodos, in primam, quando pulſus durus eſt, et venaeſectio indicatur; in ſecundam, quando diatheſis inflammatoria adhuc quidem adeſt, ſed pro hac euacuatione, pulſus nimis debilis obſeruatur. *In hac periodo*, inquit, *Veſicatoria ſunt praecipuum remedium*, quae exceptis paucioribus caſibus, quorum mentionem ſe facturum promittit, *numquam citius, in vſum trahi debere* affirmat. Harum cautionum autem ſat cito videtur immemor factus Cl. *Pringle*, nam non in paucis, ſed in valde multis caſibus deinde, nempe in angina, dyſenteria, hepatitide, in ileo, phrenitide, pleuritide, in quibus omnibus affectibus manifeſta inflammatio vrget, et pulſus ſat durus eſt, et fortis, quod quidem ſatis mirari nequeo, ſine omni diſcrimine et reſtrictione, Veſicantia impenſe laudat. Sane hanc ſententiam viri doctiſſimi cum iis, quae alibi in egregio eius libro, de morbis caſtrenſibus lego, neutiquam poſſum conciliare. Scilicet in appendice, qui varia obſeruata et experimenta circa ſeptica et antiſeptica continet, quando inquirit, an ſalia volatilia, putredini ſuam originem debentia, vere etiam in corpore, et extra illud putredinem inducant, ſic notanter ſcribit [d]): *De vſu interno parum determinari poteſt, niſi genus morbi accuratiſſime ſimul determinetur. Ponamus, ſalia haec ſua natura eſſe ita conſtituta, vt putredinem iuuarent, tamen quoties putredo a languore circuli, et obſtructione inciperet, propter ſtimulantem ſuam et aperientem qualitatem eadem haec ſalia remedia forent, quae progreſſum putredinis inhiberent.* (id quidem nondum euictum eſt.) *E contrario autem*

c) *p. 150. 151.*

d) *Experim. III.*

tem, (attendamus ſollicite) *ſi etiam vere eſſent antiſeptica, tamen, quando humores noſtri vel ob immanem aeſtum, vel ob incitatum motum ad putredinem concipiendam diſpoſiti eſſent, eadem ipſa ſalia cauſas putredinis augendo, morbum peiorem redderent.* Iam conſideremus, cantharides cum ſalibus volatilibus, quoad operationem, in corpore humano maximam habere ſimilitudinem, quod aliquoties *Huxhamus* vrſit, cantharideſque multo fortius agere, quam ſalia volatilia; conſideremus, de illis neutiquam dubitari poſſe, an ſint ſeptica vel antiſeptica, ſed certo conſtare, eſſe illa ſeptica validiſſima, an ergo, quando fortis motus adeſt, quando calor vehemens ſentitur in corpore humano, id, quod in omnibus febribus inflammatoriis, angina, dyſenteria, phrenitide, etc. euenit, putredinem inhibebunt, an iuuabunt potius, et morbum ipſum peiorem reddent? Cordatus rotunde, et conciſe, et alta quaſi voce, pronunciat Cel. TISSOT [e]): *Hae ſunt vires cantharidum, febrem, inflammationem, calorem, putredinem, quas minuere intendimus, augent.* Vt hoc aſſertum pleniorem fidem inueniat, confirmetur tragico exemplo, cuiuſque vir egregius ipſe fuit oculatus teſtis [f]). Foeminae ſexagenariae, ſanguineae, poliſarcae, apoplexia correptae, poſt venaeſectionem, enemata, purgantia, aliaque haud prorſus imperite geſta, ceruici apponebantur cantharides. Vix, niſi ſpectator, crediſſet *Tiſſotus*, totius inde dorſi phlogoſis, angina, acuta febris, auctus ſopor, qui iam diſcedebat, ſaeui dolores, crudelis anxietas, indeſinens iactatio, horrenda mors. En febrem, cum omni acerborum ſymptomatum comitatu, a ſolo Veſicatorio! Neque ipſe Cl. *Aepli*, tantus fautor et amator cantharidum, notabilia mala ab iis emergentia potuit abnegare. Scribit potius diſertis verbis [g]): *Obſeruatum eſt veſicatorium in circulationem operari, pulſumque celerem et fortiorem efficere, atque eapropter morbos, forti circulatione et orgaſmo ſanguinis ſtipatos, in quibus venaeſectio et refrigeran-*

e) *Epiſt. med. pract. Lauſannae 1770. pag. 225.*

f) *ibid. p. 289.*

g) *p. 19.*

gerantia indicantur intendiſſe et auxiſſe. Nubem ſane teſtium veritatis, viros in arte principes, variarum regionum medicos illuſtres adduxi. Liberum nunc relinquo lectoribus meis, an hos omnes negligere, an paucos Veſicatoriorum in febribus patronos ſequi malint. Coronidis loco adhuc adſcribam, velimque, vt ſolerter et attente, ac mente a praeiudiciis vacua expendantur, et contra ciues eius, *Freindium* et *Pringle*, ſerio notentur verba HVXHAMI [h]): *Profecto, quando ſola ſanguinis aucta commotio excitare poteſt febrem, quidquid hanc commotionem augebit, illam prolongabit et adaugebit. Itaque hac ratione Veſicatoria, quae ſal acre quoddam ſanguini addunt, et fibras inſigniter ſtimulant, certe minus conueniunt, in principio ad minimum, in omnibus febribus ardentibus, et inflammatoriis. At quam ſaepe in praxi conſueta, videmus aegrotis larga ſatis copia ſanguinem emitti, et Veſicatoria applicari, quod profecto ſic cum ratione conueniet, ac ſi quis partem magni incendii prius ſupprimere velit, et mox poſtea reſiduam partem extinguere niteretur, adiecto puluere pyrio, aut vini ſpiritu - - aut ac ſi equo aſpero flagella et calcaria addere velis, quem demulcere cupias: quod ſane fieri ſolet cum Veſicatoriis, vbi vis vaſorum oſcillatoria nimia, et fluidorum motus obſeruatur rapidior.* Taxat in peruerſa hac medendi methodo *Huxhamus* ſimul calida alexipharmaca et cardiaca. Haec per Dei gratiam *Sydenhami*, contra torrentem nauigare auſi, ſapientia, induſtria, et candore, ex praxi febrium acutarum eiecta ſunt, et eliminata. Nonne vero valde peccaret is, qui, ſi tota domus arderet, intus quidem ipſi igni alimenta ſuppeditari paradoxum haberet, et damnoſum clamaret, extrinſecus autem feneſtris apertis ſulphur et picem affricaret, ſcilicet vt ignem internum moderaretur et reſtingueret. Idem facit, qui in febribus alexipharmaca damnat, at nihilominus Veſicatoria laudat. Sed magis etiam paradoxum eſt, alexipharmacorum et volatilium noxas intelligere in acutis febribus,

h) *Operum Tom. II. p.* 23.

eaque propter apprime conuenientia refrigerantia, et antiphlogiſtica ſelectiſſima liberaliter exhibere, et nihilominus externe vrentia Veſicantia admouere, quae omnibus deſideratis effectibus antiphlogiſticis repugnant. Laudat BOERHAAVIVS [i]), in febribus acutis, in ardentium febrium immanitate, in peſte, variolis, morbillis, ſimilibuſque malis, acetum, vt remedium ſummum, vbi alcalini volatiles ſales tam infauſto euentu adhibentur, quia acri ſtimulo velocitatem adaugent. Nonne ergo, quando fauſto euentu, in illis malis denominatis, cum aceto, ſuccus citri, ſucci et ſyrupi horaeorum ſubacidi, nitrum et ſimilia adhibentur, cantharides, ſalibus volatilibus analogas, ſi ſimul in vſum trahantur, quia acri ſtimulo velocitatem adaugent, infauſto omine admoueri, rerum gnari tenentur profiteri?

i) *Chemiae Tom. II. Proceſſ. L. p. 185. edit. Lipſ.*

§. XXXI.

Neque mitigandis febrium ſymptomatibus conueniunt, vt ſiti, cephalalgiae, comati.

Audio autem, fautores earum mihi obiicere, naſci tamen ſaepe ſub febrium acutarum decurſu, vrgentiſſima ſymptomata, morbo aliquando peiora, quae abſolute Veſicatoria poſcant, atque ſine his ſeſe haud impugnari patiantur.

Satis confidenter Cel. CLOSSIVS aſſerit[a]): *Vt febris, ita etiam ſymptomatum ipſam comitantium efficaciſſimam medelam conſtituunt Veſicantia. Sunt illa non raro periculi pleniſſima, nec numquam plane mortifera. Grauiora hic tantum volo, anxietatem, orthopnoeam, ſyncopen, conuulſionem, delirium, carum. Numquam haec ingruunt poſt Veſicatoriorum applicationem, et quando iam adſunt, his admotis breui fugantur. Omnia enim non aliunde pendent, quam quod viſcidum illud, quo ſanguis ſcatet, per tenerrima pulmonum et cerebri vaſcula libere tranſire non poteſt, eaque infarcit. Atque hoc diſſoluendo, Veſicatoria hic prodeſſe, perſuaſiſſimum habeo.* Minime fallitur *Cloſſius*, quod ſymptomata paene omnia a viſcido inflammatorio, vaſa minutiſſima infarciente et obſtruente, excludantur,

a) p. 29.

et

et quod ab huius ſolutione eorum medela pendeat. Sed ſolutionem illam adeo innocentem, et blandam ſibi fingit, quaſi ſpiſſus ſanguis in ſerum naturale, mite et omnis acrimoniae expers, funderetur, planeque non conſiderat, ab actione Veſicantium liquamen acerrimum, cauſticum, inflammans, alcaleſcens, putridum, ex humoribus noſtris antea blandiſſimis naſci. Deinde etiam prorſus non attendit ad motum circuli auctum in febribus, a quo viſcidum inflammatorium generatur, et in minutiſſima vaſa vrgetur, quem vero ſtimulus cantharidum adhuc intendit. Quomodo igitur ſymptomata, effectus velocitatis auctae et oppilationis inde oriundae, Veſicatoriis ſtimulantibus et velocitatem augentibus poſſent leuari? Agam de hoc argumento fuſius et accuratius! Motus aucti febrilis, et cum eo coniuncti, aucti caloris, indiuulſa comes eſt *arida ſitis*, ſed hanc intenſiſſimam, cantharidum indiuulſam pediſſequam eſſe, conſtitit paſſim ex hactenus dictis, quae adeo, ſi in febribus adſit, Veſicatoriis certe haud falletur et reſtinguetur.

Pergo ad *Cephalalgiam*. Non ſine dolore video Illuſtrem Archiatrum et Equitem ROSE'N *de* ROSENSTEIN, in libello mole exiguo, ſed multa egregia continente [b]), aduerſus cephalalgiam in omnibus febribus acutis, vtrinque ad tempora Veſicatorium ſuadere, magnitudinis Nummi Aurei Carolini. Aegre recedo a Summi Viri conſiliis, quae alioquin adeo magni facio. Sed aliter non poſſum. Euicit Ill. HALLERVS ſufficienter, contra ſuos aduerſarios, gratis obloquentes, duram matrem, cerebro pro inuolucro ſeruientem, eapropter eſſe inſenſibilem, quia abſolute neruis, eam percurrentibus, deſtituitur [c]). Quando igitur caput dolet, ſedes doloris potior eſt in pericranio, ſiue id per ſe ſit inſenſibile, ſiue minus, quia multa neruoſa filamenta per illud reptant, tum et in cute, in muſculoſis partibus, et membrana illa valde ſenſibili, quae ex tunica pituitaria naſcitur, et ſinus oſſis frontis inue-

b) *Haus- und Reiſe-Apotheke auf Ihro Königl. Maieſtät Befehl aufgeſetzet*, p. 42.

c) *vide Memoires ſur les parties ſenſibles et irritables Tom. IV. p. 28. vbi Meckelium teſtem adducit. nullos a 5. et 7. pari neruulorum ramulos ad duram matrem excurrere, quos ſupponunt, qui illam ſenſibilem habent.*

inueſtit. In illa cephalalgia, quae febris acutae eſt ſymptoma, cauſa doloris nulla alia eſſe poteſt, quam nimius impulſus ſanguinis verſus caput, a motu cordis et arteriarum aucto, quo vaſa et adiacentes fibrillae neruoſae ſollicitantur et tenduntur, eapropter ille dolor eſt tenſiuus, pulſatorius, calidus. Quod ſolus appulſus et impulſus, ſiue raptus ſanguinis ad caput, doloris huius febrilis vera et ſufficiens cauſa ſit, inde conficitur, quia narium hoemorrhagia toties feliciter et prompte leuatur. Qui ſanguinem ad caput vehit, truncus arteriae carotidis, vtrinque diuiditur in externam et internam, haec intrans cranium proſpicit ramis ſuis cerebro eiusque membranis; illa ramificationes ſuas diffundit et diſpergit in omnes partes capitis externas. Ponatur nunc veſicatorium ad tempora, hoc ſtimulo ſuo irritante et dolore excitato, phyſica neceſſitate debet agere in cutem ſenſibilem, et ei immediate ſubiacentes arterias temporales, atque affluxum copioſiorem ſanguinis allicere, et aduocare, ac nutu quaſi eum magis pellicere in ſyſtema caroticum externum, prae interno. Cum iam in partibus externis, quae ab illo omnes ſuas arterias mutuantur, dolor habeat ſuam ſedem, ſi is ante appoſitum veſicatorium pendebat a copioſiore et fortiore appulſu ſanguinis, hoc per irritationem veſicantis adhuc copioſiore et fortiore reddito, non poteſt minui, ſed ad ſummum gradum, interdum ad delirium vsque, debet augeri. Si minui caſu videatur, hoc adſcribendum aliis remediis, euacuantibus, attenuantibus, reuellentibus a capite, vim veſicatorii allicientem ſuperantibus.

Obſeruauit cel. TISSOT[d]) ſaepius, quando, odontalgia correptae, mulieres, muliercularum ſuaſu, pone aures aut ad ceruicem cantharides applicari curant, tolerabilem morbum in ſaeuam increuiſſe inflammationem, cum graui *cephalalgia*, venaeſectione et refrigerantibus curandam. An igitur conſultum erit, in febribus ad cephalalgiam vel praeoccupandam, vel leuandam, raptumque ſanguinis ad ventrem *ſupremum*

d) *in epiſt. med. practicis p. 288.*

mum inhibendum, irritare locum, vbi principium neruorum habetur, eoque ipſo affluxum ad omne caput inuitare, ſimulque circuitum et calorem in toto corpore augere? Videntur, bene noui, ſat multis practicis, prae aliis ſymptomatibus febrilibus, *deliria, comata, conuulſiones*, ita clamare vſum Veſicantium, vt ne vlli quidem pharmaco ſine his ea auſcultare dicantur. Sed falluntur, mirum quantum, boni hi viri: clariſſime hoc iam patuit paſſim ex antecedentibus, verum trium ſymptomatum horum ſpeciatim adhuc mentionem facere iuuabit, et auctorum teſtimoniis palam commonſtrare, Veſicatoria infeliciſſime eorum medelae deſtinari. Monuit iam, qui *Hollerii* ſcriptis notas adiecit, doctiſſimus DVRETVS [e]) poſtquam *Hollerius* ad lethargum excutiendum cantharidum pulverem phoenigmo admiſceri iuſſerat, ſinapiſmos hos minime vſurpandos eſſe in lethargo, qui cum febre coniunctus ſit, haec calida reſpuente. Atque ſinapiſmos adeo, et phoenigmos, ex ſemine ſinapi, pipere, euphorbio, et melle ſine cantharidibus profutura videri, ſcribit PISO [f]) ſed addit: „revera lethargus cum febre coniunctus haec fere omnia, tam„quam iuſto calidiora, videtur reſpuere, niſi magna neceſſi„tas vrgeat.“ BAGLIVVS [g]), autem, nocere Veſicantia, notat, in affectibus neruoſis, cum febre, ad ardentem inclinante, itemque in comatoſis affectibus febrium, quae accedunt ad ardentes. Obſeruauit ſaepe in febribus ardentiſſimis, ab inflammatione ſanguinis productis, ſoporem quemdam, ſemper increſcentem, qui tamen verſus declinationem ſponte imminutus eſt, aut per emulſiua et acida lenia, et alia refrigerantia, feliciter ſolutus. Eiusmodi comatis etiam meminit SYDENHAM [h]), in quo Veſicatoria, et id genus alia, non tantum nullo cum fructu, ſed nec ſine maximo quidem periculo vſurpari ſcribit, cum mors ſaepius, quam ſymptomatis huius curatio, inde impetretur, dum hanc natura, et tempus abſoluunt. Vidit illuſtris TISSOTVS [i]), virum, quem veſicatorium

e) *edit.* 1577. *p.* 31.

f) *de cogn. et cur. morb. lib. I. c. XI. p.* 81.

g) *p.* 652. *et* 655.

h) *pag.* 660.

i) *epiſt. med. pract. p.* 288.

empla-

emplaſtrum ceruici appoſitum, vt catarrhoſum ad dentes decubitum profligaret, in ſoporem coniecit, vix poſt 24. horas excutiendum. Iure itaque in antecedentibus [k]) pronunciarat: *Nocent admodum cantharides, in illo ſopore, qui ex vi febris et turgore vaſorum oritur.* In eiusmodi comate febrili, quod non a vehementibus euacuationibus praegreſſis, ſed a compreſſo, ob coaceruatam ſanguinis molem, in capitis interioribus cerebro, et diatheſi inflammatoria oritur, BOERHAAVIVS [l]) laudat epithema, capiti imponendum, ex aqua, cum pauxillo aceti, quod linteis calidis perpetuo ſuſtineatur. Vidit domicellam, multis diebus comatoſam, omnibus applicatis nil iuuari, hinc credebatur magnam eſſe ad vaſa inflammationem. Tum panni lanei aqua imbuti, cui flores ſambuci et tiliae erant iniecti, cum aceto capiti applicabantur, cum vero hoc fomentum cito frigeſcat, calida mantilia in promptu aderant, perpetuo applicanda, et pannis imponenda, ſic capite leuato curabatur. Nulla hic Veſicatoriorum, ad quae forte alii medici conuolaſſent, mentio iniicitur. Pergit *Boerhaauius* [m]): „Vel capiti raſo imponitur epithema, vt ſaepe conſulere ſoleo, „ex malua, quod ſufficit, vt aucta et aequalis fiat transſpiratio. „Si ſomnus adſit cum calore, ſanguis eſt mittendus, applicandae ſunt cucurbitae, hirudines, clyſmata iniicienda, balnea, „fomenta et diluentia adhibenda." Verum eſt, quod huic apparatui etiam addat epiſpaſtica, qualia autem velit, in ſequentibus videbimus. Addit deinde: „verum ſi hoc contingat in morbo moderato, res potius naturae permittenda, „nam numquam vidi damnum." Studio excerpſi aureum conſilium, cum commentarius *Boerhaauianus* in paucorum manibus habeatur.

k) *pag. 224.*

l) *in commentario proprio ad aph. 706.*

m) *l. c.*

§. XXXII.

Nec conuulſionibus et deliriis.

Accedo ad *Conuulſiones* et *deliria*. Monet ſerio BAGLIVVS [a]), vbi earum ſuſpicio, vel vbi factae iam ſint, cauendum omnino a Veſicantibus eſſe, praeſertim ſi febris adſit.

a) *pag. 652.*

In his conuulſionibus BOERHAAVIVS [b]), ocyus medicamenta illa ſuadet, quibus acre leniri, impactum reſolui, contractum laxari poſſit, vnde diluere, laxare, reuellere, lenire, fere ſanare ſolere has conuulſiones, dicit. Explicat mentem ſuam clarius, in proprio commentario, quem eapropter adduco, quia in eo varia habentur, quae in *Swieteniano*, licet in plurimis abſolutiſſimo, tamen haud leguntur. „Si ſigna, ait, „inflammmationis cerebri, conuulſiones fuere praegreſſa, „nempe calor, dolor capitis, inſomnia turbulenta, facies ru„bicunda, vomitus aeruginoſus, tinnitus ad aures, caligo „oculorum, delirium, venaeſectio in pede, clyſmata, pedi„luuia, diluentia applicata capiti, ex aqua, aceto et nitro, epi„ſpaſtica, malum curabunt.“ Ad quae certe Veſicatoria non refert. Pergo ad *deliria*. Deſcribit SYDENHAM [c]), febrem continuam, in qua aeger interdum non tam dormitabat, quam tranquille delirabat, incongrua ſubinde effutiens, ceu iratus, ac mente motus, licet eo excandeſcentiae et furoris non adſcenderet, vt apud phreniticos fieri ſolet. Iudicauit emplaſtra epiſpaſtica ſatis ampla (quae nulla alia, quam Veſicatoria fuerunt) ceruici poſteriori applicata in hac febre potius ex vſu fore, quam in aliis, quibus materia febrilis haud ex aequo caput tentabat. Etenim a cruciatu et feruore vehementibus, quos dicta epiſpaſtica parti, cui imponuntur, ſolent imprimere, materiam, quae ſecus in caput adſcenderet, in locum affectum corriuari credidit. His, et regimini, ad eumdem refrigerandi ſanguinis ſcopum facienti, tandem morbum quaſi naturaliter et ſponte ſua ceſſiſſe refert. Clarum eſt, ſolo hoc fine applicauiſſe *Sydenhamum* Veſicatorium, vt ſanguinem, in interiora capitis nitentem, extrorſum in locum dolentem alliceret, et ab interioribus reuelleret. Non autem conſiderauit vir optimus, cruciatu et feruore vehementibus in parte, vbi neruorum eſt principium, ad totum caput internum et externum materiam aduocari cruciatuque hoc et feruore febrem au-

b) *aph.* 713.

c) *p.* 278. *ſeq.*

geri, ac cum requiſito ad curam regimine refrigerante, vrentia ampla Veſicatoria non conuenire. Si diuertendus eſt ab interioribus ad exteriora ſanguinis impetus, alia prorſus via ineunda; relaxantibuſque et emollientibus ad caput et collum melius hoc ipſum praeſtabitur, quam irritantibus. Si illis continuo foueatur caput, relaxabitur omne ſyſtema caroticum externum, ſicque dum vnus truncus ad hoc, vt ad internum, ſanguinem proiicit, neceſſario maior eius quantitas ad ramos externos determinabitur, quam ante relaxationem determinabatur, adeoque impetus verſus interiora cum copia decreſcet. Haec ratio eſt, cur BOERHAAVIVS[d]), in deliriis febrium applicari voluerit medicamenta ad caput emollientia, quae ſi iuuerint, non aeque iuuare poſſunt irritantia Veſicatoria. Sane in delirantibus cum febre acuta, et lingua arida, dum in Xenodochio applicabantur Veſicantia, celeriter omnes mortuos fuiſſe, et magna ex parte conuulſos, recenſet BAGLIVVS, pluresque in genere delirantes ab eorum vſu mortuos vidit, quam ſanatos[e]). Eapropter etiam *Fr.* HOFFMANNVS[f]) peccare in eo ſaepius medicos monet, quod praeſente in acutis febribus delirii vel conuulſionum periculo, ad Veſicatoria, tamquam ad ſacram anchoram, confugiant. Quam triſtis ſaepe ſequatur euentus, breui poſt auctis his ſymptomatibus, ſe ipſum per experientiam didiciſſe, et aliorum hac de re obſeruationes id confirmare affirmat. Et paulo poſt[g]): *Non ſine cura et cautione, pulſu exiſtente forti et celeri, Veſicantia applicanda ſunt, niſi dolores, febres, inflammationes accedere et phrenitidem accerſere velimus.* Conſentit omnino cum eodem Cel. *Ioh. de* GORTER[h]), qui in delirantibus et comatoſis, cum maiore circulatione et calore corporis, noxia eſſe Veſicatoria declarat; maxime, ſi adſit lingua arida et ſitis intenſa. Atque in eruditiſſima diſſertatione *de delirio*[i]), Veſicatoria attrahere humorem tenuem, dicit, et ſimul ſtimulare, quare ſi ex motu maiore generetur delirium, haec id augere virtute ſua ſtimu-

d) *aph.* 702.

e) *diſſ. de Veſicantibus pag.* 653. 654. *et Pr. med. p.* 102.

f) *Med. Syſt. Tom. II. pag.* 282. *§. V. ſchol.*

g) *p.* 283. *in fine.*

h) *comp. med. II. p.* 119.

i) *med. dogm. p.* 97.

mulante. Sapienter tandem etiam pronunciat HVXHAM [k]): „Quando in febre irritatio et impulſus iam ſunt nimii, effectus valde periculoſos nimis praepoſteram Veſicatoriorum applicationem ſubſecutos fuiſſe, vidi ſaepiſſime, quales ſunt pertinax peruigilium, delirium, vrinae ſuppreſſio, tremores, ſubſultus etc.“ Merentur omnino hic legi verba optimi olim Praeceptoris Cel. PLATNERI [l]): *Nocent Veſicatoria in phrenitide, ac ſi homo increſcente intentaque febre deſipit.* Neque minus audiendus Cel. WOLTTER [m]). *Sedulo*, inquit, *caueant Medici, ne ſubiectis cholericis febribus acutis, calore ſicco, intolerabili ſiti, perpetuis vigiliis affectis, vel meningum inflammatione laborantibus, Veſicatoria applicent, his enim hoc remedium morbiferum euadere poteſt.* Non mihi tempero quin adhuc adducam Fautorem et Amicum meum Ill. QVARIN [n]): *Si deliria admodum ferocia*, ait, *clyſmata omni trihorio aut quadrihorio iniicienda, ſinapiſmi applicandi, abſtinendum autem a Veſicatoriis, inde enim febris maior redditur et calor augetur.* Scripſit etiam ſapienter FVLLERVS [o]), in febribus, aeſtu intolerabili ſicco, vigiliis, et phreneſi affligentibus, veſicantia minus ex vſu eſſe videri.

k) *II. p. 115.*

l) *inſtit. Chir. §. 938.*

m) *Pharmac. milit. p. 103.*

n) *Method. med. febribus p. 22.*

o) *Pharmac. extemp. p. 95.*

Haec cum ita ſint, tanto maiori cum ſtupore video, ciuem *Huxhami*, Cel. PRINGLE in phrenitide idiopathica, et ſymptomatica multum dare Veſicatoriis pluribus [p]), quae an ſolamini aegris fuerint, eorumque multos ſeruauerint, ignoro. Antea tamen monuerat, in magna debilitate, quam delirium comitabatur, ſinapiſmos plantis applicatos ſaepius, pulſum excitando et caput leuando, maius emolumentum attuliſſe, quam Veſicatoria. Si non vehementer fallor, hoc phoenomenon ſaepius a *Pringlio* obſeruatum, noxas Veſicatoriorum in deliriis febrium acutarum, euidentiſſimas ſiſtit. Extra omnem controuerſiam poſitum eſt, ſinapiſmos longe mitius ſtimulare, quam Veſicantia. Videtur quippe earum vis ſubſiſtere in loco, cui imponuntur, nilque aliud praeſtare, quam

p) *p. 154. 155. edit. germ. de morb. caſtrenſ.*

quam vt ad eum humorum affluxum alliciant et ab aliis partibus eos abducant, et reuellant. Vix enim aliquid ſeminis contuſi ſe maſſae ſanguinis inſinuat, aut ſi hoc fiat, ipſum non multum immutat, ad minimum circuitum eius non intendit, vt Veſicatorium. Nunc in caſu delirii, quo pulſus debilis eleuandus et incitandus erat, ſinapiſmi, mitius irritantes et ſtimulantes, plus auxilii attulerunt, quam fortius irritantes, et ſtimulantes cantharides. An ergo per rerum naturam poſſibile eſt, vt in caſu delirii, in quo pulſus fortis et velox vibrat, cantharides, eum adhuc fortiorem et velociorem reddentes, id minuant et auferant? Credat, qui voluerit! Auſim aſſerere, quando non mediocrem numerum aegrorum, quibus, cum acutis febribus laborarent, intra hos quinquaginta annos medicinam feci, mihi coram ſiſto, et methodum, qua non infelix vſus ſum, mihi in memoriam reuoco, iis cum temperato regimine poſt venaeſectiones, ſolis leniſſimis demulcentibus, ſaponaceis, refrigerantibus, diluentibus talique potu ordinario, talibus clyſmatibus, poſca raſo capiti iugiter tepide applicata, hirudinibus ad tempora et pone aures, et ſinapiſmis, valere iuſſis nimis fortiter irritantibus Veſicatoriis, me deſideratam opem ſaepius praeſtitiſſe.

Forte ſine his manca et non ſatis generoſa videbitur haec mea methodus Doctiſſimo Viro, *Friderico Caſimiro* MEDICO [q]), qui occaſione caſus aegri vndecim annorum, horrenda phrenitide laborantis, quem recenſet, in effoeminatos Seculi mores inuehitur, vomitoria et veſicatoria auerſantes. Male deprecata fuerat afflicta mater Venaeſectiones, quae deprecari potius debuiſſet applicata veſicantia, haec tamen bona fortuna non multum operata erant. Cum mors ante fores eſſet, pulſu omni modo inaequali, et ſinapiſmi nimis ſegnes futuri fuiſſent, et veſicatoria etiam, quae citius, ad mentem Clariſſimi Viri, locum habuiſſent, non cito ſatis operationem ſuam fuiſſent editura, radebatur caput, et ſex hirudines vtrinque poſt aures applicabant-

q) *Sammlung von Beobachtung. aus der Arzneywiſſenſchaft, p. 310. ſeq.*

bantur, Et ecce! praeter ſpem euadebat aeger, largius profluente ſanguine. Non dubitandum eſſe adiicit *Medicus*, quod hirudines, quibus deinde iuſtum elogium ſcribit, praecipuum et vnicum fuerint remedium, quo optimae ſpei iuuenis ſeruatus eſt, qui cum febris eſſet ſumme inflammatoria, aeſtu ante vt ignis toto corpore, genis intenſiſſimo rubore perfuſis, mea ſententia veſicatoriis non adiutus, ſed necatus fuiſſet. Veſicantia nonnullis, vt ait HOFFMANNVS, in Phrenitide ſolemnia, is improbat, quia cantharides, acri quo pollent ſtimulo, ſtrictas iam et tenſas ſpaſmo membranas irritando delirium augent, et conuulſiones facile accerſunt [r]). Ipſe AEPLI [s]) largitur obſeruatum fuiſſe, quod pulſum fortem et celerem reddant veſicantia, ac proinde ſi a circulatione forti et vehemente, ac orgaſmo turbato capite, deliria et comata enata ſint, quae Venaeſectiones et refrigerantia poſcebant, mala haec adauxerint. Tanto magis miror Egregium HASENÖHRL [t]), febris inflammatoriae hiſtoriam exhibentem, in ſchola Boerhaauiana educatum; Praeceptoris ſui principiis innutritum; ab eo monitum, Venaeſectionem eouſque adminiſtrandam eſſe, donec ſtatus inflammatorius praeterierit; Celeberrimum *Tiſſot* notantem, quod alicubi tres Venaeſectiones ſufficere edixerit, cum interdum non ſufficiant; illum *Haſenöhrl* nihilominus ſcribere: *Cum delirium a furibundo ſanguinis impetu verſus ſuperiora originem duxerit, facile patet illa omnia, quae ſanguinis motum contemperando, reuellendoque agunt, hic profuiſſe, quibus ſi addantur veſicatoria, tum ſuris, tum ceruici applicata, habentur omnia, quae huic ſymptomati mitigando aptiſſima fuere.* An optimus Vir non introſpexit, loco ſperatae reuulſionis, febrem repetitis Venaeſectionibus vix coercendam, Veſicantibus furibundam reddi debere?

r) *Med. Syſt. Tom. IV. ſect. II. c. V. p. 418.*

s) *pag. 19.*

t) *Hiſtoria trium morborum p. 49.*

Inter felicitates meas, quae iuueni, medicinam diſcenti et exercere incipienti, per Dei gratiam acciderunt, id praecipue refero, quod mature inciderim in lectionem com-

mentarii ſummi BOERHAAVII, a cuius ore pendere mihi eheu! denegatum erat, in ſuos aphoriſmos, praeter voluntatem eius editi, mendis quidem referti, ſed nihilominus egregii, cum eo tempore nullus alius proſtaret et *Swietenianus* demum 15. annis poſtea edi inciperet. Dum medelam febrium tradit, inter alia dicit; „quando diluentia nomino, ſemper fomenta, „balnea, pediluuia, ſimul intelligo [u]), et alibi [x]) clyſmata iniecta mane et veſperi laudat, et potus aquoſos laxantes, vt decoctum auenae; manus dimittendas vult in pelues, aqua tepida plenas; ſpongias, aqua tepida madidas, admoueri iubet ad poplites, inguina, tempora. Et haec ipſa methodus ipſi quoque familiaris fuit in deliriis febrilibus. „Si aeger, „inquit [y]), febre acuta laboret, tum praeuidendum eſt, calorem praeſentem feciſſe vel facturum delirium, hinc aeger „bis vel ter de die e lecto ſurgat, et in aquam calidam pedes „immittat, hacque ratione centenos aegros, qui delirare inci- „piebant, curaui.“ Pergit quidem, „poſt pediluuium appli- „cari debet epiſpaſticum, nobile certe et diuinum remedium, „quo tot miſeros aegros curaui, et ſi medici hanc methodum „non negligerent, plures certe emergerent, qui iam pereunt.“ At ne aliquis putet, Veſicatoriis poſt pediluuia locum eſſe, ſolers addit *Boerhaauius: epiſpaſtica autem ſunt fermentum panis acidi, cum pauxillo ſalis;* ne quidem dicit, cum puluere ſinapi. Legi deinde eximia cum voluptate, experientias Cl. WHYTT [z]), quae *Freindianis* et *Pringlianis* praeceptis e diametro aduerſantes, et *Boerhaauianis* reſpondentes, ſi vllae aliae, mihi meam medendi methodum denuo caram reddidere. Hic a pediluuiis, et fomentis calidis relaxantibus, pedum et brachiorum, in febribus, quibus deliria, tremores, et conuulſiones accedebant, egregios plane effectus vidit, quos caſibus aliquot exhibitis, lectu certe notatu digniſſimis deſcribit. Quod autem praecipuum eſt, fere omnes illi caſus docent, poſt Veſicatoria admota delirium, et conuulſiones increuiſſe,

per

u) *ad aph. 605. diluentia.*

x) *ad aph. 608. laxatis.*

y) *ad aph. 702. pediluuia.*

z) *de morbis neruor. edit. germ. a pag. 338. vſque ad 347.*

per fomenta autem ex ſimplici aqua calida, cum pannis laneis diligenter applicata, et pediluuia talia remiſiſſe, ſicque aegris ſanitatem fuiſſe redditam. Teſtatur deinde, quod ſolis pediluuiis plures aegros febrientes, et fortiter delirantes ſanauerit, quam alio vllo remedio, eaque praecipue commendat, in febribus, in quibus cerebrum et nerui valde irritantur. Videtis lectores ingenui! duas vias in febribus curandis, irritantem et lenientem, vtram volueritis, eligite. Si veſtrum quidam mihi obiiciat, non tamen negari poſſe, multos inter admota Veſicantia ſanari, ego ipſi expendenda trado verba SYDENHAMI [a]), quae de calida et refrigerante methodo in febribus ſcripſit: *Toto coelo diſtat curatio morbi, ea methodo, cui ſola aegri nonnumquam ad ſanitatem reſtitutio adſtipulatur, et eiusdem curatio, iſta praxeos methodo, cui et frequentior aegri reſtitutio, atque etiam phoenomena practica omnia, quae in eodem curando incidunt, pariter adſtipulantur. Multi ex iis, qui diro calidorum, et regiminis, et remediorum, vſu cruciantur, tamen conualeſcunt, ex aduerſo autem etiam multis feliciter cedit curatio, methodo plane contraria tentata. Iam quo pacto litem hanc finiemus? quaenam methodus eſt praeferenda? Hoc plane modo, certiſſime diiudicabimus. Nempe ſi in illo regimine priori exploratum habuero, me, quanto magis aegrum excalefacio, tanto magis febrem, inquietudinem, delirium, ceteraque ſymptomata intendere et promouere, e contra vero deprehendero, eumdem, vbi moderate refrigeretur, tanto ſedatiori temperamento eſſe, tantoque minus, tam a febre, quam ab aliis ſymptomatibus, vexari.* Valeant ergo, afflictis aegris febricitantibus afflictionem praeter rem addentia, igneque interno aeſtuantibus, externum dura manu adiicientia, Veſicatoria, in miſerorum hominum leuamen et ſalutem, et innocentibus reuellentibus, relaxantibus, largior vſus, ſua efficacia ſeſe vbique commendaturus, in poſterum concedatur.

a) *pag. 685. 686.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Febres malignae epidemice graſſantes conſiderantur.

Poſtquam huc vſque res meas deduxi, exigi iure a me intelligo, vt nunc febrium, quas communi cenſenſu malignas vocant medici, mentionem iniiciam, has ſpeciatim contempler, ac num eae omnino, ac quouſque Veſicantium vſum flagitent, accuratius inquiram. Subitaneam ac plenariam virium proſtrationem cum pulſu debili characterem ſpecificum malignitatis conſtituere, vno fere ore practici loquuntur. Prorſus autem hic praetermitto malignitatem apparentem, quando in corpore humano moles mouendorum motrices vires excedit, atque hae per illam ſuffocatae ſunt. Haec malignitas toties venaeſectione et aluum blande ducentibus tollitur, pulſu, qui antea depreſſus, paruus, debilis erat, poſt has euacuationes, confeſtim inſurgente. Vera debilitas in febribus pro ſuis cauſſis, docente BOERHAAVIO [a]), habet vaſorum inanitionem, poſt magnas euacuationes, immeabilitatem liquidi glutinoſi, vel phlogiſtici; obſtructionem canalium; cerebrum preſſum; debilitatem cordis, quibus omnibus Ill. *van Swieten* adhuc, haerentem in ventriculo prauam materiam adiecit. Facile patet, inanitionem ſolis replentibus ſanari; ad immeabilitatem liquidi glutinoſi, inertis, frigidi, ſoluendam, quadrant omnino Veſicantia, ſed haec in febribus continuis phlogiſtica potius eſt, et in alcaleſcentiam vergens. Ad huius immeabilitatis ſolutionem autem minime facere cantharides, paſſim in antecedentibus conſtitit, et in ſequentibus etiam magis conſtabit. Canalium obſtructio vel lenta eſt, vel phlogiſtica, vtriuſque ergo remedia, vt immeabilitatis, erunt diiudicanda. Cerebelli et cerebri compreſſionem ab immeabilitate liquidi et obſtructione canalium pendentem, quam deliria, ſopor, tremor, docent, poſt ſoluentia, quae in febre non alia niſi antiphlogiſtica, eſſe debent, moderamine impetus, ſurſum excurrentis, plurimum leuamus. Verum hunc augent, non moderantur Veſicatoria, atque modo vidimus, quam merito ipſis

a) *aph. 661. vſque ad 666.*

ipſis pediluuia, fomentaque emollientia et laxantia, cum lenioribus epiſpaſticis, praeferenda ſint. Praua materia ex ventriculo leni emeſi eliminatur. Debile cor, ſi compreſſio encephali in culpa, hac impugnata, vt dictum, eſt curandum, ſi in eius fabrica vitium haereat, vix medelae locus.

Statim in limine tractationis huius et in anteceſſum noto: auctore SYDENHAMO [b]), Si eae febres praeſertim malignae dicantur, in quibus intenſior prae ceteris eſt inflammationis gradus, atque in talibus adeo nociua ſint cardiaca, et alexipharmaca, o bone Deus! quomodo proficient inflammantia Veſicatoria?

Iam quidem inſtitutum meum primarium hoc eſt, vt febres illas, quae epidemice graſſantur, exanthematicas, et contagioſas meae conſiderationi ſubiiciam, cum in harum ſanatione praecipue, fere vniuerſalis ſit Veſicantium vſus, adeo vt ſine iis practici plerique medicinam aegris ſuis plane facere nolint. Occaſionem his febribus dat aër diu incluſus, vappidus, non renouatus, vel et putridis effluuiis impraegnatus, ab inundationibus fluuiorum, ripas ſuas diſrumpentium; a paludum effluuiis, maxime aeſtuante caelo; a cadaueribus humanis, poſt praelia ſine tumuli honore iacentibus, et animalibus non humatis; a carcerum ſqualore; a Xenodochiis, aegris vulneratis, aut malignis morbis decumbentibus, oppletis. Eiuſmodi aërem, deglutitum cum ſaliua, et in pulmones inſpiratum, totius maſſae ſanguineae temperiem et craſin peruertere, ita quidem, vt in putridam ſui diſſolutionem tota vergat, medici vno ore affirmant. Atque in hoc momento omnem ideam malignitatis fundari, paſſim in operibus commonſtrauit HOFFMANNVS, veram cauſſam malignitatis putredinem conſtituere, teſtatus [c]). Aliquando et a fame diu tolerata; ab ingeſtis, in acre alcali vergentibus; ab aquarum coenoſarum potu, praua eiuſmodi diatheſis humoribus conciliatur. Praecedit interdum ex dictis cauſſis putrilaginoſam ſanguinis colliquationem aliquis

b) *p. 631.*

c) *Med. Syſt. Tom. III. p. 155. 156. et diſſertatione de putredinis doctrina.*

aliquis phlogiſticus lentor, hinc diſputationes de coagulo, et reſolutione humorum, a miaſmate, nonnullis pro hac, nonnullis pro illo ſtantibus; vide *de* HAEN [d]). Attamen tandem in his febribus omnem ſanguineam compagem, omnem humorum penum in putridum liquamen diſſolui, male olentes ſudores, foetida vrina, cadaueroſae faeces aluinae, maculae et puſtulae obſcure rubentes, viſcerumque gangraenoſae corruptiones, quae mortem excludunt, aperte eloquuntur. Ad huius generis febres illae, quae neruoſae vocantur, minime ſpectant, meamque proinde conſiderationem non ingrediuntur. Has neruoſas HVXHAM peculiari diſſertatione *de febribus lentis et neruoſis*, accurate deſcripſit [e]), atque alibi [f]) de differentiis inter lentam neruoſam et putridam malignam febrem ſeorſim egit, quam neminem praeter ſe et Cl. *Langriſch* accurate tradidiſſe ſimul notat. Cauſas deinde, quae hanc et illam excludunt, toto coelo diverſas eſſe monſtrat. Sedem putridarum ponit in ſanguine, in putredinem vergente, cuius qualitatem antea deſcripſerat, contenditque hanc ſeſe corruptela et diſſolutione putrida eius in ſummo gradu manifeſtare. Sedem nervoſarum autem locat in lympha aquoſa viſcida et ſucco neruorum vitiato, ex aſſumtis aquoſis, viſcidis, frigidoque et nebuloſo aere. Methodum medendi penitus diuerſam eſſe debere ſimul monet, in febribus neruoſis commendat acria aromatica cardiaca atque ipſa veſicatoria [g]). Quare haec exulare debere a putridarum febrium epidemicarum curatione ſponte patere reor, cum contraria non niſi contrariis tollantur, id quod nunc accuratius commonſtrandum ſuſcipiam.

d) *rat. med. Tom. II. pag.* 120.

e) *Tom. I. p.* 163.

f) *Tom. II. p.* 75.

g) *Tom. II. c.* 7. *p.* 86.

§. XXXIV.

In harum ſanatione multum communiter tribui ſo-

In his febribus epidemicis, malignis, putridis, exanthematicis ſanandis, tot laudes Veſicatoriorum apud auctores leguntur, vt iis huc transſcribendis multas paginas facile implerem.

rem. WILLISIVS*), *Veſicatoria*, ſcribit, *ſemper in febribus malignis adhibentur; in putridis nempe quibuſcumque praeſtantiſſimi ſunt vſus.* Neque vni ſaltem, et alteri fidunt practici, ſed plura volunt, praeeunte RIVERIO [a]), qui ſi maxima ſit malignitas, totum corpus occupans, et plura ſymptomata vrgeant, quinque locis ſimul, ea applicat, ceruici, vtrique brachio, vtrique femori, cum felici, vt dicit, ſucceſſu. Eadem ratione LANCISIVS [b]) Veſicatoria primo cruribus, quinimo etiam femoribus, deinde brachiis etiam, atque occipiti, cum affectio comatoſa vrgere coepiſſet, adhibita ſcribit. MEAD [c]), de febre, cum exanthematibus coniuncta, agens, in miliari rubra et alba Veſicatoria ex vſu eſſe dicit, tumque ceruici, tum capiti membriſque omnibus, temporis interuallis imponi debere, ait. In petechiali interim, quod miror, licet ſub morbi finem oppreſſis aegri viribus cardiaca calidiora commendet, de Veſicantibus tamen penitus tacet. Cel. PRINGLE [d]), a dorſo incipit, et altera die, ſi opus, femoribus, deinde brachiis adhiberi iubet. Illuſtr. Archiater L. B. *de* STÖRCK [e]), „Si „aegri, inquit, difficulter reſpirarunt, aut frequenter delira„runt, aut profundo ſopore detenti ſunt, tunc Veſicantia, ſat „acria, ſuris applicari debuerunt, et ſi mala ſymptomata non „fuerunt imminuta, tunc et humeris et nuchae applicata ſunt.[f])" Alio loco, retrogreſſis exanthematibus emergentia grauia ſymptomata, internis fortibus ſtimulantibus peiora reddi, et aegros certo certius mori, ſed rem melius ſuccedere, ſi talia corpora infuſis diluentibus impleantur, atque cruribus et nuchae Veſicantia apponantur, affirmat.

Grauiſſimos viros adduxi, pluribus certe non opus. Longam ſeriem recenſet Cl. AEPLI [ff]), addens ſimul hos omnes non

let Veſicantibus, tamen etiam ſub certis tantum conditionibus.

a) *lib. XVII. cap. I. p. 455.*

b) *de noxiis palud. effluviis lib. II. Epid. I. Cap. VIII. ſect. I. et Epid. IV. cap. VI. §. 37.*

c) *monita med. p. 14.*

d) *pag. 152.*

e) *anno med. I. p. 58. 61.*

f) *p. 70.*

ff) *Prüfung der Spaniſchen Fliege in bösartigen Fieber p. 27. 28. No. 9. 10.*

*) Pharmac. Rat. II. Part. II. p. 225. 226. vide et *Barthol.* Act. Haffn. Voll. III. obſ. 44. Act. Nat. Cur. dec. III. anno V. et VI. obſ. 167. dec. I. anno II. obſ. 214. *Gerb. Columba* de febre peſtilentiali.

non ſaltem innocentiam, ſed etiam magnum emolumentum Veſicatoriorum in febribus putridis epidemicis annotaſſe. Praeclarorum horum Virorum mentionem alio loco iniiciam. Id interea certiſſimum eſt, quia cantharides ſine omni contradictione circuitum ſanguinis accelerant, et viuidiorem reddunt, emplaſtra Veſicatoria, quando ille iam nimio impetu prouoluitur, ſi prudenter agere voluerimus, abſolute locum habere non poſſe, ſed certo certius nocere. Igitur ſi in malignis febribus emolumentum adferant, eapropter id tantum ſperari poſſe, certum eſt, quod pulſum, qui in illis paruus et debilis micat, licet ſimul celer ſit, incitent, vt, viribus vitalibus ſic increſcentibus, ſecretiones et excretiones ad ſanitatem obtinendam neceſſariae, felicius procedant. Atque ſub his conditionibus, etiam a peritis in arte viris laudantur tantum, et commendantur. Vnicus hic ſcopus medentis eſſe poteſt; falluntur enim inſigniter, qui cum RIVERIO [g]), et aliis, prauos et venenatos ichores, materiamque veneficam attrahere et elicere, variis partibus admota Veſicatoria ſtatuunt, ſic enim totam maſſam humorum, quae tota infecta eſt, extrahi oporteret. Taxat iure BAGLIVVS [h]), medicos *Galenicos*, ſuis hypotheſibus inhaerentes, qui in febribus ex diſſolutione, ad veneni euocationem 4. 6. aut plura adhibent Veſicatoria. Eamdem animaduerſionem paullo poſt repetit [i]) falſamque opinionem eſſe aſſerit, Veſicantia vim habere extrahendi venenum febrium malignarum. Optime monet MORTON [k]), haec nequaquam conducere, ob copiam lymphae, quam eliciunt, quae non magis morboſa ſit, quam vrina, et reliqua colluuies ſeroſa, inſenſibili perſpiratione, aut ſudore, per poros cutis continuo excreta.

Ad vim vitae debilem vnice ergo, vt dixi, aut ad reuulſionem, reſpexerunt ſagaciores practici, dum Veſicatoria applicari iuſſerunt. „In febribus, inquit, BAGLIVVS [l]), quae exiliſſi„mo pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos ſo„poro-

g) *operum p. 455.*

h) *p. 653.*

i) *p. 655.*

k) *Operum. Tom. II. Exercit. II. cap. 7. p. 186.*

l) *p. 655.*

„poroſos propenſione, ſtipantur, dictu eſt incredibile, quam „proficuos effectus adferant Veſicantia.“ Non aliter HOFFMANNVS [ll]), ad quaeſtionem reſponſurus, an in febribus malignis Veſicatoria conducant? „quando pulſus, ait, exiles et „debiles micant; vires languent; ad ſoporem inclinatio, et „corpora ſegnioris naturae, ex vſu ſunt; vbi omnia alia, ſe„cus.“ Laudat dein noſtros Vratislauienſes, quod notauerint, corporibus plethoricis et ſucciplenis nocere Veſicatoria, febremque, inflammationem, deliria, augere. Atque alibi [m]), ſcribit vir eximius: „Quamquam cantharides virulento „quodam, et ſaepe noxio agant principio, tamen in febribus „continuis malignis, vbi pulſus ſunt languidi, ſopor et tor„por capitis, et exanthemata retrocedunt, non ſine emolu„mento Veſicatoria nuchae, et carpis manuum imponi, ob„ſeruationes practicae teſtantur.“ Liceat mihi huc transſcribere verba WALDSCHMIDII [n]), quae ad corroborandam ſuam ſententiam, pro Veſicantibus ſtantem, adfert: „Numquam „me fefellit Veſicatoriorum vſus, in morbis malignis. Ne„que vero alia ratione, alioque tempore iuuant, quam vbi „motus ſolidorum et fluidorum deficiunt, motus arteriarum „languidi ſunt, et vis quaſi naturae fracta, dum penetranti il„lo, quo praediti ſunt ſtimulo, vniuerſi corporis tubulos ner„voſo-muſculares, ipſaſque arterias de nouo animant, eoſque „ad viuidiorem contractionem et ſyſtolem incitant. Qua de „cauſa ab eorum applicatione, pulſus antea depreſſi ſeſe attol„lunt, paruique maiores fiunt.“ In ſic dicto *nucleo totius medicinae*, anglice primum edito, deinde in germanicam linguam verſo [o]), valere antea iuſſis Veſicantibus in febribus acutis inflammatoriis, ſequentia leguntur: „In febribus neruo„ſis autem, in quibus contrariae conditiones obtinent, quan„do pulſus eſt depreſſus, et debilis, ſpiritus exhauſti, et oculi „ſine ſignis alicuius inflammationis melancholica caligine affe-

ll) *diſſ. de Veſicat. §. 16.*

m) *Med. Syſt. Tom. II. p. 283.*

n) *Miſcell. Nat. Cur. Dec. I. Anno II. obſ. 214.*

o) *Hamburgi 1748. p. 41.*

„cti, non condonandum foret, ſi vſus liberalis viuificantium „Veſicatoriorum negligeretur."

Inter recentiſſimos auctores, duos adhuc commemorandos habeo magnos Veſicatoriorum patronos, Cel. *Pringle* et *de Haën*, qui quoad pulſum, hactenus dictis minime refragari videntur. Paucis caſibus exceptis, non niſi pulſu debili exiſtente, Veſicatoria in vſum vocanda eſſe, docet PRINGLE[p]). Obſeruatione practica aliorum, et propria conſtare euidenter, dicit *de* HAEN[q]), Veſicatoria prodeſſe, vbi vis vitae debilior, quam vt morbum coquat. Verum nemo mihi innotuit, qui accuratius limites inter abuſum et vſum iuſtos Veſicantibus poſuerit, quam *Mortonus*, et *Huxham*. „In vltima febrium malignarum „ſcena, ſcribit MORTON[r]), vbi natura veneno victas manus „datura eſt, vbi adſunt diriſſima generis neruoſi ſymptomata, „cum reſpiratione ſuſpirioſa, pulſu tremulo, vrina clara et „ſtraminea, et madore frigido per totum corpus diffuſo, prae„ter caput, quod iam intenſe incaleſcere ſolet, modo quid„quam adhuc tentandum reſtat, vnice indicatur vſus alexiphar„macorum, atque frequentium Veſicatoriorum, vt ex inflam„matione artificiali maſſae humorum inducta, ſpiritus anima„les languentes et oppreſſi, tandem excitentur, et reſuſciten„tur, quo modo plures ex orci faucibus reuocatos noui." Et alibi[s]): „In hoc rerum ſtatu, deliria, ſubſultus tendinum, „per Veſicatoria praeuerti, et iam ſuborta certius curari, dicit, „quam a quocumque alio remedio externo, et interno." Sed denuo magnam reſtrictionem adiicit, quando pergit: „non in „quacumque febre praeter ſynochum malignam, aut quae huc „tendit, vbi a veneno plus, quam ab incendio aegrotantes in „diſcrimine verſantur, reapſe indicantur Veſicatoria. Neque „in malignis ipſis ad medici arbitrium, absque euidenti neceſ„ſitate, fas eſt, aegrum imbellem et confectum, denuo ite„rum iterumque, epiſpaſticorum tortura lancinari; verum pro „exigentia naturae, et ſpirituum vel maiori vel minori vacilla„tione,

p) *p. 150.*

q) *rat. med. VIII. 168.*

r) *Tom. II. Operum Exercit. I. de febribus p. 39. 40.*

s) *Exercit. II. c. 7. pag. 187.*

„tione, eorum applicatio primum imperanda eſt. Medicus „ergo numerum et magnitudinem definiet etc." Taceo, quae de vlceribus magnis, et gangraenoſis, in artubus inferioribus, praeſertim in ſenioribus, facile ſequentibus, habet, in chirurgorum ditionem deinde venientibus. Multum diſtat hoc conſilium ab illo, quod dederat *Hercules* SAXONIA [t]). „Tempus, inquit, adminiſtrandi Veſicantia in febribus peſtilentia- „libus, ſit eodem die, ſi fieri poſſit, et prima hora, qua mor- „bus incipit, imo vero ſi eos, qui febre peſtifera tentandi ſunt, „ante, quam in morbum inciderent, dignoſcere poſſemus, „Veſicantia ante aegrotationem apponere conducibilius eſſet." Prorſus his adſtipulatur LANCISIVS [u]). Sed paulo aliter cenſet HVXHAM [x]), elegantiſſime rectum vſum Veſicantium in putridis, malignis, petechialibus, febribus determinans. „Naturam, ait, nonnumquam incitamento indigere poſſe, imo „ſaepe verſus harum febrium declinationem inprimis indigere, „res eſt certiſſima, quando ſolida torpent, circulatio langueſcit, „ſpiritus ſunt effoeti, et comate corripitur aeger, tunc Veſica- „toria ſunt applicanda, et vtilitatem praeſtant eximiam, quo- „cumque tempore haec ſymptomata accidant." Partes *Huxhami*, ſi ab aliquibus poſiti ab eo limites iniuſtiſſime reprehenderentur, egregie tuetur cel. COLLIN [y]), dum pulſu debiliſſimo, vix percipiendo exiſtente, animi deliquiis frequentibus, et extremitatibus interdum frigidis, non ſaltem cardiaca ſtimulantia, ſed et Veſicantia exoptatum ſaepe praeſtare effectum aſſeuerat, ſique exanthemata receſſerint, etiam, quo vires vitae debiliores, eo plura [z]). GLASSIVS [a]), qui antea, ſanguine nimis iam ſoluto et acri labe infecto, veſicantia ob ſal acre reiecerat, pulſum nimis tardum et languidum ea deſiderare dixit. Honoris, et amoris, et ſuorum meritorum gratia, adhuc citare debeo clariſſ. virum, *Ioſephum* QVARIN [b]), qui quando nonnumquam ſecunda, aut tertia iam morbi die tremores ingentes, ſubſultus tendinum, cum pulſu celeri vn-

t) *diſput. de phoenigmis ſeu Veſicantibus eorumque vſu in febribus peſtil.* c. 2. p. 565.

u) *de noxiis palud. effluviis lib. II. Epid. I. Cap. VIII. ſect. I.* §. 1.

x) *Operum Tom. III.* p. 115.

y) *diſſ. de miliaribus* p. 74.

z) p. 78.

a) *Comment. de febr. XII.* pag. 211. et 215.

b) *method. med. febr.* p. 70.

doſo,

doſo, et graui ſopore accidant, quatuor et nonnumquam quinque Veſicatoria applicanda eſſe praecipit. Notabile tamen eſt, Ill. HOFFMANNVM, licet ſub conditionibus memoratis, Veſicatoria etiam plura admiſerit, et laudarit [c]), de iis in genere agens tamen, vbi ex inſtituto de febribus exanthematicis ſiue petechialibus tractat, ita ſcribere: „Veſicatoriis multum in his febribus tribuunt plures. Ego vero ita cenſeo: „habent locum, ſi metus retroceſſionis exanthematum, ſi natura corporis in excretione tarda, ſoporque et torpor adeſt. „Tum noui a Veſicatoriis brachiis vel ſuris appoſitis mox totum corpus purpura rubra vel alba fuiſſe conſperſum. Sed „noſtrum temperatum hic etiam commendamus Veſicatorium [d]).“

c) *l. c. med. ſyſt. Tom. II. p. 283.*

d) *med. ſyſt. IV. p. 241.*

§. XXXV.

Sunt tamen etiam, qui ea reiiciant.

Neque tamen exiſtimandum eſt, ſine exceptione omnes medicos, emplaſtris his in malignis patrocinari, quamuis plurimi in eorum laudes excurrant. Verum eſt, laudat ea, vt vidimus, in febribus, cum pulſu exiliſſimo, BAGLIVVS [a]), ſed iungit huic, diatheſin ſanguinis viſcidam et craſſam, et ad coagulationes et ſtagnationes ſeſe diſponentem, ſimulque in conſtitutione ſanguinis acri et colliquatiua, ea obeſſe monet. Talis vero ſine dubio in malignis adeſt. Inſuper autem antea monuerat [b]), *Galenicos*, dum in febribus ad euocandum venenum 4. 6. et plura adhibent Veſicantia, ſe ſaepiſſime obſeruaſſe conuulſiones, abſceſſus in viſceribus, deliria maiora, febris maximum incrementum, et tandem mortem, ob diſſolutam ſcilicet magis magisque ſanguinis maſſam, a cauſtico cantharidum ſale, et ab acri pariter febris materia. Adfert cel. KÖNIG [c]), exempla febre maligna laborantium, deliriis, vigiliis, inquietudine, afflictorum, quibus applicata Veſicatoria intenſiſſimos dolores, ardores ſummos, quaſi pars aetneo igne torreretur, et capitis incendium, cum conulſionibus epilepti-

a) *p. 655.*

b) *p. 653.*

c) *Miſcell. Nat. Cur. dec. II. anno IX. obſ. 131.*

lepticis funeſtis concitarunt. Κακοήθειαν vocat THONERVS [d]) quod medici quidam in febribus continuis malignis, paſſim graſſantibus, ſi dolor capitis et deliria infeſtent, multum ſpei ponere ſoleant in applicatione Veſicatoriorum. Vt ſibi conſtaret, de ſuceſſu, coepit percontari quoſdam Chirurgos, ſuam operam locantes, eorumque relatione innotuit, aegros pleroſque, quibus illa admota fuerant, defunctos fuiſſe. Et complures ipſe nouit, qui cum ſuis Veſicatoriis in tumbam ſepulchralem fuerunt praecipitati. Operae pretium eſt audire iudicium Cel. RAMAZZINI [e]): „Ad ſollicitandam, ait, pe„ticularum eruptionem, paſſim Veſicantia brachiis, et cruri„bus appoſita; ſed haec magis medicorum exiſtimationi „apud vulgus, ne quid inauſum aut intentatum fuiſſet, condu„cere viſa ſunt, quam aegrorum ſaluti, quibus acuebatur fe„bris, nec propterea facilior contingebat peticularum eruptio, „niſi forſan ob id retardabantur, facta materiae ſeroſae, per „vias vrinae, profuſione.“ Teſtatur praeterea VALCARENGHI [f]) ſe nunquam eam fidem aut fiduciam in his febribus in Veſicatoria collocare potuiſſe, vt alii ſine omni differentia facere ſoleant. Prouocat ad eum QVARIN [g]) et ea magis conuenire dicit, vbi malum potius in neruis quam in ſanguine haeret. Affirmat porro RICHA [h]) in febribus putridis taurinenſibus, nequaquam ea proficua deprehenſa fuiſſe. BORELLI [i]) tandem vltro profitetur, nullum vſum iis praeſtitum fuiſſe, ſed aegros omnes exulceratis brachiis et pedibus in ſepulchrum fuiſſe deportatos. Valde doleo, quod Cl. COSTENBADERI diſſertationem [k]) de abuſu veſicantium in febribus malignis, non viderim. At ſi vel ſola conſiderentur effata BOERHAAVII [l]), ea non conuenire, vbi humorum inclinatio eſt ad alcali; SWIETENII [m]), vbi humores diſſoluti, acres et in putredinem vergentes, vix tuto adhiberi; HVXHAMI [n]), muſcas has profecto diſſolutionem et inde ſanguinis putredinem promouere, neminem Medicorum putarem eo procedere poſſe, vt ipſas in febri-

d) *lib. I. obſ. 20.*

e) *conſtit. epid. 1692. 1693. 1694. operum pag. 199.*

f) *Med. ration. p. 351.*

g) *de febr. p. 68.*

h) *de febre putrida Taurinenſi.*

i) *epiſtola ad Malpighium p. 28.*

k) *habita eſt Lugd. Bat. 1769.*

l) *in Comment. ſuo ad aph. 75.*

m) *Comment. Tom. I. ad aph. 75. p. 108. in fine.*

n) *Operum II. p. 113.*

febribus putridis in vſum trahere haud dubitet. Non diffiteri poteſt ipſe Cl. PRINGLE[o]), magnus fautor Veſicantium, cauſſa morbifica exiſtente confirmata, febrem ſummam et conſummatam vim Veſicatoriorum et alexipharmacorum eludere, ac durare ad ſtatum vſque tempus ſuae declinationis. Non ergo videntur apta eſſe, vt vim naturae medicatricis iuuent, eidemque ſuam operam faciliorem reddant. Ingenue etiam fatetur Ill. *de* STÖRCK[p]): „Eos, qui ſub initium morbi habuerunt „valde debilem et inaequalem pulſum, oculos triſtes et turbi„dos, reſpirationem laborioſam, faciem purpuream, caput „graue, ſopore oppreſſum etc. circa ſeptimum diem occu„buiſſe, fortia alexipharmaca iis ſemper nocuiſſe, Veſicantia „et epiſpaſtica nullum leuamen attuliſſe."

o) *p.* 297.

p) *anno med.* II. *p.* 65.

Ego, vt nil diſſimulem, in aliquot epidemiis grauiſſimis malignarum febrium ciuibus meis medicinam faciens, ſponte mea raro Veſicatoria praecepi, ob rationes dictas, et in ſequentibus dicendas, collegarum conſiliis et pollicitationibus aliquid cedere coactus, ea ſubinde vt applicarentur, inuitus permiſi. Nitide deſcripſit noſtram epidemiam vernam, anni 1717. ob inundationes et annonae caritatem obortam, ipſe ea prehenſus practicus tum longe lateque celebris, medicus eleganter eruditus, amicus meus coniunctiſſimus, *de Hahn.* Quam parum is dederit Veſicatoriis, vel ex eo clarum eſt, quod alios, et ſe ipſum, potu largo nitrato, acidulo, ſaponaceo, et ablutione frigida ſeruauerit. Ipſe non paucos ſine Veſicatoriis eluctantes vidi, ad aliorum methodos attentus, bene multos cum Veſicantibus mortuos obſeruaui. Poſt multos deinde annos, cum feruente bello vrbs a militibus vulneratis, peſſimis febribus laborantibus, ſanos inficientibus et contagium per eam, et confinia longe lateque ſpargentibus impleretur, templaque et gymnaſia et multa alia aedificia publica, in xenodochia conuerterentur, largiſſimus obtinebat Veſicatoriorum vſus, publica inſtructione iniunctus. Tantus interim erat mi-

litum,

litum, fatis ſuis cedere iuſſorum, numerus, vt ipſi tumuli honoribus carentes in magnas foſſas vrbe elati turmatim proiicerentur, vix parca terra obtecti.

§. XXXVI.

Sed Veſicatoria in acutis et malignis, praecipue tueri aggreſſus eſt, vir in praxi ſummus eruditoſque adeo medicos erudiens, atque in publicum bonum, non ſaltem terris ditioni imperatoriae parentibus, ſed et toti Europae, doctos et peritos medicos ſua inſtitutione elargiens, Illuſtr. *de* HAEN [a]). Liceat mihi tanti artificis, ex cuius doctrina ipſe ſenex toties profeci, cogitata accuratiſſime contemplari.

Ill. de Haën methodus accuratius conſideratur.

a) *rat. med. VIII. p. 167.*

Largitur, Veſicatoria haud omnibus ex aequo prodeſſe [b]). Id ſine dubio etiam de febribus malignis valebit, quando vſum ad vim vitae debilem tantum reſtringat. Eodem loco problema proponit [c]): *an euacuationibus aliis ſufficienter inſtitutis, cruorem phlogiſticum diſſoluant Veſicantia,* de cuius ſolutione alibi diſpiciam.

b) *pag. 168.*

c) *pag. 19.*

Miror autem, Ill. virum aſſerere, Veſicatoria in corpore praeparato calorem non excitare eo, qui a calidis alexipharmacis excitatur, formidabiliorem. Idem ſtatuere etiam video Cl. PRINGLE [d]), quando poſt vſum vini, quem ſuaſerat, increſcente delirio, oculis trucibus, et voce intenſa, phrenitis imminet, omnia calida remedia ſymptomata peiora reddere, Veſicantia autem eſſe vtiliſſima, declarat. Quis vero facile et haec, calida, imo vero calidiſſima non habebit? Certiſſimum eſt, quod monuit *van* SWIETEN [e]): „Cantharides calorem excitare illo in loco, cui applicantur, et deinde in toto corpore caloris augmentum facere.“ Si alexipharmaca, vi ſua aromatica, ſi vinum, ſpirituoſis ſuis particulis, calorem augeant, cum cantharides, maxime multis locis ſimul applicatae, ſtimulantibus et cauſticis ſuis particulis, ſanguinis maſſam ingredientibus, aequa ſane, et multo maiori vi augebunt,

d) *pag. 309.*

e) *I. p. 108.*

ſine dubio. Vt nitrum in corpore, quomodocumque praeparato, ſemper refrigerat, ita cantharides ſemper calefaciunt. Saltem praeparato per euacuantia, per venaeſectionem, et purgantia antiphlogiſtica, per diluentia et ſaponacea corpore, ſicque fracta febre, et calore maximam partem reſtincto, earum inſita vis calefaciens tantum, tamque ſenſibilem calorem, eoque gradu noxium excitare non poteſt, ac ſine hac praeparatione excitaſſet; huncque forte corpus nunc ſine damno, aut facilius feret, vel etiam cum aliquo commodo experietur.

Aſſerit porro Ill. *de Haën*, in praeparatis, quae ſemper requirit, corporibus, ad intolerabiles capitis dolores, et coma vtrumque, ad deliria ſalubriter adhiberi Veſicantia, humorum motu inde minime aucto. Nil obiicio; febrem tamen auctam obſeruauit *Rammazzini*, loco citato, obſeruaruntque alii; ſed valere ſaltem hoc conſilium ad eum ſtatum dico, cui vir inſignis paullo antea adaptauerat Veſicantia, vbi vis vitae debilior eſt, quam vt morbum coquat. Tum autem omnino neceſſarium eſt, vt motus humorum inde augeatur, aliter enim nil commodi ab iisdem inſequeretur.

Putat Ill. *de Haën*, ſi aliquis rogaſſet *Sydenhamum*, quid ſibi velit execrationibus ſuis in alexipharmaca, cum ordiri debuiſſet ab execratione Veſicantium? illum reſponſurum, ſe a calida methodo experiri in febribus caloris augmentum, a Veſicantibus autem et epiſpaſticis poſt requiſitas euacuationes admotis, motum non auctum, et calorem imminutum. Hic ceſſare oportere ratiocinia, hic ſolam eſſe conſulendam experientiam, quae ad lectulos aegrorum, non in muſeo comparetur.

Pace viri ſummi dixerim, ex modo, quo operantur in corpus humanum Veſicantia, quae ſane in loco, cui applicantur, non efficiunt refrigerium, ſed inflammationem artificialem, clariſſimum eſt, quod eodem, et maiori iure, ad calidam methodum referri debeant, quam alexipharmaca.

Perin-

Perinde enim eſt, ſiue acria aromatica quaeuis ore aſſumantur, et deinde, humorum maſſam ingreſſa, in ſyſtema vaſorum ſtimulo agant; ſiue acerrima cantharidum ſpicula ab externa cute ſeſe in corpus inſinuent, et circulum humorum, liquidis immiſta, incitent. Ab vna et altera parte calor increſcat, neceſſe eſt. Vbi locum habent Veſicantia, ibi etiam habent alexipharmaca, vbi haec nocent, nocebunt et illa, namque in agendo pari paſſu ambulant, imo vero Veſicantia, alexipharmacis in agendo ſunt ſuperiora, ob eminentiorem vrentem acrimoniam. Praeterea etiam omnia alexipharmaca, ordinarie cum magna diluentium et demulcentium quantitate ſumuntur, vt adeo acres et irritantes earum particulae a ſe inuicem ſeiungantur. At ſtimulantes et cauſtici cantharidum atomi, nullo vehiculo diuiſi et diſperſi, nullis mollibus vaginis, vt ita loquar, inuoluti, aperta et haud infracta potentia ſua, humorum oceanum ingrediuntur. Rectiſſime ergo, ex mea quidem ſententia, dixit COLLIN [f]): Certum firmiterque perſuaſum habeo, quatuor vel quinque Veſicantia multo vehementius exſtimulare, quam quaecumque alias a medicis exhiberi ſolita alexipharmaca. Poſt requiſitas euacuationes ſi haec vel illa indicentur, vtraque mitius omnino agent, ſemper tamen ſtimulare non deſinent. Veneror ego caſtam et ſinceram experientiam, ſine ea tota medicina abit in ſomnia et ſpeculationes euanidas. Quid autem agendum, quando egregiorum virorum, qui ad lectulos aegrotantium per annos bene multos iugiter et ſolerter acceſſerunt, experientiae allegatae ſibi e diametro contrariantur, dum vna tamen eſt veritas? Quis litem dirimet, niſi, quae alterum medicinae fulcrum eſt, ratio acceſſerit, iunioreſque medicos potiſſimum, neſcientes cui duci ſe tradant, experimenta per mortes et funera facere nolentes, verum eligere, et recto tramite incedere, doceat. Egregia diſſertatione docuit fidiſſimus praeceptor, HOFFMANNVS rationem eſſe praeſidem vniuerſae medicinae. „Nemini

f) *de miliaribus p. 18.*

 „igno-

ff) §. 13. 17. „ignotum eſſe dicit [ff]), quantus diſſenſus vigeat inter practi-„cos, circa Veſicatoriorum, aliorumque remediorum, vſum, „et quomodo ad lectum cuiuſcumque aegrotantis nullus fere „modus et finis ſit diſſentiendi, et contradicendi inter medi-„cos, qui tamen ſinguli, quod mirum, vt ſuam ſententiam „tueantur, ad ſummum illud experientiae tribunal et idolum „confugiunt.“ Videmus hinc euidenter, quam imbecille ac debile experientia ſit fulcrum, quam miſera et deſperata res ſit, ſoli experientiae credere, et adhaerere in praxi medica.

§. XXXVII.

Vlterior eius dilucidatio. Quia argumentum, quod pertracto, tanti momenti eſt, cum amiciſſimo meo et aeſtumatiſſimo HAENIO a Tomo VIII. rationis medendi retrogrediar ad III. in cuius cap. I. de morbis malignis agit.

Efficaciorem, quam quae hactenus innotuerat, in malignis methodum expiſcaturus, vir ad promouenda artis incrementa natus, inuenit 1. alimenta et potulenta congrua. 2. lenia paregorica. 3. corticem peruianum. 4. in tuſſi, pectoralia. 5. ſub horum vſu Veſicantia et epiſpaſtica ad varia corporis loca. 6. fomenta emollientia aut vinoſa. Scribit deinde ex variorum medicorum ſententiis, *Mortoni*, *Vratiſlauienſium*, *Neucrantzii*, *Sennerti*, *Simonis Pauli*, *Rhodii*, *Torti*, *Richae*, *Huxhami*, *Pringlii* iuſtum elogium cortici Peruuiano.

Tandem exhibet caſus, in febribus putridis malignis petechialibus methodi ſuae praeſtantiam loquentes.

a) pag. 50. In caſu I. [a]). *Synochi* putridae, cum petechiis, applicata quinque Veſicatoria, nihil autem haec profuerunt; at ſtranguria diriſſima, mictio cruenta, aluus cruenta, erant illorum effectus; quae mala ſuis remediis lenienda et ſananda non tribui quinque Veſicatoriis videntur, ſed malitiae morbi. Huius malignitas augebatur, cui tamen cortex reſtitit, qui et ſanitatem attulit. Si totus caſus penſitetur exacte, *conſtabit*

cuiuis

cuiuis lectori, ſine Veſicantibus, quae nil opis attulerunt, aegram a tribus illis tortoribus, cantharidum non raris ſequelis, manſuram fuiſſe liberam, et ſine his cortice ſolo ſanitatem certiſſime recuperaturam fuiſſe.

In caſu II. Cortex et Veſicatoria in vſum trahebantur; larga doſis illius, cum aliis remediis, ſine Veſicantibus, aegrum ſine dubio ſeruaſſet.

In caſu III. grauiſſimo, Cortex largiter datus eſt, forte et Veſicantia admota, quia tota cura, vt in antecedentibus, peracta dicitur. A cortice ſine dubio conualuit aeger.

Aegrotus IV. curatus Cortice, nulla mentio Veſicantium.

Aegrotus V. deſperate decumbens, ſanatus Cortice ſine Veſicantibus.

Aegrotae VI. antea cacochymicae et hydropicae, petechiis tandem laboranti et mortuae, Cortex largus temporariam medelam attulit, 4. Veſicantia ſane nullam.

Aegroto VII. medico, qui milites, maligna febre cum exanthematibus laborantes, ſanauerat, Cortice multo, neſcio, an ſimul Veſicantibus adhibitis; Cortex inſufficienter datus eſt, hinc mortuus. Foemina cum multis petechiis Cortice ſine Veſicantibus, alia cortice cum his ſanata [b]).

Moneo his ſimul, Cl. HASENOEHRL [c]) ſecutum fuiſſe *Haënii* methodum, Corticem nempe dediſſe, et Veſicantia applicauiſſe, antea tamen [d]), omnia ſtimulantia reiecerat, aegrumque ea ſaepenumero non in mediocre vitae periculum coniicere dixerat.

Nunc HAENIVS meus iure meritoque Corticem laudat [e]), vt in malignarum debilitate cardiacum incomparabile; vt in ſumma corruptione interna inimitabile alexipharmacum; vt exanthemata expellens, ſuſtinens, maturans, perficiens; omnibusque aliis remediis et methodis praefert, et in ſummo malignitatis gradu adeo ſoli huic generoſo remedio fidit, vt Veſicato-

b) *rad. med. Tom. IV. p. 5.*

c) *Hiſtoria febris petechialis Vindob. 1760. p. 42. 44. 47.*

d) *p. 20.*

e) *pag. 71. ſq.*

ſicatoriorum prorſus obliuiſcatur, et ne verbulo amplius dicit, eorum applicatione ſimul opus eſſe.

Ego autem nunc, pace eximii viri, meas animaduerſiones adiicio. Citauerat antea hiſtoriam, a *Pringlio* mutuatam [f]) militis, febre maligna petechiali laborantis, gangraenam a Veſicante, in dorſo poſito, paſſi. Cum haec grauis eſſet, homini dabatur Cortex, quo effectum, vt elapſis aliquot diebus gangraenoſa plaga pulchre ſuppuraret, et petechialis morbus ſimul in melius mutaretur, ſanabilis futurus, ſi a Cortice aeger non deſtitiſſet. Nunc quando Cortex putridam humorum diatheſin vi ſua antiſeptica corrigit, et cum ea gangraenam, a Veſicatorio excluſam, ſanat; quando in ſumma corruptione eſt inimitabile alexipharmacum; et ſimul in debilitate ſummum cardiacum, cur in malignis opus eſſet Veſicatoriis, grauiſſima et ſumme doloroſa mala in viis vrinariis facile inducentibus, quae ad malignam febrem non pertinent, adeoque eius miſeriis neceſſariis, non neceſſarias miſerias addentibus? Plura dico! Deſtinantur Veſicatoria excitandis viribus vitalibus; excitent ergo has, eleuent depreſſum paruulum et exiliſſimum pulſum, ſed negari nequit, eodem hoc tempore, quo hoc praeſtant, quia adeo in ſano corpore faciunt halitum cadaueroſum, calorem vrentem, vrinam foetidam, et acrem, ſanguinem in acre putrefaciens ſolutum [g]), cum febre; abſoluta neceſſitate, praeſentem malignitatem humorum, quae prorſus in eiuſmodi craſi deprauata conſiſtit, auctura fore, igitur ipſam morbi cauſſam non impugnatura, ſed adiutura. Nonne ergo illa excitantia, quae ſimul ſua dote huic peruerſae craſi et cauſſae morbi valide reſiſtunt, erunt meliora? Nonne cardiacus et ſimul alexipharmacus Cortex, Veſicatoriis praeferendus, ſufficiet? Si huius vſui iungantur Veſicantia, Cortex non ſolum putridam diatheſin, cauſſam morbi, ſed et ſimul iuuamen, quod huic putridae diatheſi, eam augentia Veſicatoria adferunt, emendare debet,

f) *p.* 47.

g) *Boerh. in Commentario proprio ad aph.* 75. *et Swieten in ſuo Tom. I. p.* 108.

debet, ſicque prauos effectus morbi, et remedii ſanare. Nonne ſine Veſicatoriis certius febrem malignam ſanabit Cortex? Nonne, quando cum Cortice Veſicatoria adhibentur, quibus vel ſolis, largiter applicatis, creari poteſt maligna humorum diatheſis, his interdum ita augeri poteſt malignitas, vt Corticis, etiam largiſſime vſurpati, viribus euadat ſuperior? Quodſi eidem ſuperandae is ſolus impar iudicetur, praeſtabit ipſi iungere vires excitantia et cardiaca talia, quae ſimul vera antiſeptica virtute pollent, vt acida mineralia et vegetabilia, vinum rhenanum, camphoram, cum gratis analepticis, non ſeptica, vt cantharides.

Cenſuit SYDENHAMVS [h]), malignitatem omnem, quae epidemicis morbis competit, qualiſcumque demum fuerit, ipſius ſpecifica natura, particulis calidis et ſpirituoſiſſimis, humorum in humano corpore contentorum naturae plus minus aduerſantibus, conſiſtere, et terminari, quia ſolae eiuſmodi particulae humores ita ſubito alterare valent, vt in malignis morbis fieri videmus. Aſſerit porro [i]), quo magis vſu calefacientium actuantur particulae hae calidae, ac ſpirituoſae, totum ſanguinem aurae inſtar peruadentes et ſpiritibus ſiderationem inferentes, tanto magis intendi earum aſſimilandi facultatem, cum ex aduerſo ratio dictare videatur, medicamenta illa, quae contrariae ſunt naturae, cum temperato regimine, particularum calidarum et acrium vim inhibere.

h) *p. 313. 681.*

i) *p. 314. 316. 682.*

An autem credibile foret, particularum calidiſſimarum harum, ſiderationem ſpiritibus inferentium et malignitatem conſtituentium, verum antidotum eſſe Veſicantium cauſticas et ſiderantes particulas; an enim hae ſunt naturae illarum contrariae, vt illarum vim ita queant inhibere? An ſalua hac idea, quam de malignitate tenuit *Sydenhamus*, quando calidum regimen et calida alexipharmaca toties damnauit, is poſſet admittere his longe calidiora Veſicantia? Si in conſtitutione ſanguinis acri et colliquatiua, BAGLIVO [k]) teſte, Veſican-

k) *p. 655.*

tia obſint; ſi non proſint, vbi inclinatio humorum ad alcali adeſt, id eſt, vbi diſſoluti in putredinem vergunt, monitoribus BOERHAAVIO [l]), et SWIETENIO [ll]), impoſſibile eſt, vt vere proſint in febribus malignis. Si petechiae rubrae ſint tot inflammationes, Veſicantia inflammatoriam diatheſin humoribus inferentia, plus, quam omnia calida, quae exanthemata generant, generationem petechiarum iuuabunt; ſi liuidae et nigrae, MEADIO [m]) notante, ſint verae gangraenulae, Veſicantia, gangraenam ſua natura ingenerare apta, incitando vires, protrudent quidem, ſed et ſepſin humorum augendo, plures omnino, et peiores facient petechias. Non poteſt fallere obſeruatio RAMAZZINI [n]), qui in febre peticulari, in qua ſanguis non ad concretionem, ſed ad diſſolutionem pronus viſus eſt, pulſu exiſtente paruo, et viribus ſubito proſtratis, vſum acidorum ſalubriorem expertus eſt, quam alcalium, ſicuti et Veſicatoriorum applicatio minus proſpera fuit, vt quae ſanguini, ad fluorem prono, ſtimulos adiicerent. Summa cum cura hic expendi merentur monita Cel. HVXHAMI. Is admittit, vt in antecedentibus vidimus, Veſicantia, quando natura incitamento indiget, quando ſolida torpent, circulatio langueſcit, ſpiritus ſunt effoeti et aeger comate corripitur. At vero tot cautiones ſimul praemittit et adiicit, vt dubius paene reddatur lector, an aliquid boni vel mali inde exſpectare liceat. Quando irritatio et impulſus ſunt nimii, vt plerumque in harum febrium principio fieri ſolet, certe ſine vllo iudicio ea applicari dicit, et multa mala inde orientia recenſet: ergo illis locum ſaltem concedit pulſu exiſtente debili. At miaſmata nil aliud eſſe aſſerit [o]) quam ſalia animalia, ſumme volatilia, id, quod ortus harum febrium a putridis cadauerum exhalationibus etc. doceat. Deinde in febribus malignis petechialibus ſanguinem ad diſſolutionem et putredinem tendere monet, porro ſalia alcalino-volatilia, ſine vllius contagii acceſſu, in perfectiſſima ſanitate corruptionem ac diſſolutionem ſanguinis, atque talem

febris

l) *in Comment. proprio ad aph. 75.*

ll) *in Comment. ad hunc locum.*

m) *monit. med. p. 18.*

n) *operum p. 209. 210.*

o) *Tom. II. p. p. 114.*

febris ſpeciem excitare; muſcarum autem harum ſalia, ſimili fere ratione, vt ſalia alcalino-volatilia vim ſuam exerere, et profecto diſſolutionem et ſanguinis putredinem promouere [p]). p) *p. 115.*

Numne autem exinde clariſſime patet, etiam ex conſilio *Huxhami*, non, niſi ſub ipſa debilitate pulſus, ſpirituum languore, et virium omnium penuria; adhibita Veſicantia, quae tum remedia eſſe debent, eoſdem plane effectus patrare, quos patrant ipſa miaſmata volatilia putrida, corpus ingreſſa, quomodo igitur illa his horumque effectibus contraniti poterunt, licet viribus erigendis paria habeantur? Accedit, quod *Huxhamus* dicit, acida vegetabilia et mineralia cum ſubadſtringentibus eſſe vera remedia, quia putredinis progreſſui reſiſtunt, quomodo ergo cum his eodem tempore ſtare poterunt admotae cantharides alcalino-volatili cauſticoque ſale agentes, hocque putredinoſam diſſolutionem, quam illa corrigere debent, excitantes, iamque tali praeſenti famulantes, non reſiſtentes?

Quamuis haec omnia pleniſſime ſufficiant ad id demonſtrandum, quod demonſtratum volo, tamen adhuc faciem malignarum veram, et medendi iis methodum, vtramque a PRINGLIO ſuppeditatam coram exhibere liceat. Miaſma, ſiue fermentum ſepticum, ex effluuiis ſubſtantiarum putridarum conſtans [q]), ſanguinem ingreſſum, vim habere totam eius maſſam deprauandi, aſſeuerat [r]). Iam in curatione, antequam inflammatio fixam ſedem nacta fuerit, particulas ſepticas ſudore eliminari poſſe dicit. Hac periodo finita, efficaciſſimam methodum in eo conſiſtere aſſerit, vt vires conſeruentur, ita tamen, vt inflammatio non augeatur. Igitur in prima et ſecunda periodo Veſicantia neutiquam conuenient, quia ipſa inflammantibus et ſepticis particulis ſcatent. In tertia periodo, ſiue in declinatione, quando humores per putredinem diſſoluti ſunt, confugiendum vult *Pringlius* ad ſumma antiſeptica et cordialia, vt corruptum corrigatur, et expellatur.

q) *p. 332.*
r) *p. 334.*

 Itaque

Itaque pulſum excitandum eſſe praecipit antiſepticis ſummis, vino, camphora, ſerpentaria, cortice peruuiano. De Veſicatoriis autem, quae tamen alibi in malignis omnino ſuadet, dum hic methodum medendi ad ſumma capita reducit, penitus tacet. Non poſſum diſſimulare, quod pro excitando pulſu volatilia ſaepe neceſſaria eſſe dicat, quibus etiam, in appendice, experimento tertio, antiſepticam indolem ineſſe, probare nititur. Atque Cel. GREDING, qui librum *Pringlii* ex anglico in germanicum vertit, aſſerere non veretur [s]), ipſa volatilia in excitando pulſu, et expellendo putrido plus boni editura fore, quam mali, in diſſoluendo forte ſanguine. Dabit tamen, ſpero, *Gredingius* primo, experimenta *Pringlii* extra corpus humanum, non in eo, facta fuiſſe; deinde alcalino-volatilia in corpore tamen diſſolutionem putridam non praepedire (ſi etiam eam non efficiant, id, quod tamen cum *Huxhamo* multi ex grauibus rationibus et experientiis affirmant) quod vero certiſſime praeſtant acida, et praecipue mineralia. Acida ergo excitantia multis prae alcalino-volatilibus praerogatiuis gaudebunt. Sique his, tamquam excitantibus depraedicatis, analoga Veſicantia iungi debere aliquis patronus vrgeret, de cantharidibus nimis certum eſſe, palam aſſererem, quod ſanguinem a corruptione non praeſeruent et vindicent, ſed ipſum in eam certiſſime deducant.

s) *p. 334.*

§. XXXVIII.

Experientiae, pro vſu Veſicantium in febribus malignis allegatae, ad ſalutarem adhibitionem adſtruendam non ſufficiunt.

Audio equidem et lego, Veſicantia a longo inde tempore in febribus malignis adhibita fuiſſe a viris in praxi verſatiſſimis; adhiberi ad hunc diem; ipſorumque vſui contra ratiocinia fauere experientiam, quibus eapropter valedicendum ſit. Dixi iam de hoc argumento, quod dicendum erat, experientiamque experientiae oppoſui. Iam vero ſola adduco et mea facio verba THONERI [a]): „Quodſi vnus et alter ex complurium numero ſaluus euaſerit, quid mirum, ſi id factum, non

a) *lib. I. obſ. 20.*

„tam

„tam Veſicatoriorum ope, ſed vel robore naturae, vel alio-„rum medicamentorum adminiculo, vel ſi febre declinante, „natura iam victrice, adhibita ſunt. Fortaſſis aegri illi aeque „fuiſſent reſtituti, ſi non fuiſſent applicita (addo, forſan mul-„ti ſine iis fuiſſent ſeruati, qui cum iis mortui ſunt) non igi-„tur tam temerario iactu de corio humano ludendum, ſed cau-„tius et circumſpectius agendum.“ In illa elegantiſſima methodo medendi morbis caſtrenſibus, auctore SWIETENIO, Viennae 1758. publicata, dum de febre maligna agit, et praeſtantiſſima pharmaca laudat in ſumma debilitate, et retrocedentia exanthemata ſequente anxietate cum conuulſionibus, ne ſyllabam habet de Veſicantibus. An credibile eſt, virum ſummum, integrorum numeroſiſſimorumque exercituum imperatoriorum ſalutem ante oculos et in corde habentem, Veſicatoriorum vires et laudes ignorauiſſe, eorumque oſcitanter fuiſſe oblitum, anne potius inde conſtat, ipſum illa haud proficua iudicauiſſe? Scripta haec ſint in meam defenſionem, qui quoties res mihi fuit cum febribus malignis, raro proprio conſilio ad Veſicantia confugi, propter rationes fuſe hactenus explicatas. Grauiſſima erat epidemia, quam, durante bello, inclementia caeli, et aegrorum militum ingens in noſtram vrbem confluens numerus, nobis adduxerat. Ab eorum curatione equidem liber, multis tamen ciuium, et medicis chirurgisque ab iis infectis, mederi iuſſus ſum. In principio venaeſectione adminiſtrata, vel omiſſa, non raro loco emetici, multo cremore tartari ventriculum et inteſtina repurgaui. Merito et multum laudatur polychreſtum hoc remedium a TISSOTO [b]), tanquam efficaciſſimum, quia reſiſtit putredini, quia facilitat curſum bilis, quia eſt deobſtruens, quia leniter purgat aluum, pellit vrinam, minuit febrem, et nullius guſtum offendit. Deinde acida alia, vegetabilia et mineralia; largiſſime exhibui, eorumque eximiam virtutem expertus ſum. Dedi ſuccum citri et pomorum Sinenſium, ſyrupoſque horaeorum ſubaci-

b) *lettre à Mr. Zimmermann, ſur l'Epidemie courante p. 88. 89. 115. et Avis au peuple, chap. de fievres malignes.*

ſubacidos, magna copia, et pro potu ordinario decoctum hordei mellitum, cum aceto, quod ad putredinem veram humorum, ad corruptionem mortiferam, ad gangraenoſos reptatus, teſte BOERHAAVIO [c]), adeo prodeſt, vt nil habeat ſimile, vt id expertus palam eloquitur; quod praeterea ſudoriferorum cognitorum certiſſimum et efficaciſſimum eſt, merum aut dilutum epotum, in peſte, maximeque malignis morbis, vbi alia vix reſpondent. Aliquando confugi ad ſpiritum vitrioli, diu edoctus vſum a SYDENHAMO [d]), qui in mali moris variolis ipſum cum fructu adhibuerat, vt remedium, quod putredini, magis intenſae, vincendae par eſſet. Cum ſpiritum hunc, eius ductu, iam non raro adhibuiſſem, atque inſuper a BOERHAAVIO [e]), didiciſſem, acida foſſilia alioquin venena, in illis tamen caſibus, vbi putredo et alcaleſcentia nimis increſcunt, in ſeptica prorſus conditione humorum, locum habere, inſtillari illum feci cereuiſiae tenui, more *Sydenhami*, vel decocto hordei aut aquae ſimplici, ad gratum ſaporem, addito ſyrupo quodam analeptico talemque potum liberaliter bibendum praecepi. Memori etiam mente tenebam, quae de febre inter omnes malignas ſumma, ipſa ſcilicet peſte, ſcripſit MINDERERVS [f]): *Nulla eſt putredo, nulla infectio, nulla humorum deprauatio, quae per acida non ſuperetur. Sane, vt liberrime loquar, ſi mihi vitriolicorum remediorum vſus, vel interdiceretur, ego ad curationem peſtis numquam, vel ſaltem inermis accederem.* Neque praetermiſi in medicatione camphoram, eius eximias virtutes, a venerabili praeceptore, HOFFMANNO, edoctus, qui et tenuem meam, de virtute eius refrigerante, commentationem immaturo ſtudio conſcriptam, ſua praefatione comitari dignatus eſt. Iure is de ea pronunciauit, quod in vniuerſo naturae rerum ſinu, nullum reconditum ſit ſimplex, quod ad ſubmouendam de corpore malignitatem, cuius naturam in peneuranti putredine tam ſolidarum, quam liquidarum partium reponit, detur camphora praeſentius,

c) *in Chem. II. pag. 185. 186.*

d) *operum p. 298.*

e) *Chem. T. I. p. 673.*

f) *de peſte cap. XV.*

tius, ac potentius [g]). Ante paucos annos celeb. COLLIN [h]), cum febris petechialis ſeſe manifeſtare inciperet, aliquot aegros camphora ex orci faucibus eripuit, et deinde publice docuit, camphoram eſſe omnium, quae nota ſunt, efficaciſſimum contra putredinem remedium; putridam humorum diſſolutionem, ſponte, vel a contagio, natam cito ſiſtere, gangraenam efficaciter inhibere.

Sed et corticis peruuiani vis ſumma antiſeptica mihi cognita erat ex lectione *Simonis Pauli*, *Torti*, *Huxhami*, *Pringlii*, aliorumque. Adfueram iam anno 1737, ſaepe amiciſſimo HAHNIO [i]) qui die 13. morbi in ſumme maligno rerum ſtatu, corticem hunc, quem inter omnes reliquos primum vocare ſolebat, ad drachmas 4 deinde vero ad tres, ſumſerat. Quamquam vero perpetuae abluitioni cum aqua frigida, ex parentis mente, qui frigidam ſummopere amabat, reſtitutus fere omnia daret, me quidem iudice, Cortici multum debebat. Hunc ergo acidis et camphorae iungere deinde ſolebam apud meos aegros, non quidem illa valde liberali doſi, quam anno 1758. Ill. *de Haën* primus non, niſi liberaliter vſurpatam, iuuare docuit, (namque non omnes eum tantis doſibus ferunt, ipſeque *Hahnius*, medicus, quarta die tantum vnicam drachmam aſſumere poterat) ea tamen quantitate, maiori minoriue, quae ingeri poterat.

Praeter haec efficaciſſima pharmaca, cum in ambitu corporis myriades venularum abſorbentium oſtiolis ſuis patere ſcirem, liquida imbibita ad humorum oceanum deuehentia, non quidem aqua prorſus frigida, ſed inter tepentem et frigidam media, cui portio aceti ſuauiter olentis, roſar. lil. conuall. lavend. cet. adiecta erat, ablui diligenter pedes, brachia, faciem, faciebam, regimen frigidiuſculum, mutationem lecti, conclave ſpatioſum ſimul vrgens, in quo ſaepe vaporibus aceti, lateri candefacto inſperſi, omnem atmoſphaeram medicinalem reddere laborabam. Animaduerti ſaepius, multa cum voluptate

g) *diſſ. de camph. §. XI.*

h) *videantur eius camphorae vires, ſiue obſeruationum, circa morbos acutos et chronicos factarum Pars III.*

i) *vide eius epidemiam vernam p. 19.*

ptate ſenſiſſe meos aegros inde, quam *Hahnius* laudabat, virium aliquam refectionem, ſenſim increſcentem, pulſu antea ſumme debili, pededentim pleniore et viuidiore reddito. Vt vero vitalem circuitum camphora et Cortice excitandum, ad naturale robur melius reducerem, vinum rhenanum, quod cum pomis citri et aceto vini omnibus alexipharmacis palmam praeripere dicit HOFFMANNVS [k]), quod aut praeſeruandi fine, aut in declinatione febris petechialis, ad vires deiectas erigendas et cuticularem excretionem ſecundandam, laudat; quo vel ſolo, experientia teſte, plures euaſiſſe dicit [l]), ſub ipſo morbi decurſu, pauca quantitate, magna aquae fontanae admixtum, cum ſacharo et Cortice citri, mire placens aegrorum palato, bibendum obtuli. Non obliuiſci debeo clyſmatum emollientium, ſubinde infuſorum ſumme vtilium, quia ipſa natura toties criſin per diarrhoeam molitur. Tot validis praeſidiis, amice inter ſe in oppugnanda humorum malignitate conſpirantibus, inſtructus, Veſicantibus, quae ſua in humores actione huic ferre ſuppetias, illis autem, quo plura eſſent, eo magis contrariari intellexi, ſecurus carui. Quodſi delirium, aut coma ingrueret, radi caput, ſpongiaque magna, aqua tepida cum aceto madida, perpetuo foueri feci. Vbi a capite delirante vel ſoporoſo reuellens neceſſarium iudicaui, fermentum panis cum ſale et aceto et puluere ſeminis ſinapi, ſuris, interdum brachiis, aut nuchae impoſui, numquam fere, niſi coactus, Veſicatoria admiſi, felici ſucceſſu non raro nihilominus potitus. Vidi deinde cum voluptate Ill. STÖRCKIVM in febre petechiis et milio ſtipata, dum vires languerunt, camphora exhibita Veſicantibus raro opus fuiſſe ſcribentem [m]). Legi, aliis ſelectiſſimis nil iuuantibus, in extrema ſymptomatum prauitate Veſicatoria, quamuis bene operata fuerint, etiam nil iuuaſſe [n]).

k) *med. ſyſt. Tom. II. p. 205. et IV. p. 265.*

l) *diſſ. de vino rhenano §. XIII.*

m) *Anno Med. I. p. 44.*

n) *pag. 47. et 65.*

Timui haec emplaſtra ſemper, ſi etiam eorum actio naturae morbi non aduerſa eſſet, quod nego et pernego, vel capro-

eapropter, quia numquam certus eſſe poteſt medicus, ne aeger, qui iam in deplorabili ſtatu conſtitutus eſt, ſtranguria, ardore vrinae ſummo, mictuque ſanguinis torqueatur, ad quas applicationis ſequelas liberaliſſimi cantharidum fautores non attendunt. At legere poſſunt apud TISSOTVM [o]), qui in febre epidemica, quam deſcribit, praegreſſis euacuationibus et febris impetu valde minuto, aegris interdum periculoſa pectoris oppreſſione laborantibus opem laturus, veſicatoria applicari fecit, quorum duo vel tres forti ardore vrinae mulctati ſunt, clyſmos et potus demulcentes poſcente. Idem hoc diſcere poſſunt ex ſincero monito HVXHAMI [p]), „Vbi quaedam, inquientis, in affectibus acutis cuti imponuntur Veſicatoria, aeger ſerum lactis, emulſionem, aut alium quemdam „ſubacidum et demulcentem largiter bibere debet liquorem, „niſi fere tanta ab hoc remedio, quanta ab ipſo morbo, tolerare velit.“ Miſerum certe eſt, dum malignum venenum oppugnatur, alio veneno ex hypotheſi ad hoc negotium opus eſſe, atque huic pro remedio habito veneno, deinde iterum ſua antidota non venenoſa quaerenda eſſe.

o) *Lettre à Mr. Zimmermann ſur l'Epidemie courante pag. 92. 93.*

p) *Tom. II. p. 116.*

§. XXXIX.

Cel. Aepli methodus medendi febribus malignis exponitur.

Non erit a ſcopo meo, quem praefixum intueor, alienum, vt, Cl. *Ioh. Melch.* AEPLI, lingua vernacula editam, diſquiſitionem, de febribus malignis: *Abhandlung von dem bösartigen Fieber* [a]), meae conſiderationi ſubiiciam. Gauderent *Habnii* mei placidi manes, ſi ad eos eius laudes abluitionum cum aqua frigida peruenirent, cui omnes poſſibiles vires elaſticitatem deperditam fibrarum excitantes, ſyſtolen cordis languentem et depreſſam erigentes, tribuuntur, auctoritatibus antiquiorum, et recentiorum corroboratae [b]). Simul omnia potulenta calida, vt potus Thée, noxia declarantur; recens ex limpido fonte hauſta aqua pro potu laudatur [c]). Corticem Peruuianum deinde, et camphoram, palmaria eſſe remedia aſ-

a) *Zürch, 1775.*

b) *p. 128. 129. 130.*

c) *p. 130.*

d) p. 132. 133. ſeritur [d]). Tandem in tertia morbi periodo, pro prorſus ſuccumbente natura erigenda, vinum externe et interne, atque cum eo Sinapiſmi et Veſicantia commendantur. Haec e) pag. 134. ſpeciatim dicuntur [e]), magna et fortia, mature ſuris applicata fuiſſe, ſine attentione ad illos, qui vſum cantharidum, a celebribus viris probatarum, cum *Bagliuo* et clariſſimo viro, nomen et omen habente, *Medico,* reiiciant, qui tamen ea potius in deliciis habet et valde laudat, quam reiicit.

Si aquam frigidam, ad abluendum et potandum, non adeo extuliſſet, actuque calida non adeo reieciſſet Cl. *Aepli*, minus mirarer eius affectum, quo in Veſicatoria fertur. Quomodo autem Veſicantia, et aqua frigida, in eumdem ſanitatis finem ſimul amice conſpirare queant, non bene capio. Certum eſt, et hanc et illa in fibras debiles et remiſſas agere, et earum contractilitatem naturalem prouocare, dum aqua frigida eas adducit et breuiores reddit, Veſicantia autem irritante vi eas, vt ſe contrahant, viuacius exſtimulant. Frigus vero aquae, et aeſtus Veſicantium, in ſanguine et humoribus, non eosdem effectus edere poſſunt.

Frigus ad praecauendam et arcendam putredinem maximam potentiam habet; calor et aeſtus eam perpetuo iuuant, et promouent. Dum ergo vrentia Veſicantia ſolidis debilibus excitans auxilium afferunt, liquidis eodem tempore noxia euadunt, eorumque praeſentem iam degenerationem in putridum alcali deteriorem reddunt.

Non ſatis mirari poſſum, quando cl. Virum aſſerere vif) p. 157. deo [f]) ratiocinia, et experimenta, quae apud ſanos homines inſtituuntur, valde ſuſpecta eſſe, atque ſine attenta reſtrictione non ſemper ad ſtatum aegrum trahi poſſe, ſeque credere, hoc ipſum praecipue de febribus malignis dici debere.

Concluſionem, a conditione ſani hominis ad aegrum, non ſemper valere, lubens conceſſerim, ſaepe tamen eam valere, certiſſimum eſt. Quando generoſum vinum homini plethori-

thorico calorem et orgaſmum ſanguinis inducit, maiorem ſine dubio ipſi inducet, ſi calorem, orgaſmum et febrem continuam iam experiatur.

Quando reſina Ialappae aluum cum torminibus mouet, diarrhoea torminoſa iam laboranti hanc ſine dubio augebit. Quando ergo Veſicantia ſaniſſimum ſanguinem in ſerum alcaleſcens diſſoluunt, tot phaenomenis luculentis teſtibus; in acre putridum liquamen iam diſſolutum, ſine omni dubio, non corrigent, ſed eius corruptionem eminentiorem et peiorem reddent. Si Veſicantia humores intactos relinquerent, ſoloque ſtimulo, illis indifferente, cordis et arteriarum vires excitarent, tum magnus forem cantharidum praeco.

Sed pro illorum apologia adornanda, quam ſcribit Cl. AEPLI [g]), euidentia facta negari nec poſſunt, nec debent. Libenter vellet negare, Veſicatoria non facile ardorem vrinae et mictum difficilem proritare, ſed id concedere tenetur; at exempla rariora eſſe praetendit, quae vero ſatis frequenter occurrere, ego in antecedentibus commonſtraui.

g) p. 137.

Dico autem, conditionibus humorum, quae in febribus malignis obtinent, Veſicantia, quia ipſa has conditiones ſua natura producunt, prorſus non conuenire, ſi etiam viis vrinariis aegrorum non forent noxia, atque quoad has, omnis metus inanis eſſet.

Bibulam vim vaſorum abſorbentium, qua atomi cantharidum interiora corporis ingrederentur, in magna illa vniuerſali debilitate in conſiderationem non venire, putat vir clariſſimus, nec perdurantem etiam irritationem a cantharidibus reſorptioni valde fauere.

Verum perpendamus quaeſo: Veſicatoria applicantur eo fine, vt actionem languidam in toto omnium vaſorum ſyſtemate augeant. An ergo in illo loco, cui immediate applicantur, non augebunt vim venularum abſorbentium? An vmquam perdurans irritatio Veſicantis in parte impedimento

 fuit,

ſuit, quo minus atomi cantharidum ex ea in totam maſſam humorum migrarent?

Exiſtimat cl. vir porro, vſum iuſtum et neceſſarium Cantharidum in malignis ſatis exinde innoteſcere, quod collapſas vires vitales eleuent; quod irritent; quod ſalubres doloroſas ſenſationes excitent; atque ſic motum cordis et vaſorum augeant; et morienti naturae ſuccurrant.

Hactenus bene! quod vero mortiferae humorum ſtagnationi, et ſeceſſioni partium, eos conſtituentium, a ſe inuicem, reſiſtant; diſſolutorumque ſtaſin in organis nobiliſſimis praecaueant, id verae cantharidum actioni in humores, qua eos certo reſoluunt et corrumpunt, eorumque diſſolutionem et corruptionem adaugent, in ſolidum repugnat.

De ſymptomatibus, comate, delirio cet. in quorum medela Veſicantia magni habentur a cl. viro, in antecedentibus ſatis dixi.

Poſtquam eorum tantum elogium ſcripſerat, tandem addit: ſe in fines memoratos ſtatim in principio morbi ſaepe repetitos acres ſinapiſmos pedum plantis admoueri feciſſe, quae in eleuando pulſu, et in leuandis incommodis capitis, valde proficua ſeſe praeſtitiſſent, experientiamque *Riuerii* et *Pringlii* confirmauiſſent.

Perplacet mihi cl. viri methodus. Quaererem autem, cur non potius adhibuerit Veſicantia? At vero, quando ſinapiſmi omnia haec bona praeſtare apta ſunt, cur opus Veſicantibus? Securiores ſunt citra controuerſiam ſinapiſmi. Semen ſinapi, acetum, ſal culinare nemo vmquam inter venena repoſuit. Quotidie haec, in menſa appoſita, impune aſſumuntur. Externe admota nemini vmquam doloroſum et cruentum mictum proritarunt. Seruemus ergo ſinapiſmos, et valedicamus ambiguis et ancipitibus Veſicantibus, quae dum ab vna parte proſunt, ab altera certiſſime nocent. Si, noxis eorum certiſſimis non obſtantibus, aeger tamen ſub vſu eluctetur,

tur, ſeruatam vitam non debet Veſicantibus, ſed aliis ſelectisſimis remediis, ſimul adhibitis, quae ſalubri ſua virtute, noxis illis praepollebant.

§. XL.

Vlterior ſententiae meae dilucidatio circa curationem malignarum.

Videntur mihi quidem modo dicta ſufficere minuendis elogiis, quae Cl. AEPLI Veſicantibus decernit, maxime ſi conſiderentur omnia illa, quae antecedentibus §is fuſius contra illa, in febribus malignis adhibenda, diſputaui. Supereſſe tamen adhuc credo nonnulla, quae placitis Cel. *Pringlii* et ipſius examini cantharidum in febribus malignis, meae Commentationi de vſu Veſicantium in febribus acutis editae, humaniter oppoſito, opponi poſſunt, in maiorem dilucidationem argumenti controuerſi ceſſura. Eapropter filum ſcriptionis nondum abrumpam, doleo ſaltem quod forte hinc inde crambem bis coctam me apponere aſſerent defenſores cantharidum, auctorum teſtimonia mihi fauentia, aliquando etiam contra meam voluntatem, bis adducentem. Sed nil refert. Numquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Integrum HVXHAMI caput *de ſanguinis reſoluto et putrido ſtatu* mihi cum attentione lectum et relectum ſuffecit, vt ſimul, certus de effectibus Veſicantium in ſolida et fluida corporis humani, ea in febribus putridis nullum locum habere intelligerem. Quando monente PRINGLIO [a]) per totum morbi decurſum ſumma diatheſis putredinoſa praeſto eſt, quae vel vera gangraena, alicuius partis, vel ichoroſo abſceſſu in cerebro enato necat; Quando pauci aegri ſine cadaueroſa diarrhoea, gangraenam inteſtinorum indicante, moriuntur; Quando breui ante mortem in conſpectum venientes petechiae, non niſi a putrida reſolutione ſanguinis oriuntur; Quando ſudores ſunt foetentiſſimi; per rerum naturam impoſſibile eſt, vt ſub his totam maſſam humorum in putredinem abire clamantibus circumſtantiis, humores ad putridam diſſolutionem, per ſuam naturam diſponentia Veſicatoria, ſalubria eſſe queant. Ipſe PRINGLIVS [b]) in pri-

a) *pag. 290.*

b) *Von Feldkrankheiten*

prima periodo de Veſicantibus tacet; in ſecunda inutilia declarat; quin ſub inſultu morbi ſupra totum caput applicata fuiſſe, ſine ſubſequente vllo leuamine, aut praeſeruatione ab ordinariis ſymptomatibus, vltro profitetur. In terti periodo, quando pulſus collabitur, et debilis fit, quando ſtupor increſcit, et delirium ingruit, vix maiorem debilitatem concipi poſſe, quam in aegro ad hunc terminum deducto, ſcribit [c]). Ob hanc inſignem debilitatem vinum commendauerat, poſtea autem, *Quodſi* ait [d]), *poſt vſum Vini oculi reddantur truces, vera phrenitis metuenda, ideoque ab illo abſtinendum.* Nunc vero pergit: *Obſeruaui hoc tempore omnia interna remedia calida ſymptomata peiora reddere, cum interea Veſicantia, quae antea noxia erant, nunc egregios effectus praeſtarent.* Sane cantharides in Veſicantibus ad nullam aliam claſſem referri poſſunt, quam ad ſtimulantia et calefacientia. Allegaui in antecedentibus Cl. *Collin*, vnum vel duo Veſicantia plus calefacere aſſerentem, quam, non vinum, ſed doſes maximas interne ſumtorum alexipharmacorum. Quodſi ergo interna calefacientia noceant, non video, quomodo extus quidem applicata, ſed in interiora fortiter agentia, calidiſſima Veſicatoria prodeſſe queant. Verum immediate ſequentia verba *Pringlii* limitant eius ſententiam, ſi non prorſus deſtruant, et tollant. Nempe *in hoc caſu*, inquit, *epiſpaſtica, vt in febribus inflammatoriis, adhibenda ſunt, et quando pulſus eſt debiliſſimus, pariter ad ſinapiſmos confugiendum eſt.* Dum vero in antecedentibus [e]) de febribus inflammatoriis agebat, *In magna debilitate,* inquit, *cum delirio ſtipata, ſinapiſmi plantis pedum admoti, in eleuando pulſu ſaepe maiorem effectum praeſtiterunt, quam Veſicantia.* Si haec ita ſe habeant, quaerere mihi liceat, cur ſinapiſmi Veſicantibus non praeferri debeant, interne ſimul exhibita camphora, quam *Pringlius* laudat. Non credit [f]), quod miaſma, ex effluuiis putridarum ſubſtantiarum oriens ſanguinem ingreſſum, vim habeat omnem eius maſſam corrumpendi, ſed hanc corruptionem pendere a praeuia inflammatione,

III. Theil. cap. III. p. 293. ſeq.

c) *p. 306.*

d) *p. 307.*

e) *Part. III. c. I. p. 151.*

f) *pag. 333. 334. 335.*

ne, et adulto morbo ipſam ſeſe manifeſtare, per eius reſolutionem et tetrum odorem, per ſudores et alias excretiones male olentes, per maculas ex puſtulas ex rubro nigricantes, et per familiarem gangraenam. In curatione eo reſpiciendum dicit, vt vires conſeruentur talibus, quae inflammationem non augent; in vltima periodo, reſolutis iam humoribus, antiſeptica et cordialia pro pulſu excitando adhibenda vult, camphoram, ſerpentariam et corticem peruuianum. Anne autem inde conſequitur vltro, ſi, ſecundum propriam experientiam magni huius Viri, eiuſque praecepta in ſtatu primo inflammationis cantharides applicare non conueniat, quia neruos irritant, et pulſum magis incitant, etiam in ſtatu vltimo, in quo putredo iam inualuit, eapropter eas non conducere poſſe, quia dum humores ſanos ad putredinem diſponunt ſua natura, nunc praeſentem putredinem augent. Quis enim eas inter antiſeptica, iam abſolute neceſſaria et indicatiſſima referret? Nihilominus tamen tot prudentes Viri, et inter eos Cl. *Arpli*, quodſi etiam in principio morbi Veſicantia non admiſerint, nec in augmento, tamen in vltima periodo ea abſolute applicata volunt, ſub qua tamen omnibus conſentientibus corruptio humorum in ſummo gradu adeſt. Summi Medici, *Sydenham*, *Heucher*, *Monro*, et alii ea adeo diſſuadent in hydrope; cur quaeſo? Ob nullam aliam rationem; quam quod ſtagnantes in tunica celluloſa humores ſenſim diſpoſitionem ad putredinem acquirant, cantharides autem ipſam promoueant, et gangraenam, quae ſponte toties euenit, citius aduocent. Quaerere ergo mihi liceat, quomodo in malignis febribus, in quibus longe lateque in humorum oceano putredo dominatur, cum fructu in vſum vocari queant? cum experientia teſtetur, quod toties peſſimae indolis et diuturna ac, ſi aeger aegre eluctetur, difficulter ſanabilia vlcera poſt ſe relinquant. Dedit iam operam MERCVRIALIS [g]) vt iuſtam hanc obiectionem, contra vſum eorum eapropter motam declinaret, rei veri-

g) *Med. Pract. Tr. de febribus c. 17. de febribus malignis p. 648.*

veritatem non negare valens. Aſſerit tantum, quod hoc non ſemper fiat, et non raro tamen etiam mali moris et putrida talia vlcera multum boni poſt ſe trahere, quia natura hac via ſordes noxias ex corpore expellat. Adeo blandam autem et lenem exculpationem Veſicantium haud ſuſcipit MORTONVS [h]) ſed potius faciem harum rerum ſatis ingratam pingit. *Magnum hoc remedium*, inquit, *perperam a Vulgo in quibuscunque febribus indiſcriminatim adhibetur. Neque enim in quacunqve febre praeter ſynocham malignam, aut quae huc tendit, vbi plus a veneno quam ab incendio aegrotans in diſcrimine verſatur, reapſe indicantur. Neque in malignis ipſis ad medici arbitrium, abſque euidente neceſſitate, fas eſt aegrum imbellem ac confectum, denuo iterum iterumque epiſpaſticorum tortura lancinari, haud raro enim exinde in artubus vlcera maligna et curatu admodum difficilia, et ipſae Gangraenae, praeſertim in ſenioribus oriuntur, vnde miſellus aegrotans a Medico manumiſſus, in Chirurgorum ditionem redigitur. Quod gloriam Victoriae arte medicinali prius partae, haud parum obſcurat.*

h) *Operum Tom. I. Exercit. II. c. 7. pag. 187.*

Dirum hoc torquentis medelae genus, ſibi ipſi impoſuit Vir Doctiſſimus *Fridericus Caſimir* MEDICVS [i]), febre maligna epidemica poſtquam aliis multis medicinam fecerat prehenſus, cum actum eſſe de ſe, nilque ſupereſſe amplius crederet, quam duo veſicatoria ſuris apponenda. Febre vt ipſe vocat, vehemente, calida, biliosa, ſtatim cum delirio adoriente, corripiebatur. Venam ſectam ſequebatur vomitus ſpontaneus vehemens, nihilominus ſubſequente die ſumebatur emeticum, et inter alia remedia illud adhuc binis vicibus. Morbus tamen non minuebatur ob bilem, quae in maſſam ſanguinis tranſierat. Quinto die accedebat pleuritis, hirudinibus applicatis lateri, ſuperata. Verum morbus princeps vehementer perdurabat. Paruo interuallo Aegro rationis vſum indulgente, is de magnitu-

i) *vid. Beobachtung aus der Arzneywiſſenſchaft Part. I, p. 193. ſeq.*

gnitudine mali cogitans ſexta die veſperi ſuris duo veſicatoria applicari faciebat. Cum die ſeptima mane operata eſſent, ſenſit ſe morti elapſum, cum praeter incredibilem debilitatem nil ipſum affligeret, quam clamoſa tuſſis, cum expectoratione, quae ob perpetua deliria non mitigata fuerat, nunc vero ſenſim ceſſabat. Sed rabies omnis morbi in pedes ſe praecipitaverat. Incredibilis copia impuritatum per vlcera effluebat, tantis doloribus comitibus, vt vltra tres hebdomadas pedes extendere, multoque minus incedere nequiret. Euidentem inde reddi vſum Veſicantium ſcribit, ſine quibus intra 24. vel 30. horas grauiſſimi morbi victima redditus fuiſſet. Gratulari debebant omnes boni Egregio Viro, Reipublicae medicae commodis ſeruato, et non a graui morbo ſaltem, ſed et a peſſimis et moleſtiſſimis ſequelis liberato. Felicior ſaltem erat illo aegro febre maligna decumbente, quem magnus Veſicantium Patronus PRINGLIVS [k]) ab eiusmodi emplaſtro gangraenam inducente, mortuum recenſet. Felicior illis, quibus in conſtitutione epidemica febris putridae, quam deſcribit Cl. QVARIN [l]), plurima loca, quibus Veſicantia applicabantur, gangraena affecta ſunt, largum vſum corticis externum et internum poſcente. An vero haec vna methodus erat, qua ſanabilis morbus Cl. Medici ſanari potuit? an nulla dabatur alia, ſi non citior, tamen tuta magis et iucunda? Pulſus ob febrem calidam, vehementem, bilioſam durante toto morbi tempore ſine dubio velox et fortis obſeruatus eſt, delirium leuius, grauius, ſemper adfuiſſe ex hiſtoria clarum eſt. Remedia coetera praeter VSeni et emetica tria non referuntur. Licitum mihi ſit pace Viri, quem magni facio, vt meretur, monere, poſt Venaeſectionem et primum emeticum, forte ſecundo et tertio bilem magis irritatam et commotam, ſanguinemque, aucto adhuc pulſu febrili et calore, magis ad caput propulſum fuiſſe. Forte Tamarindi, cremoriſque tartari largae doſes, cum aliis acidis et ſaponaceis, decoctum hordei cum oxymelle et nitro, quod

k) *von Feldkrankheiten, III Theil, cap. 7. p. 301.*

l) *de curandis febribus et inflammationibus c. IV. p. 68.*

quod ſolum HAENIVS [m]) in omnibus acutis emeticis merito praefert, atque clyſmata blanda ſordes bilioſas eluiſſent, mouiſſent aluumque blande et commode ſollicitando eas recta via eduxiſſent, (quod per diarrhoeam criticam toties in morbis malignis fieri conſueuit) quae deinde per veſicantia ad pedes allectae, cauſticoque ſale cantharidum exacerbatae, et maligniores redditae, ſummo cum dolore per vlcera, effluxerunt. Nondum certe me mouet Vir Clariſſimus, quando aegre ſe ferre dicit, quod ob abuſum veſicantium, ea a recentioribus quibusdam Medicis parui habeantur et ſpernantur. Prudentiores ea nunquam abiicient ex ſupellectile medica, ſed caute ſaltem cum illis agendum eſſe inculcabunt, Laudat Cl. *Medicus* ea, quod ſpaſmos et inflammationes minuant, non capio, ſincerus ſcribo, quomodo hoc ipſum a remedio ſumme irritante omnes neruos, et inflammante vi praedito, expectari queat. Laudat, quod acres ſordes a bile in ſanguinem delatas, et per calorem enatas, certo et ſufficienter euacuent. Quam parca eſt ſeri portio, animaduertente *Freindio* et *Mortono,* quae veſicatoriis educitur? niſi forte caſu tota moles eius in locum irritatum et inflammatum ruat. Credit Vir Clariſſimus, quoniam poſt Veſicantia applicata, omnibus aegris eius, profunda vlcera teterrimum foetorem ſpargentia naſcebantur, liquido patere, quam male cum ipſis actum fuiſſet, ſi ſordes illae intus remanſiſſent, et ad cutem deponi debuiſſent. Verum eſt, teſte BAGLIVO [n]), vlcera a veſicantibus excitata, quandoque in peius ruere vitio vel materiae morboſae, vel mali habitus corporis, atque tunc ſenſim areſcunt cum colore ſubnigro aut liueſcente, et quaſi gangraenam minantur. Conſiderandum autem crediderim, vlcerum prauitatem bonam partem debitam fuiſſe cantharidum cauſtico et putrefacienti ſali, ſordes ipſas maiori, quam habebant, corruptela inficienti, ſine qua hanc faciem non exhibuiſſent, earumque excluſionem multo facilius et ſine moleſtia per vrinam et per aluum potuiſſe ſuccede-

m) *rat. med. I. c. I.*

n) *diſſ. Cap. III. §. 2.*

cedere, ſi demulcentia, acre bilioſum corrigentia, et ad has vias ducentia remedia fuiſſent vſurpata, cutis enim ſordium harum proprium organum excretorium non eſt, vt in ſequentibus apparebit. Ne ſciolus et carpendi libidine ductus haec omnia protuliſſe videar, Lectoribus aequis libertatem relinquo lubens, an de curatione febris acutae bilioſae paulo aliter ſentienti mihi aſſentiri, an Cl. *Medici* methodum probare voluerint. Sufficit mihi adiectus Celeb. TISSOTI calculus, *in hiſtoria epidemiae bilioſae lauſannenſis* [o]). Excerpo ex ea, paucis ipſiſſima Autoris verba mihi fauentia. Hic poſtquam in ſtatu primo et ſecundo febris euacuantia, diluentia, acida ſaponacea exhibuerat, in ſtatu tertio et morbi cauſam et ſymptoma vrgens delirium aggreſſurus, quod a vi febris, ab humore acri bilioſo, et a conſenſu neruorum deducebat, *Hippocratem* ſecutus, delirio bilioſo aluum mouentia ac mel, acetum et aquam deſtinantem, hoc ſymptoma irritatione partium inferiorum oppugnandum credidit. More recepto abreptus emplaſtra veſicatoria primo ſuaſit, quorum effectus voto non reſpondebat, hinc motus auctoritate magnorum Practicorum quos citat, qui ea in eiusmodi morbis peſſime ceſſiſſe annotauerant, illa reiecit, et ad ſinapiſmos confugit. Hi, vt ipſe loquitur, nec minori vi quam veſicantia, irritabant, nec eadem damna inducebant, ac cantharides, quarum tenuiſſima alcalina pars reſorpta et ſanguini mixta illius putredinem iuuat, ſicque morbos putridos peiores reddit, dum e contra partes acidae ſinapiſmi, continuo bibulis inſpiratae venulis, vim putridi humores inficientis indeſinenter caſtrant. Euentus hanc theoriam confirmauit, ſymptomata cum delirio remiſerunt, allecto quandoque etiam in exulcerata a Veſicatorio loca copioſius ſero, aluina medicamenta pleniorem ſortita ſunt effectum, aegrorum multi reſtituti.

o) *pag. 60. 61. 62. 63.*

§. XLI.

Cel. Aepli mihi factis obiectionibus respondetur.

Sine dubio omnia haec phoenomena euidentia, inſenſus incurrentia, omnes illas aduerſitates, quas Veſicantia patrant, de quibus an ita ſe habeant, an minus dubitari nequit, non ſatis ponderauit Cl. AEPLI, aliter enim de innocentia ac ſecuritate applicationis, et de tranquillitate applicantis ea conuictione qua inſtructus ſibi videtur, verba facere haud potuiſſet. Dilui in antecedentibus eius argumenta ſufficienter, quae de impoſſibilitate inſinuationis ſalis acris ex veſicatorio exſoluti in humorum maſſam, aut eius ſumme exili quantitate, quae eam intrare poſſit, multis coloribus protulit. Verum mihi contra cantharides in malignis febribus diſputanti opponit integrum catalogum Virorum fama nominis et praxi celebrium atque ex his auctoritatibus erectum quaſi murum aheneum exſtruit, imbecillia mea tela facile auerſurum, excuſſurum, et retorſurum.

In vltima Epedemia inquit, *qua febris putrida per totam fere Germaniam graſſata eſt, plurimi Medicorum non tantum innocentiam, ſed et bonos effectus horum emplaſtrorum teſtati ſunt, Buchholz, Mayer, Brünig, Fauke, Zollner, Winckler, Schleiſs, Harder, Petzold, qui inſuper aſſerit, quod nunquam malas illas ſequelas obſeruauerit, quas neoterici quidam Medici obſeruauiſſe volunt* [a]).

Quid ego contra tot auctoritates et experientias regeram? Quomodo tot armatis contra me Viris reſiſtam? An vero illi, qui pro me militant, non minus in palaeſtra practica fortes et exercitati, non attendendi erunt? Eſto, amatores et propugnatores veſicantium numeroſiores eſſe illis, qui meas partes tuentur. Durius forte ſonarent verba vbique nota, Multitudinem errantium errori non parere veniam. Plures ſemper fuerunt haereſibus et ſectis, quam verae et ſimplici religioni addicti. Denuo prouoco ad effatum Cl. TISSOT [b]), qui occaſione Opii toties male in praxi applicati aſſerere non veritus eſt,

a) *Prüfung der ſpaniſchen Fliege im bösartigen Fieber p. 27. No. 9.*

b) *de Epilepſia edit. germ. in notis p. 285.*

eſt, Magnum eheu Volumen de nociuis magnorum Virorum erroribus facile conſcribi poſſe. Praeſtantiſſimi in arte Viri, quorum omnium meritis et honoribus humanus et humilis parco, egerunt bona fide, et optima intentione ſecundum longe lateque valentem methodum. Si haec non communis fere eſſet, non vbique fere recepta, non opus erat, vt, non minus tamen ſuffragiis ſummorum Virorum inſtructus et munitus, populari hypotheſi me opponere auderem. Quam difficile ſit per longum temporis ſpatium propagatas, longe lateque dominantes et inueteratas opiniones et hypotheſes, atque ciuitate donata altiusque radicata praeiudicia abrogandi et annihilandi, prudentiores omnes norunt. Tandem aliquando tamen bona cauſa triumphat, opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. Tandem tamen radii Veritatis nubes illuſionum et errorum diſpellunt. An innumeris Medicis, qui ante *Sydenhamum* calida methodo et calido regimine calidiſſimas febres aggrediebantur, et vincere moliebantur, ignem igni adiicientes, denegari poteſt, quod bona fide et optima voluntate et propenſione rebus aegrorum conſulere laboraverint, et in votis habuerint? Sane non omnes his artibus occiſi ſunt, aliter certe tertia vel dimidia pars generis humani periiſſet; an vero proinde euinci poteſt, ſales volatiles Syluianos, tincturas bezoardicas Wedelianas, eſſentias alexipharmacas Stahlianas, multorum calida theriacalia ſpirituoſiſſima cardiaca, vera eſſe adaequata, et vtilia febrium acutarum remedia? Dantur ſemper aegri, qui ab inconueniente apparatu remediorum, medica manu per dei ſpecialem gratiam trucidari nequevnt. Quando in putridis febribus quidam decumbentium inter alios, qui cum ſuis veſicantibus tumulis illati ſunt, his emplaſtris hinc inde obtecti euaſerunt, an Vires Naturae medicatricis haud commemorandae veniunt, quae morbo et Medico non raro ita fortiter reluctantur, vt illius nequitiam, et huius errores vincant, an alia remedia conuenientia minus indicatis

praepollentia obliuioni danda? Vtinam nulli darentur Medici, nimis interdum officioſi, qui ſine indagatione, quid velint ſuis remediis, quid illa in corpore mutatura et effectura ſint, receptam ſuam methodum ſeruant, non cogitantes, an tuta ſit, an bona, an detur melior, certior, rationi conuenientior, qui multa faciunt, ſaepe non multum, et extincto aegro placido vultu et immoto corde, ſe omnia egiſſe quae agenda erant, gloriantur, atque inſuperabilem moriendi neceſſitatem inſanabilem morbo ſub ingreſſu ſuo iam attuliſſe praetendunt. Sed nimis extra oleas his meis animaduerſionibus vagari forte aliquibus videor, redeam igitur in viam per quam mihi adhuc incedendum eſt. Nouum et ſat formidabile agmen contra me inſurgens duce amiciſſimo meo hoſte Cl. *Aepli* video.

Plurimi, inquit, *Medici et Optimi vnanimiter conſentiunt circa neceſſarium et vtilem vſum Veſicatorii, in vltima periodo febris malignae: Galenus, Mercurialis, Gerhardus, Columba, Bartholinus, Borellus, Waldſchmidius, Mortonus, Ettmüllerus, Riuerius, Huxham, Pringle, Chenot, Fordice, Quarin, Baldinger, Haſenoehrl* et beate defunctus *Schoederus, Sacrone* [c]).

c) *p.* 10.

Veneror ego ſincerus tot illuſtria, antiquiora et recentiora nomina. Licitum tamen mihi erit annotare, non paucos celeberrimorum horum Virorum, ex antiquioribus ad minimum, in erronea hac opinione fuiſſe, Veſicantia venenum ex corpore trahere, et ex hoc fundamento ea applicauiſſe. Hanc methodum galenicam iure meritoque, ac grauibus argumentis redarguit BAGLIVVS [d]), vt in antecedentibus monui, addens ſe praua ſymptomata, conulſiones, deliria maiora, febris maximum incrementum, et tandem mortem, ob diſſolutam ſcilicet magis magisque ſanguinis maſſam, a cauſtico cantharidum ſale, et ab acri febris materia, inde obſeruaſſe. Quare denuo falſam opinionem medentum damnat, ac ſi veſicantia haberent vim extrahendi venenum febrium malignarum. MERCVRIALIS

d) *Operum pag.* 653.

RIS [e]) in hoc argumento totus Galenicus eſt, namque fructum veſicantium in febribus malignis extollens, perpetuo loquitur de extractione veneni, nempe eximiae et prauae putredinis intus dominantis ab interioribus ad exteriora. Ignorabat bonus Vir aliquam cauſam putredinis ex cantharidibus applicatis ſerpere etiam verſus interiora; taceo alia eius argumenta, quae adducit, quibus aliorum obiectionibus ea non approbantibus, occurrere laborat. *Gerhardus Columba*, quantum noui, praecipue in retroceſſione exanthematum veſicantibus vſus eſt, naturam expulſioni inſufficientem futuram ratus, non tamen ab opinione de veneno extrahendo immunis. Si BARTHOLINVS allegatus a Cl. *Aepli* ſine citatione loci, alicubi in malignis febribus commendauit veſicatoria, debebat meminiſſe prauorum effectuum, quos ipſe conſignauit [f]). Neque etiam BORELLVS obliuiſci debuit, quod peculiari obſeruatione conſilium dederit, potius pro ſcopo veſicante ranunculum et thapſiam, quam venenatas cantharides, adhiberi debere [g]). WALDSCHMIDIVS ea laudat [h]) noui, ſed in caſu neceſſitatis ſummo tantum, quando motus ſolidorum et fluidorum deficit, motus arteriarum languet, et vis naturae quaſi fracta. Indulgendum hoc ipſi tanto magis, quia optima excitantia interna egregium Virum adhuc latuerunt. De *Riuerio* qui ad Galenum prouocat, in antecedentibus dixi, quod vnum veſicatorium ipſi non ſuffecerit, ſed quinque voluerit, vbi maxima adeſt malignitas, totum corpus occupans, quia illa potenter prauos et venenatos ichores attrahant, et reuellant, in ceruice, duobus brachiis et duobus femoribus contra magnam morbi ſaeuitiam. Credo ego ſat ſaeuiter. Fere praedici poteſt, ex eiusmodi carnificina easdem miſerias aegro expectandas eſſe, quas a 5. veſicatoriis tolerare debuit Foemina apud *Haenium*, nempe ad ſtylum *Huxhami*, tormenta ipſo morbo peiora. Ipſe etiam RIVERIVS, qua erat prudentia, illa praeuidit, namque ſincerum conſilium addidit, quia canthari-

e) *Med. pract. p.* 648.

f) *Cent. V. hiſt.* 21. *et* 82.

g) *Cent. II. obſ.* 58.

h) *Miſc. N. C. dec. I. Anno II. obſ.* 214.

tharides ſpecifica vi veſicam infeſtant, ſtatim emulſiones contra ſtranguriam metuendam adhibendas eſſe [i]) SENNERTVS [k]) noſter ſibi non minus perſuadet, quod Veſicatoria venenum ex internis partibus eliciant, maxime autem quod id a capite ad ignobiliores partes determinent, quemadmodum et ETTMVLLERVS [l]). Verum quod iterum noto, contra magnum hoc praeiudicium et falſiſſimos conceptus, iure MORTONVS [m]) monuit, quod emplaſtra haec eapropter iuuamen adferre nequeant, quia illa humiditas, quam extrahunt, non magis morboſa et venenoſa eſt, quam vrina et omne illud ſerum, quod per ſudorem, tranſpirationem excernitur. Non omnes equidem Autores celebres, quos adduxit Cl. *Aepli*, quod omnino dari debet, illam extractionem veneni per veſicantia ſomniarunt, ſed tantum reuulſionem a capite, et pulſus debilitatem excitandam, ſcopum praefixum habuerunt, quod omnino laudabile eſt, ſed pace omnium dixerim, pauciores horum cogitarunt, an vis cantharidum ad interiora penetret, et ſi hoc fiat, quales mutationes totius corporis ſolidis et fluidis inferat. Qui toti maſſae diatheſin inflammatoriam et corruptelam impertiri ſciuit MORTONVS [n]), vt antea iam notaui, veſicatoria non admittit, niſi vbi natura veneno victas manus datura eſt, et cum reſpiratione ſuſpirioſa pulſuque tremulo diriſſima adſunt generis neruoſi ſymptomata. Nunquam etiam ea permittit HVXHAM [o]) niſi quando ſolida torpent, et circulatio langueſcit, in declinatione febris putridae. Non opus eſt vt repetam quod antea fuſe commonſtraui, Cel. *Pringle*, licet in vltima periodo collaudet et probet veſicatoria, tamen non obſcure ſinapiſmos ipſis praetuliſſe. Non bene conſuluit rebus ſuis Cl. *Aepli*, quod in Catalogo magnorum Virorum in malignis pro vſu Veſicantium militantium, prouocare oblitus ſit ad Virum ſummum Ill. L. B. de STOERCK. Non negari poteſt, quod is frequentem locum in curatione harum febrium iis fecerit, atque actu ea ſaepius applicauerit

i) *Operum p. 455.*

k) *de curatione febrium peſtil. et malign. Tractatu de febribus p. 473. 474. et 504.*

l) *cap. de febribus malignis et peſte.*

m) *Exercit. II. c. 7. p. 176.*

n) *Tom. II. Operum Exercit. I. de febribus p. 39. 40.*

o) *Operum II. p. 115.*

rit[p]) quam ipſe *Pringle*, licet vtplurimum id ſaltem factum ſit pulſu valde debili exiſtente, et in aegris alto ſomno ſopitis. Cl. HASENÖHRL, de curatione febris catarrhalis malignae agens, vt aegrorum viribus proiectis conſuleret, mixturam camphoratam ſaepe ſummo cum emolumento a ſe praeſcriptam fuiſſe recenſet. *Quibus debilitas* inquit, *iactationes aſſiduae, tendinum ſubſultus vix non extrema minitabantur, hoc remedium ſaepenumero optatam ſalutem attulit.* Quoties hoc feliciter factum eſt, non opus erat ſine dubio aliis remediis, addit tamen: *Neque vltimum locum merentur ſinapiſmi aut Veſicantia, quatenus materiam a cerebro deriuant, deliria compeſcunt, robur virium reſtaurant, pulſum oppreſſum excitant.* Nullam hic praerogatiuam decernit Veſicantibus prae ſinapiſmis incertosque lectores relinquit, aut optionem pro his aut illis. Laudat deinde in febribus malignis petechialibus Corticem peruuianum, duoſque aegros deſperate decumbentes ſiſtit, quorum vnus eius liberali vſu ſine Veſicantibus, alter cum his, inſignem tamen mutationem in melius non adferentibus, manifeſte corticis beneficio ſanatus eſt [q]). Egregius Medicus *Matthaeus* COLLIN, ſi vllus alius, mirum quantum patrocinatur Veſicantibus, eximiaque illis elogia ſcribit, ſed *Huxhamum* ſequens nunquam ea applicanda vult [r]), quam viribus penitus proſtratis, pulſu debiliſſimo vix percipiendo, animi deliquiis frequentibus, et extremitatibus frigidis, camphoraeque vſum ſimul valde extollit. Non attentus fuit Vir optimus, ad cantharidum mutationem, quam toti maſſae humorum inferunt, licet alio fine, ne ſcilicet vias vrinarias laedant, potus multos demulcentes aſſumendos ſuadeat.

Magna exiſtimatione proſequor Doctiſſimum Fratrem eius, Celeberrimum Virum, *Henricum Ioſephum* COLLIN. Dudum ſciui, illum valde deditum eſſe in Praxi Veſicantibus, denuo tamen euolui eius *Annum medicum tertium* atque ſollicite inquiſiui modum et tempus, quo ipſis vti ſolet. Vidi

p) *vide eius Annum medicum I. et II. in quibus tamen paſſim fatetur, quod nullos fructus ediderint.*

q) *Vide eius hiſtoriam trium morborum pag. 78. ſeq.*

r) *de Miliaribus p. 74 ſeq.*

omnes caſus attente conſiderans, ipſum ea nunquam applicauiſſe in principio, ſed magis verſus finem febrium; nunquam, niſi pulſu exiſtente debili et debiliſſimo, reſpiratione anxia et difficili atque praeterea praeſente ſopore, neque aliud a tanto Practico expectaueram. Quanquam autem, in magno aegrorum numero in vno Noſocomio decumbentium factis obſeruationibus, et adhibitis ab expertiſſimo Medico methodis multum omnio tribui debeat, pace tamen rogata dixerim, omnibus hiſtoriis perlectis, mihi nondum natam eſſe maiorem fiduciam in Veſicantia, quam antea habueram.

Puellae 16. annorum acria epiſpaſtica pedibus applicata nullum leuamen attulerunt, cum petechiis liuentibus deinde mortuae [s]).

Alia foemina cum 4. Veſicantibus in ſuris et brachiis et vno in ceruice, cum milio, conuulſa fatis ceſſit [t]).

Alius aeger cum quatuor Veſicantibus, vno ad ceruicem, duobus ad brachia, et vno circa totum collum, periit [u]).

Sed an proinde ſummum aliquod remedium vituperandum aut parui faciendum, quando non ſemper iuuat? Minime! At vero, raro aut nunquam euidenter ab ipſis Veſicantibus, ſub eorum actione et operatione, aut ſtatim poſt illam, melior rerum facies apparuit, ſed demum ſalus impetrata, quando per plures dies poſtea adhibita fuerant alia remedia, quorum praecipua erant cortex peruuianus, camphora, ſpiritus acidus ſulphuris per campanam; aut quando exanthemata interdum cum euphoria prodierunt. Manifeſtum etiam et conſtans, quando aegri ſeruati ſunt, alicuius grauioris ſymptomatis leuamen, quod Veſicantibus tribui poſſet, vix inuenio. Poſt quatuor Veſicantia, nec pulſus nec reſpiratio emendabantur, deliriumque increſcebat cum integra virium proſtratione et ſopore [x]).

Aegro miliaribus albis diſparentibus, virium debilitate laboranti, lingua nigra ſordida, pulſu celeri debilique exiſtente,

s) *pag. 5. 6.*

t) *p. 6. 7.*

u) *p. 35.*

x) *pag. 6. 7.*

te, increſcentibus his ſymptomatibus, et miliaribus petechiisque copioſiſſimis iterum proſtantibus, duo Veſicantia ſuris applicata ſunt, die ſexto, manſit res in eodem ſtatu, ad vndecimum, reſpiratio facta anheloſa, facies ruberrima et delirium increuit. Duo Veſicantia denuo applicata, tum reſpiratio iterum anheloſa, pulſus celerior cum delirio maiore, omnia paucis ſymptomata magis intenſa. Iterum duo Veſicatoria applicata. Datum emulſum camphoratum et claretum cum ſpiritu ſulphuris per campanam, quibus ſine dubio ſalutem ſuam debuit die 23. ſeruatus aeger [y]). y) p. 60. 61. 62.

An aegrae liueſcente facie, oculis turbidis et triſtibus Veſicatoria tria, ruentibus omnibus in peius, emulſum camphoratum cum potu copioſo magis deinde ſalutare fuerit, quam illa, in medio relinquo [z]). z) p. 20. 21.

Aegro 14. die ob pulſum malum et vires valde collapſas datum extractum chinae, applicata ſuris 2. Veſicantia, die 15. licet haec bene operata eſſent, pulſu eleuato, ingens debilitas. Datum emulſum camphoratum cum interpoſito cortice. Bina alia Veſicantia brachiis admota. Die 16. pulſus paulo maior, anxietas, reſpiratio cita, delirium lachrymabundum. Exhibitum claretum, cortex et camphora. Euaſit aeger 34. die, an non manifeſte ab his remediis, neutiquam a Veſicantibus [a])? a) p. 45. 46. 47.

In 6. aegris calor magnus, pulſus debilis, lingua nigra arida, ſitis magna, cutis ſicca, aluus foetentiſſima. Suris et nuchae applicata Veſicantia; ſequenti die, quibus ſopor minor, ſumſerunt camphoram et corticem. Quartus inter ronchos die 12. mortuus, bini manſerunt in eodem ſtatu. Illis, qui de anxietate conquerebantur, duo veſicantia admouebantur brachiis. Luctabantur 13. die cum prioribus ſymptomatibus, bini adhuc magis ſoporoſi, iterum brachiis duo Veſicantia applicata. Variis aliis deinde per multos dies adhibitis ſalus [b]). b) p. 52. ſeq.

Inueni die 22. morbi, diſparente milio, reſpiratione breviore cum pectoris oppreſſione et pulſu valde celeri, data mix-

 tura

tura camphorata, et emulſio, die 26. pulſus erat debilior, ſymptomata eadem, ſuris 2. Veſicantia applicata. Verum licet optime operata fuerint, nil iuuerunt, die 28. ſummus ſopor, pulſus valde debilis; datus cortex, et conſerua cum ſtibio diaph. et kerm. min. adhuc tria Veſicantia admota, a ſudore nullum ſymptomatum leuamen; ſequenti die aluus iniuſſa et haec omnia aucta, cum ſumma virium proſtratione, datus cortex et emulſum camph. cum bolo armena et bina Veſicantia denuo admota, die 32. milia confertiſſima, quibus omnia ſymptomata fugata pauco horarum ſpatio[c]).

c) p. 15. 86.

Nemo mihi obiiciat, me mutilatas hiſtorias exhibere, concentratas credo propriis Autoris verbis, mihi quippe ſaltem intereſt noſſe, ſub quibus circumſtantiis Veſicantia admota fuerint, an melior ſtatus aegri, citiusque in ſanitatem vergens, ab eorum operatione obtentus, quem vix animaduerti, cum actione eorum finita et exſpirante, poſt plures demum dies remediorum vtique ſummorum ope, ſanitas reſtituta ſit. An tot Veſicantia largiter ſal ſuum acre humoribus inſinuauerint, an eos ad putredinem diſpoſitos magis corruperint, an proſperos, an ſiniſtros effectus producere debuerint, an optima quae cognoſcuntur antiſeptica, ſeptico veneno et ſeptico morbo ſimul reſiſtere debuerint, an eapropter reſtitutionem aegrorum difficiliorem et tardiorem reddiderint, an, vbi excitandum et reuellendum erat, ſinapiſmi conuenientiores fuiſſent, inquirere nolo. Gratulor mihi mecum prorſus facere Ill. Virum *Ioſephum* QVARIN[d]), fruſtra ab Cl. *Aepli* allegatum. Hic nempe dum febrem putridam pertractat, *Deliria accedentia*, inquit, *facies rubra, oculi feroces, ſinapiſmos plantis pedum applicandos, Veſicatoriis longe anteponendos, poſtulant. Valcarenghi notat, quod a Veſicantibus putredo augeatur, et van Swieten docet, ea non conuenire, vbi humores diſſoluti acres et in putredinem vergunt.* Felicius equidem ea in vſum vocari dicit in aegris ſoporoſis cum pulſu debili etc.

d) *de curandis febribus et inflammationibus* Cap. IV.

quan-

quando malum magis in neruis quam in maſſa ſanguinea haeret, ſed et tum repetitis vicibus ea potius admoueri vult, quam aut nimis diu relinquere, aut cantharidum copia nimis acria reddere, vt dolores, ſtranguriae et peſſimae exulcerationes euitentur. Quomodo aegri Cl. *Collin* haec mala euitauerint, ingenue ignoro. Incidit forte adhuc in manus meas locus Cl. SCHROEDERI [e]) vbi declarat, rem eſſe periculoſiſſimam, quando ſtatus inflammatorius febri putridae complicatur, cum inflammatio ſaepe remedia poſtulet, a putredine contraindicata, vt Venaeſectiones etc., et putredo medicamenta requirat, quae inflammatio non admittit, vt corticem peruuianum et cardiaca. Certum eſt, et inflammationis et putredinis intuitu procul eſſe debere Veſicantia, cum vtramque intendant. Rectiſſime Vir Clariſſimus ad vtramque potum limonade, acetum aqua dilutum, lac ebutyratum ſeparata pinguedine commendat. Nolo omnium reliquorum Autorum euolutioni vlterius, ne nimis longus ſim, immorari. Abſonum foret, et omni verecundiae aduerſaretur, ſi aliquis horum omnium conſiliis abſolute refragari auderet. Repugnaret rationi et regulis chriſtianiſmi, qui ante lectum aegri, rebus conclamatis et remediis optimis fruſtra exhibitis, ad extrema non vellet confugere. Grata mente veneratur Ill. QVARIN [f]) auxilium ab Ill. *Störckio* ſibi praeſtitum, quo febre putrida laborans ex mortis faucibus, cum a leui camphorae doſi ſumpta, ſemper conuelleretur, cadente nempe vſu eximii huius remedii, cortice, Veſicantibus, ſerpentaria etc. ereptus ſit. Quis determinabit, an cortici et aliis, an Veſicantibus, an his magis quam illis, ſalus Eximii Viri adſcribi debeat? Quicquid ſit, in eiusmodi ſtringente et vrgente ſumma neceſſitate, aurea *Celſi* regula obſeruanda, in deſperatis caſibus praeſtare adhibere remedium anceps, quam nullum, addo ego potentius, quam imbecillius, cum hoc inſtans fatum non auertere queat, ab illo bona forte fortuna auertendum. At in his adulta experientia, ratione manudu-

e) *Opuſc. med. Tom. II. p. 180.*

f) *de curandis febribus et inflammationib. cap. IV. p. 71.*

cta requiritur. Qui faciles et ſine deliberatione, ſineque iudicio ad applicationem feſtinant Semi-Medici et ſimplices Medicinae Practici, habent omnino, vt arrectis auribus auſcultent ſeueris monitis MORTONI [ff]): *Vehementer oro et obteſtor,* inquit, *omnes artem medicam exercentes, ne in hoc articulo morbi, abſque vrgente neceſſitate proprii lucri vel famae cauſa quicquam moueant vel quidem tentent, imo quoties neceſſarium videatur, vel fraeno vel calcaribus vti, vt cum ſumma cautela et parca manu id faciant. Satius enim eſt aegros a morbo, quam a Medico trucidari.* In ſe ſpectata Veſicatoria, licet omnino ſtimulo ſuo vim vitae excitent, tamen ob vim, qua, praecipue magno numero, et diu appoſita, humoribus diatheſin putridam inducunt, quam vel ex deficiente attentione ad hoc arduum ſane momentum, vel ex nimio affectu negaviſſe, et exploſiſſe vanum et fruſtraneum eſt, manent et erunt ſemper febribus putridis ſanandis minus adaequata remedia. Liceat mihi, dum forte nimis durus et pertinax, in admittenda veſicantium ſecura efficacia, Lectoribus multis videbor, atque iniurius in quorundam praeſtantiſſimorum Medicorum merita, verba illa iis, mutato remedii nomine, applicare, quibus Ill. TISSOT, poſtquam Opium, licet id a numero pluribus celeberrimis Viris in ſecunda Variolarum febre adeo magni habeatur, nihilominus non probauerat, ſed potius reiecerat, vſus eſt [g]): *Taxandi ergo omnes, ad vnum aut alterum forſan, Illuſtriſſimi Europae Medici, veri artis principes, qui vim febris putridae cantharidibus vincere conantur? Auertat DEVS! multi ſunt, quos nemo prae me veneratur, ſed tam pulchre perfecta eſt in omni alio puncto illorum methodus, vt ex vno remedio minus conſono, vix periculum eſſe poſſit. Tanta praeterea pollent ſapientia et experientia, vt iurare auſim, illos a cantharidibus, quas commendant, in multis caſibus cauere.* Certiſſimum eſt, inter earum Fautores, multos, ſi omnia exacte conſiderentur, quae in laudes ipſarum ſcripſerunt, vna manu

ff) *Exercit. I. p. 39.*

g) *Epiſt. med. pract. Lauſ. 1770. pag. 216.*

manu veſicatorium applicatum velle, altera retractum. Prorſus autem de iis tacet *Boerhaauius*, quando in curatione febrium de pulſu debili excitando verba facit. In tota tractatione *de febre continua putrida* prouocat tantum ad dogmata antea tradita. Nulla autem de veſicatoriis fit mentio, neque fieri potuit, per illas ideas, quas de earum natura et operandi modo mente tenebat, de quibus in antecedentibus toties dixi. Alta mente ego quidem eas repoſtas teneo, vt omnia monita a tanto Viro profecto, cum poſt eius obitum, nemo Medentum ad id culmen ſcientiae medicae ſeſe euexerit, quo illi adſcendere datum fuit.

§. XLII.

Cl. Forſten ſententia de vſu Veſicantium in malignis expenditur.

Operae omnino pretium eſt videre, quid recentiſſimus et claſſicus de cantharidibus ſcriptor, Cl. FORSTEN, de vſu earum in malignis febribus ſtatuat [a]). Vt mentem ſuam explicet accuratius, primo indicationes veras ſuppeditat, quas Medicus dogmaticus curaturus eiusmodi febres, ex earum indole formatas ante oculos habere debeat. Primo *degeneratio humorum praecauenda vel ſiſtenda, et corrupti apta via, per loca, quo maxime vergunt, ſecundum Hippocratem euacuandi.* Secundo *vires vitales depreſſae debitis remediis excitandae.* Nunc his ſtabilitis iudicat *Forſten*, ad primum nequaquam adhiberi poſſe veſicatoria, quoniam cantharidum ſal acre, cauſticum, ſolutum, et humoribus admiſtum, pro natura ſua diſſolutionem redderet maiorem, et eapropter morbum peiorem; ad ſecundum non quidem reiicienda videri veſicatoria vires excitantia, attamen ea hoc reſpectu noxia eſſe, quia putredinem potius intendant, quam ei reſiſtant, quare illis praeferenda remedia, quae non tantum excitant, ſed et ſimul putredini aduerſa ſunt. Addit ob has rationes nonnullis ea videri magis nociua quam proficua. Sane ſi veſicantia humores intactos relinquerent, et non magis corrumperent, ac ſaltem acri ſtimulo ſuo, his noxio, vires cordis et arteriarum augerent, ipſe ego euaderem magnus

a) *pag. 158. 159. ſeq.*

magnus illorum encomiaſtes. Talis hactenus certe non fuit *Forſten*, ſed quaſi omnium ſuorum dictorum oblitus, et contra torrentem nauigare non auſus immediate adiicit: *At ne quis peccet, precario nimis concludendo, notandum eſt, dari caſus, vbi in ipſiſſimo hoc morbo putrido, ſuadenda et applicanda ſunt veſicatoria, vbi ſuppreſſae ſunt vires eaque propter natura medicatrix impar eſt hanis moliminibus criticis* [b]). Diſertis verbis autem antea ſcripſerat *Forſten*, ſi hoc reſpectu iuuent, alio reſpectu nocere. Omnes Lectores attenti et nullo partium ſtudio ducti, animaduertere debent, ipſum ea modo reiicientem, modo admittentem, ſibi ipſi contradicere. Si non eodem tempore, quo pulſum excitant, liquida corrumperent, quod ipſe agnoſcit, locum haberent. Qui prius ab applicatione vult, poſterius ab ea inſeparabile abſolute permittere debet, tumque indicatione et contraindicatione, ſimul praeſentibus, vnum idemque remedium, et ſimul nocet, et ſimul prodeſt, ſicque effectus eius ſemper, ratione ſalutis aegri, erit ambiguus et incertus. Vult praeterea etiam ea adhiberi, quando aeger ſaeuiſſime delirat, vbi ſoporoſus valde eſt, vel alio modo actio ſenſorii communis turbatur [c]). Verum SYDENHAMVS [d]) iam notauit, in comate febrili veſicatoria non tantum nullo cum fructu, ſed ne quidem ſine maximo periculo vſurpari, et ante paucos annos Cl. LVND in ſcripto Holmiae impreſſo *de febribus putridis*, aſſeruit, ad deliria non fructuoſa fuiſſe veſicantia, ſed camphoram profuiſſe, et *Hombergii* ſal ſedatiuum. Nil impetrat Cl. FORSTEN, licet mire ſe torqueat, vt ob deliria et ſoporem harum febrium, veſicantibus locum eſſe commonſtret. Videor, inquit, mihi hic audire, qui *Baglivi* [e]) auctoritate ſuffulti huic ſententiae locum eius opponent, vbi dicit: *Delirantes, ab vſu veſicantium plures mortuos vidi, quam ſeruatos. Nolo hic obſeruatoris fidem in dubium vocare, aſt liceat mihi notare, primo, non addere Auctorem, quanam ex cauſa delirarint illi aegroti, quonam morbo detenti fuerint.*

Verum

b) *pag.* 159. *et* 162.

c) *p.* 159.

d) *p.* 660.

e) *diſſ. de vſu abuſu Veſicantium c. II. §. 4.*

Verum antecedente §o. de cauſa et morbo ſatis aperte locutus eſt *Baglius: In delirantibus* inquiens, *cum febre acuta, et lingua arida, dum applicabantur in Xenodochio veſicantia, celeriter omnes moriebantur, et magna ex parte conuulſi. Veſicantia interdum, ob inſignem quem excitant dolorem, delirium iam factum adaugent, imminens vero accelerant.* Credit Cl. FORSTEN [e]) quando vehementer delirat aeger, aut ſoporoſus eſt, ſi inferioribus corporis partibus applicentur veſicatoria, non poſſe non fieri, quin reuellendo humores hoc ſymptoma tollant, vel mitigent ſaepiſſime. Verum *Baglius* non in Muſeo, ſed in Noſocomiis, contrarium vidit ſaepiſſime. Scopus reuulſionis egregius eſt, huncque praefixum habent omnes Practici, quando iis delirio et ſopori mederi volunt, ſed non conſiderant, cuicunque loco applicetur veſicatorium, ipſos non prohibere poſſe, ne eius ſalia ſeſe humoribus inſinuent, et eorum putridam diſſolutionem iuuent, tantoque magis, ſi, vt moris eſt, tria quatuor ſimul applicentur Veſicantia. Norunt omnes boni Medici, vrgentibus ſymptomatibus, morbo ipſo ſaepe peioribus, reſiſtendum eſſe; attamen ſemper ita, vt morbo eiusque cauſae nullae ſuppetiae ferantur. *Lenienda ſunt ſymptomata febrilia*, inquit BOERHAAVIVS [f]) *remediis propriis, habita ſemper ratione cauſae, et morbi ipſius.* Quando ſumma conuictione certi reddi volumus, an delirio et comati, ſymptomatibus putridarum febrium, veſicantia conueniant, an non, (namque qui iis, a forti, magno et celerrimo pulſu pendentibus, cantharidibus mederi vult, aperte ſuam inſcitiam, circa eorum agendi modum, prodit) ſcire debemus accuratiſſime, a qua cauſa, et ſub quo ſtatu morbi illa ſint praeſentia. A nemine hoc ipſum plenius ediſcitur, quam a PRINGLIO [g]). Eximius hic Vir clariſſime demonſtrauit, quod per totum morbi decurſum, ſumma ſit ad putredinem diſpoſitio, quae ſemper, vel in veram gangraenam alicuius partis, et ſpeciatim inteſtinorum, vel in abſceſſum cerebri, qui ſaepe ichoro-

e) *p. 162.*

f) *aph. 620.*

g) *p. 284. ſeq. vbi ſectiones cadauerum habentur.*

ictoroſus eſt, terminatur, quique ſaepe ibi, talis inuentus, pro gangraena haberi debeat. Docuerunt triſtes has Veritates ſectiones cadauerum. Has nunc in oculos incurrentes cauſas mortis praecedunt, et comitantur ordinarie, ſopores, deliria, et conuulſiones. Dum haec mali ominis ſymptomata ingruunt et increſcunt, natales ſuos ſine controuerſia habent ab acrimonia putrida, in omnibus humoribus dominante. Haec (non loquar iam de aliis partibus, pulmone, inteſtinis etc. vbi rabiem ſuam exercet) fibrillulas tenerrimas et vaſcula cerebri irritando inflammationes, et corrodendo, exedendo ichoroſos abſceſſus, et veram gangraenam excludit. Iam vero quando res ita ſeſe habet, quaero omnes cordatos, veri ſtudioſos et iudicio pollentes Medicos, an ipſis credibile ſit, ſal acre cauſticum rodens, ſepticum cantharidum, quando maxime ex numero pluribus et iteratis Veſicantibus, humoribus inflammatis, acribus, rodentibus, putridis, admiſcetur, idoneum futurum, vt ab his imminentia, aut iam praeſentia comata et deliria, iisque iunctas cauſas mortis inhibeat, aut potius promoueat et iuuet. Vt partes veſicantium nihilominus tueretur Cl. *Forſten*, monet, *Baglium*, licet memoret multos delirantium ab iis mortuos, tamen etiam aſſerere, quod nonnulli, quibus applicata fuerint, euaſerint. Multoties certe diſſuadet BAGLIVVS veſicantia pro delirantibus, neque in tota diſſertatione locum inuenio, qui fauere ipſis queat, praeter hunc vnum [h]): *Veſicantia delirantibus hominibus admota damnum potius, quam vtilitatem afferebant, pluresque ex iis moriebantur, quam ſanabantur. Contra, mulieres delirantes adhibitis veſicantibus in melius procedebant, cum leuamine ſymptomatum morbi et ſalutis recuperatione.* Fateor ingenue, me omnibus animi mei neruis intentis hanc diſtinctionem non capere, cum eandem concipiam in maſculino et foemineo corpore oeconomiam, motuumque, quibus vitae ſanitas, morbus, mors, excluditur, leges easdem. Si in foemineo corpore maiorem irritabilita-

h) *cap. III. §. 2.*

bilitatem, et morbilitatem, ob delicatam magis neruoſae ſyntaxeos compagem, ſuppono, hoc haud indicata veſicatoria minus ferre poſſe ſine noxa, quam maſculinum, crediderim. Neſcio, an modo allegato loco *Bagliui* ſuperſtruat Cel. *Forſten*, quae deinde eloquitur: *Si conſtanter tam pernicioſos effectus ederent Veſicatoria, non video rationem, quare in vno homine nocerent, in altero eodem morbo detento, ſalutem adferrent, niſi recurratur ad idioſyncraſiam, neque tamen ſi in veſicatorio eiusque effectibus huius phoenomeni lateat, oppoſiti huius effectus rationem ſe non perſpicere fatetur.* Nulla ſane idioſyncraſia efficiet, vt id, quod *Forſten* cum GLASSIO [i]) affirmat, rationi non ſit prorſus contrarium, ſoluens ſanguinis validiſſimum adhibere, vbi is iam nimis ſolutus fuerit, et acrem ſanguinis labem acerrimo ſale intendere, quanquam cum eodem Autore nihilominus pulſum depreſſum veſicantia velle credat. Hi pernicioſi effectus ſanitati et vitae aduerſantes in omnibus, ſine exceptione aegris corporibus phyſica neceſſitate euenient, in vno magis, in altero minus, vnum eos ſuperabit natura et arte adiutum, alterum ſuccumbet. Mihi quidem illa obiectio pro honore veſicantium, quod nihilominus in hoc rerum ſtatu, aliqui poſt applicata ea feliciter emergant, adeo miſera et inualida videtur, vt nullam reſponſionem mereatur. Si nemo aegrorum cum ſanitate in gratiam rediret, quam is, qui ſecundum omnes regules artis accuratiſſime tractaretur, ſine dubio multa eorum pars fatis cederet. Habebantur aliquando Halae duae diſſertationes inaugurales, vno tempore, vna *de Medico in nobis*, altera *de Medico pro nobis.* Ille bonus Medicus in nobis, ſine quo nil poſſet Medicus pro nobis, huius erroribus et morbo toties per dei gratiam medetur. Iliacos intra muros peccatur, et extra, et committendo et omittendo. Pauci Practicorum ita ſemper ſuo officio defunguntur, vt non interdum mutuari teneantur verba a Regio Pſalte [k]): *Sed errores quis perſpiciet? ab occultis etiam expia me.* Nouit diuina Prouidentia per de-

i) *Comment. de febribus XII. pag.* 2II.

k) *Pſalm. XIX.* 13.

creta

creta ſua malum in bonum, ſiniſtrum in proſperum, etiam ſi ne miraculis conuertere. Nonne ſaepe vnum remedium ſua virtute naeuos alterius corrigit?

§. XLIII.

Autoris denuo Methodus medendi malignis febribus proponitur, cui egregie reſpondet methodus Cel. Straſk, inertiam et vanitatem veſicantium aperte monſtrans.

Vix crediderim, omnia quae hucusque de Veſicantibus, curationi febrium putridarum minus conuenientibus, expoſui, lampadem Muſei olere, et pro ſpeculationibus inanibus theoreticis habenda eſſe, cum ex ipſiſſimis practicis obſeruationibus praecipue deſumta ſint. His ergo meam medendi methodum, de qua in antecedentibus iam verba feci eiusmodi aegros tractandos nactus, ſemper accommodaui, ad libertatem alui procurandam quam maxime reſpiciens. Magni HOFFMANNI diſcipulo ignota eſſe nequibat eius diſſertatio diu ſcripta *de diarrhoea in febribus malignis, aliisque acutis ſalutari.* In ea ex celeberrimorum Virorum et propria experientia declarat Vir eximius, quod eiusmodi febres non ſolum per diarrhoeam criticam ſaepe ſoluantur, et terminentur, ſed et, quod a principio per totum decurſum morbi aluus tam per clyſmata, quam per laxantia, mannam, tamarindos, cremorem tartari, ſemper aperta ſeruanda ſit, ad impuritates inteſtinorum eliminandas, quo ipſo ſaepe cauſa omnium malorum eiiceretur. Hanc medendi rationem, aluum euacuantium ope, ſeſe felicibus effectibus commendauiſſe, per multorum annorum decurſum deinde didicit, quare illam publice etiam commendare non intermiſit [a]). Non minus eandem didiceram ab incomparabili HVXHAMO, qui repetitis obſeruationibus expertus eſt, moderatam diarrhoeam ſaepe valde vtilem eſſe, naturamque ſaepe hanc viam ſolam eligere videri, per quam morbi materiam eiiciat [b]). Nempe iure corruptae bili magnam culpam in hiſce morbis tribuit Vir eximius, atque quo magis ſaepe, poſt vomitiones et ſedes aluinas, mutationes in melius apud aegros perſenſit, eo magis inter alia pharmaca aluum laxantibus multum

a) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. ſect. I. c. 10. pag. 233. et cap. XI. pag. 266. 267.*

b) *de febribus putridis malignis petecchizantibus Operum II. c. 8. p. 97.*

tum boni tribuit [c]). Magna mea voluptate poſtea animadverti, Ill. TISSOTVM eadem via incedere. Profitetur quippe [d]), Cremorem Tartari ſe non ſatis laudare poſſe, recenſet omnes eius virtutes, atque aſſeuerat, vix quoad doſin peccari poſſe, quia vnicum ſaepe ſit remedium, quod aegrum vitae periculo eripiat.

c) pag. 103. no. III.

d) Lettre à Mr. Zimmermann ſur l'Epidemie courante p. 88. 89. 92.

Quid Gangraenam inteſtinorum, cerebrique abſceſſus gangraenoſos, proximas mortis cauſas, felicius auerteret, quam aluum laxantia antiſeptica?

Ante paucos annos ſummopere gauiſus ſum, cum in manus meas inciderent Cel. *Caroli* STRACK, Profeſſoris publici in Academia Moguntina, ex latino ſermone in vernaculam verſae obſeruationes medicinales, de morbo petechiali atque methodo illum perſanandi [e]), quibus docetur, in febribus putridis curandis, euacuationem per aluum vtramque paginam abſoluere. Iure meritoque Decanus Facultatis illius temporis, quo in publicum prodibat hic libellus, de Autore eius pronunciauit, quod ab omnibus hypotheſibus et praeiudiciis liber, per totum morbi decurſum vnice Naturam ſecutus ſit. Digniſſimum eſt hoc ſcriptum, quod ab omnibus Medicis legatur, ob accuratiſſimas obſeruationes, hiſce ſuperſtructam medendi methodum, multis aliis anteponendum. Docet Cl. *Strack* euidenter, petechias neque ab exceſſu febris, nec a methodo calida oriri, easdemque nunquam criticas eſſe. Ob repetitas experientias, quando hae ſeſe in cute monſtrare incipiunt, interdum quidem emetica, plerumque autem purgantia, rheum, Mannam, Cremorem tartari, tamarindos, ſalia, folia ſennae, Oxymel, Syr. fl. perſic., omnibus refrigerantibus, nitro, acidulis et acidis remediis, Syrupis horaeorum, aceto adeo praefert, licet haec remedia etiam frequenter exhibeat, quia illa multas putridas ſordes per aluum expurgant. Probat, diarrhoeam putridam veram criſin eſſe. Cauſam petechiarum equidem a miaſmate maligno deducit, ſed tantum, quatenus id

e) Medicinische Beobachtungen von der Petetſchen Krankheit, Copenhag. u. Leipzig 1777.

id putridis ſordibus in abdomine ſtabulatur, contenditque, petechias ab his ſolis nunquam oriri, niſi miaſma acceſſerit. In curatione obſeruauit, poſt data aluum laxantia, petechias laetiorem colorem obtinuiſſe et in ſalutem aegri eas cum febre minui, atque tandem diſparere eo citius, quo citius purgantia exhibentur. Id interim vix aliquis expectauerit. *Strackium*, inter memorata lenia laxantia, etiam diagrydium et reſinam Ialappae interdum, vt dicit, cum fructu porrexiſſe, cum Celeb. HVXHAM [f]), qui non minus multum tribuit aluum ducentibus, non niſi Mannam, cremorem tartari, ſal Glauberi, tamarindos, et rheum in vſum trahat, a fortioribus autem, quae in ſtatu putrido tanquam venena conſiderat, ad quae etiam ſcammonium refert, prorſus abſtineat. Secundum experientiam *Strackii*, chinae cortex nil prodeſt, quamdiu adhuc ſordes in ventre adſunt, hocque aſſertum exemplis probat, niſi forte ſub vſu euacuantium diarrhoea eueniat largior, aut ipſi euacuantia per aluum iungantur, aut ſub vſu chinae, repetitis clyſmatibus fluxus aluinus proritetur. Plures quam 80 aegros, quorum hiſtorias exhibet, tribus forte exceptis, ſua methodo reſtitutos vidit, et quod probe, et cum cura notari volo, omnes ſine veſicantibus. Viro quadragenario ſanato, tale emplaſtrum applicatum fuerat, ſed ſollicite monet *Strackius* [g]), reſtitutionem ei non adſcribendam eſſe, atque hoc ſimili caſu adducto probat. Contra deliria et comata nunquam vel vnum, vel plura applicari fecit, ſed haec ſymptomata laxantibus per aluum ſuperauit [h]). Confidenter eloquitur, illos, qui aegris camphoram, ſal ammoniacum, theriacam, ſerpentariam praeſcribunt, et veſicantia applicant, minus recte mederi, fallique quoad originem et cauſam morbi, hanc enim non in ſanguine, ſed in ventre exiſtere, in eoque coaceruatas impuritates perſpiratione excerni non poſſe. Et alio adhuc loco diſerte pronunciat: Quosdam artis peritos equidem veſicatoria tanquam ſumme neceſſaria in febribus putridis commendare, cum

f) *Tom. II. p. 110. 111. 112.*

g) *p. 124.*

h) *p. 150.*

cum vero putridam materiam morbificam et mortificam non eliminare apta ſint, et petechiae ad exanthemata critica referri nequeant, illa omnino fruſtranea eſſe.

§. XLIV.

Hactenus de ſinceritate Cl. *Strackii*, ſine ambiguitate et reſeruatione vlla, ſua obſeruata publico bono elargientis, deque eius attentione, et ſagacitate in indaganda vera cauſa morbi, quam adeo feliciter attigit atque impugnare et ſuperare ſciuit, gaudeo, Optimoque Viro toto corde eapropter gratulor. Nunc autem quaedam ſequuntur, quae a Doctiſſimo hoc Viro non ſcripta fuiſſe vehementer vellem. Pergit nempe: *E contrario autem vtilia ſunt, et neceſſaria emplaſtra veſicantia, quando tenax mucus morbo petechiali iunctus viſcera abdominis occupat, hic enim omnino, quemadmodum alii ſeroſi lentores, cantharidibus ſolui et diſſipari debet, antequam mala augeat et inflammationes viſcerum excludat.* Quaerere liceat, an tenax mucus, an ſeroſus lentor facile creet inflammationes? Nonne manna, tamarindi, ſalia media, cremor tartari, Oxymel, quae omnia *Strackius* exhibet, ad illa remedia pertinent, quae mucum inertem certo et ſecure ſoluunt, ſiue hic ſiue alibi in viſceribus ſedem ſuam nactus ſit? Nonne illa praeferenda ſunt cantharidibus? Nonne illa tanquam antiphlogiſtica magis apta ſunt, ad praecauendam et inhibendam inflammationem, quam inflammantes cantharides? An ſcitur, in quo viſcerum, inteſtinorum praecipue, angulo latitet ille mucus? cui abdominis regioni ergo applicanda, erunt Veſicanti? an totum illis obtegendum? Illi aegro, cuius ſalutem *Strackius* veſicantibus adſcriptam neutiquam vult ſine dubio, quoniam delirare atque digitis tremere et conuelli inceperat, tria Veſicantia, ſed neſcio cur? ſupra molle abdomen applicata fuerant, nam de intentione mucum diſſoluendi nil legitur. Sed ſequentibus duobus diebus fortius delirabat, diar-

Eximius Vir interea ob nonnulla modeſte notatur.

rhoea

rhoca putrida ſimul laborans, floccos legebat, difficulter reſpirabat, tertio prorſus extra ſe raptus erat, ſpaſmum oris patiebatur, et conuellebatur. Poſtea per tres dies dormiebat et expergefactus ſanus erat. Vix credibile eſt ſalutem a Veſicatoriis, quae manifeſte peſſima ſymptomata inducebant et augebant, obtentam fuiſſe, quae aliis remediis et fluxui aluino praecipue debebatur. Venio adhuc ad alium locum Cl. STRACKII [a]) qui, non obſtante magna exiſtimatione, qua ipſum proſequor, mihi prorſus diſplicet. *Quodſi vero etiam*, inquit, *famae Medici conſulendum ſit, Veſicantia etiam tum, quando ſuperflua ſunt, quia tamen morbi ipſius reſpectu haud nocent, applicari poſſunt, ne aliquid omiſſum, aegerque neglectus videatur, qui ſeruari poterat.* Verum maximum illud damnum a Veſicantibus, quod, ob ſal acre et cauſticum abſorptum et in humorum maſſam iam putreſcentem delatum, neceſſario oriri debet, eheu perſpicaciſſimus coeteroquin *Strackius* non introſpexit, qui alioquin, licet contra torrentem nauigare non auſus, officioſam hanc humanitatem exercendam eſſe haud credidiſſet. Quis enim cordatus Medicus, ſi etiam illa emplaſtra non nocerent, imperioſo praeiudicio adeo ſeſe ſubiiceret, vt, quia ita receptum eſt, miſerum aegrum, morbo graui miſere affectum, pluribus praecipue Veſicatoriis, ſine omni neceſſitate magis cruciaret et in tortorem eius degeneraret? Pulueres gemmatos, tincturas ſolares, aliaque huius farinae remedia corroborandi fine incaſſum adhibenda concedendo, quia nil moleſti ſecum ferunt, indulgeat Genio ſeculi, foemelliſque ineptientibus, morbique ingenium haud intelligentibus, ſed in verum damnum aegri, quem ſeruare debet, Veſicantia apponere, indignum ingenuo homini habeat, maxime ſi ſciuerit ea nequaquam eſſe adiaphora. Tantum Virum, qualis fuit Celeb. VOGEL, qui in febribus putridis Veſicantia minime proficua iudicauit, ſimilibus abiectis cogitatis ſeſe relinquere potuiſſe, non ſine ſtupore et dolore legi. Permittit nempe [b]), vt contra ſoporem

et

a) *pag. 169.*

b) *in Prael. academ. de cognoſcendis et curandis affectibus corporis humani* §. 44.

et deliria, ſuris haec emplaſtra admoueantur, atque deinde ita ſcribit: *Etiamſi vero febrem inde nec mitigari, nec lethum adeo impediri videas, deſiderant tamen ſeculi mores, vt nullibi hoc auxilium omittas, quo aeger ſeruari potuiſſe videatur.* Plaudo ego Cl. FORSTEN [c]), qui minus probandum hoc *Vogelii* conſilium adducit, et ſincerus reiicit. *Concedo equidem*, ait, *Medicum in curandis morbis, ſaepiſſime Politicum debere agere, de qua arte pulchrum exſtat Hoffmanni Opuſculum, non tamen hoc adeo generaliter verum eſt, vt iis in caſibus, vbi plus nocere poſſit medicamentum, quam prodeſſe, illud tamen ſuadere debeat Medicus, quo praeiudicatis hominum opinionibus indulgeat.* Prodiit ante paucos annos [d]) in academia montis peſſulana diſſertatio Cl. DOUVILLE methodum exhibens, qua ſecundum Academiae doctrinam febres putridae malignae tractandae ſint. In ea, cum opio, Veſicantia tanquam euidenter noxia reiiciuntur atque, quando in tertia morbi periodo, pulſus languet, loco eorum tantum fermentum panis cum ſemine ſinapi commendatur. Ex omnibus hactenus a me diſputatis, clariſſimum opinor redditur, licet non pauci Clari Viri veſicatoria per ſuam experientiam collaudent, et iis vtantur, tamen multos alios, non minus famam in arte ſua nactos, illis ſuis experientiis contradicere. An ergo in futurum ſemper Experientiae Experientiis opponentur? Nihil inde Veritas in Praxi medica lucrabitur. Ad experientias igitur accedat ſcientia modi, quo agunt cantharides, mutationiſque quam inferunt ſolidis et fluidis, et accurata conſideratio cauſae proximae morbi, ſine his in ſubſidium vocatis et expenſis, nunquam diſputationibus erit finis. Qui haec momenta pro baſi conſtituit, atque deinde experientias his coniungit, non accuſari poterit, quando adhibitionem veſicantibus in putridis febribus denegat, hanc ſententiam ſuam vanis ſpeculationibus et falſis ratiociniis niti. Strackiana interea methodus, multum omnino ponderis habens, non tamen dicam ſcribet camphorae, cortici

c) *p. 161.*

d) *anno 1766.*

tici peruuiano, acidis, tanquam remediis ſummis antiſepticis. At vero vel ſola commonſtrare apta eſt, tuto carere poſſe Veſicantibus malignarum febrium therapiam. Neque ego dare poſſum, et concedere, quod illa, ſi in hac epidemia noceant, in alia forte prodeſſe queant. Graſſentur febres malignae putridae, hoc vel illo tempore et in vltima periodo ſua putredine necent, nunquam ſalutaria eſſe poſſunt, licet etiam permittant, vt aeger eluctetur, id quod ſuae naturae, aliorumque remediorum viribus debebit.

§. XLV.

De camphora correctrice cantharidum habita animaduerſiones.

Nunc autem, quando his omnibus non obſtantibus, tamen ea virtus veſicantibus denegari nequit, quod vires vitales excitent, quodque reuulſionem humorum a partibus nobilioribus praeſtare apta habeantur, atque hoc ſaltem eorum vitium eſt, quod ſeſe inſinuando humores diſſolutos magis diſſoluant, et in putredinem vergentes magis putrefaciant, quaeſtio magni momenti oritur, an forte vitium hoc corrigi queat, manente interim illa virtute vtraque, curationi non contraria, ſed potius indicatiſſima. Omnes has difficultates, quae capropter moueri poſſent, ſublatas credit Clar. AEPLI, quando ſcribit [a]):

a) *p.* 26. *no.* 5.

Experimenta Cel. Forſten, cum quibus multorum Medicorum obſeruationes conſentiunt, connubium camphorae cum veſicatorio, manente etiam doctrinae bagliuianae auctoritate, non adeo magnum periculum timere ſinit. Inſuper periculum hoc eapropter valde minuitur, quod plerumque praeſente febre maligna, cum indicatione nata de applicando veſicatorio coniungatur indicatio, de interno vſu camphorae.

Bina haec momenta vtique accuratiſſimam inquiſitionem et conſiderationem merentur. Eſto itaque, cantharides vi ſua ab iis inſeparabili humores acres reddere, et corrumpere, forſan autem quia tamen in ſumma virium vitalium aliorumque debilitate

litate fortiore ſtimulo agunt, quam ſinapiſmi et his eapropter praeferenda ſunt, forſan inquam, alia remedia ipſis iungi poterunt, quae, ſalutari eorum ſtimulo intacto relicto, deleteriam vim qua ſanguinem in putridum magma ſoluunt, minuant, aut proſus inhibeant. A longo iam tempore Medici vitia cantharidibus adhaerentia, atque praecipue peſſimam earum indolem, qua organis vrinariis aduerſae ſunt, minuere et corrigere conati ſunt, vt nempe tutior earum vſus fieret. Praecipue tamen ſtudia haec internum vſum concernunt, quae omnia lubens taceo b). Recentiori tempore, poſt alia multa, quae ſal acre cantharidum cicurarent, et obtunderent, camphora commendari coepit, et multis elogiis affici. Primus, quod ſciam, qui eidem hanc virtutem tribuit, fuit *Ioh.* GROENEVELT, Medicus londinenſis c). HVXHAM d) camphoram vocat magnam acrimoniae cantharidum correctricem, aſſeritque, quod ea hoc fine ſaepius vſus ſit, vtpote ſciens, nil magis aculeos ſalium in iis infringere et obtundere. Cl. COLLIN e) conſilium ſuppeditat, eo tempore, quando opus ſit veſicatoriis, interne emulſiones camphoratas exhibendas eſſe, vt acrimonia minuatur, et incommoda, quae alioquin oriuntur, ardor vrinae, ſtranguria etc. praecaueantur, quod ipſum etiam ſuadet WOLTTER f). Cel. BALDINGER g) paſſim de hac vi camphorae in corrigenda cauſtica acrimonia cantharidum agit, eamque teſtatur. Ill. ROSE'N h) conſulit, vt Veſicatorio aliquid camphorae adſpergatur, ne ſtranguriam cieat. Miram camphorae vim in corrigendo cantharidum veneno pulchre probare experimenta, tam in proprio corpore, quam in canibus inſtituta credit FORSTEN i). Multam fiduciam in camphoram locare Cl. *Aepli*, ex antea adductis ſatis patet, qui adeo tria grana pulueris cantharidum, cum mercurio dulci et camphora, per repetitas experientias verum et ſecurum in hydrope eſſe remedium affirmat k). Quod externas cantharides in veſicatoriis attinet, has admixta camphora, raro

b) *Vid. Forſten quia varia recenſet pag. 210. ſeq.*

c) *in libello de cauto cantharidum vſu interno.*

d) *Operum II. p. 116.*

e) *de miliaribus p. 79.*

f) *pharm. milit. p. 103.*

g) *von Feldkrankheiten*

h) *Hausapotheke p. 45.*

i) *p. 217.*

k) *pag. 7.*

vel

l) *pag. 18.* vel nunquam in viis vrinariis prauos effectus cauſari credit [l]).
m) *pag. 33.* Et alibi de harum vſu in febribus malignis praeciſe agens [m]), *Quodſi etiam* ſcribit, *aliquot canthariduin atomi, in maſſam ſanguinis penetrent, nonne hae in centum alias et hae iterum in centenas alias diſſoluentur, id eſt euaneſcent et in nihilum redigentur, minimum reſpectu prauorum effectuum? Nonne cum iis ſimul abſorptae particulae camphoratae ex veſicatorio, et ore aſſumta remedia, cortex chinae, camphora, ſerpentaria, maſſam ſanguinis ab incurſu noxio atomorum ſecuram praeſtabunt et vindicabunt?* Mihi quidem aeque incredibile eſt, atomos canthadum in millenas alias diſſolutas inertes, et paene nullas reddi, ac certum habetur, atomos moſchi, caſtorei, et antimoniales in centenas et millenas ſolutas tamen non proinde inertes abire, ſed nihilominus in actione ſua in corpus edenda pergere. An, et quousque vere vis camphorae atomos cantharidum hebetet, et corpori minus hoſtiles reddat, fuſius nunc et accuratius inquiram.

Ex his, quae modo elocutus ſum, ſaltem clariſſime perſpicitur, maximos adeo Amicos cantharidum, vt alios Medicos peritos et circumſpectos, qui amorem et fiduciam in illas non nimis extendunt, earum vſum non prorſus innocentem et tutum habere, quia emplaſtro Veſicatorio camphoram addunt et, vbi intus ſumendas illas volunt, hanc ipſis ſociatam vt verum antidotum conſiderant. Quando nunc ad pulſum excitandum abſolute eſſent neceſſariae, ſinapiſmis ad hunc finem nimis imbecillibus, et nulla alia ſecura et praeſtantiſſima remedia interna excitantia darentur, egregium omnino foret, ſi adiecta camphora ipſis nullum ſiniſtrum effectum in corpore permitteret, huiusque ſuccos a corruptione immunes praeſtaret. Ipſe ego hac de re gauderem, maiorique affectu ipſas proſequerer, quam hactenus a me impetrare potui. Poſita omni verecundia, experientiis magnorum Virorum, quos omnes debita veneratione proſequor, contradicere meum non eſt.

Non-

Nonnulla tamen adhuc habeo, quae me ambigere faciunt, quaeque non poſſum non publice profiteri. Rectiſſime, me iudice, pronunciauit LINDESTOLPE [n]): *Omnis correctio Venenorum vana eſt, quantum per hanc tollitur de nocumento, tantum perditur de adiumento. Videntur mihi tales* inquit, HÖFERVS [o]) *nimis in corrigendis medicamentis ſolliciti, non ſecus ac illi, qui, quando per vomitoria volunt euacuare, prius Ventriculum roborant, vel ipſa roborantia vomitoriis admiſcent.* Atque Ill. van SWIETEN [p]) *Semper* inquit, *in illa opinione fui, potius minuendam eſſe medicamentorum quantitatem, ſi quid mali ab iis metuatur, quam vt laborioſis praeparationibus cicurentur eorum vires.* Venenum, et draſticum remedium, ſemper in maiori et minori doſi tale manet, in poſteriore agit minore, et in priore maiori vi; ſi vis maioris doſeos caſtretur, aget vt doſis minor, ſi minor caſtretur, aget vt minima, vel mutabitur in ens iners. Si arſenicum cum oleo deglutiatur, id ſua indole venenum eſſe pergit, de eo autem agitur, quodnam inter haec duo prae altero maiorem vim retineat. Si oleum pauxillum, de ſumto arſenico, ſua vi exuat, reliqua pars ſemper adhuc agit, vt arſenicum. Si maior quantitas olei totum arſenicum omni ſua virtute ſpoliet, non aget amplius vt arſenicum, ſed idem eſt, ac ſi plane non aſſumtum foret. *Boerhaauius* refert de duobus empiricis, qui de praerogatiua ſui Oruietani inter ſe certabant. Vnus antea ſumebat multum butyri, hacque ratione ſumtum arſenicum ipſi non nocebat, alter ſumebat id ſine illo, fiſus ſuo Oruietano, et miſere moriebatur. Eadem ratione mea quidem ſententia res ſe habet cum camphora et cantharidibus. *Mercurialis* puluerem cantharidum teri facit cum tragacantha, in aqua ſoluta, et inde fieri paſtillos, paſtillos hos facit ſiccari, et admiſta cum aqua tragacantha, iterum ſiccari, hocque negotium quater, quinquies, ſexies repeti, tunc ſumendas vult cum lacte, et emulſione ſeminum melonum. Nonne per hoc artificium inuoluuntur et ſegre-

n) *de Venenis p. 671.*

o) *Herc. med. lib. III. c. 4.*

p) *Tom. IV. p. 259.*

ſegregantur a ſe inuicem aculei cantharidum, et quaſi vaginis immittuntur? pungere tum libere prohibentur omnino, attamen etiam non agunt tanquam aculei. Si camphora verum fuerit cantharidum antidotum, parca doſis ipſis addita, aliquam vim iis reſiduam relinquit, ſi maior doſis hanc vim ſuperauerit, eam plane tollit, ac deſtruit, ita vt deinde agere ceſſet. Operae omnino pretium foret, rem hanc curatius conſiderare, atque ſufficientes experientias colligere, quousque effectus veſicatoriorum, cum camphora et ſine ea paratorum, a ſe inuicem differrent. Nempe nondum lex pharmaceutica vbique lata eſt, vt camphora veſicatoriis addatur. *In pharmacopoeia extemporanea* FVLLERI emplaſtrum epiſpaſticum conſiſtit ex pice burgundica, terebinthina, et cantharidibus, et de eo ibidem legitur, quod inter tot paſſim proſtantia ad vſum veſicantem emplaſtra, hoc facile primas obtineat. *In pharmacopoeia londinenſi* emplaſtrum veſicatorium conſtat ex reſina, cera, puluere cantharidum et aceto, et hoc ipſum commendat ROSE'N [q]). TISSOT [r]) nil recipit quam fermentum, puluerem cantharidum et pauxillum aceti et ex his ſolis conſtat Paſta Veſicatoria *Pharmacopoeiae leidenſis.* Sed cum hac ſimplicitate non omnes Medici et Pharmacopoei contenti ſunt. Multis cantharides nondum ſufficienter irritare videntur, quare ipſis adhuc ſtimulantium farraginem addunt. In *Pharmacopoeia edinburgenſi*, emplaſtrum quidem epiſpaſticum ſimplex ex emplaſtro quodam ſaturnino, pice, terebinthina et cantharidibus conſtat, compoſitum autem adhuc continet piper, ſem. ſinapi, et viride aeris. In *pharmacopeeia leidenſi* emplaſtro veſicatorio additur ſemen ſinapi, piper, gummi ammoniacum, viride aeris, radix pyrethri et euphorbium. In *Pharmacopoeia militari Bauariae* non omnia haec, attamen euphorbium additur. Quod inuentores harum compoſitionum nil minus in animo habuerint, quam minuere irritationem cantharidum, ſed potius ipſis calcaria addere adhuc voluerint,

q) *in d. Haus- und Reiſeapothecke.*
r) *avis au peuple.*

ſuerint, ex compoſitionum conſideratione clarum eſt. *Pharmacopoeia bateana* praecipit, vt Emplaſtrum veſicatorium fiat ex pice burgundica, oleo oliuarum et puluere cantharidum, adiici autem adhuc vult ſemen ammeos, tanquam corrigens. Poſtea camphora hac intentione adiecta eſt. In *lexico pharmaceutico* IVNCKENII emplaſtrum hoc fit ex fermento, cera, camphora et cantharidibus, in *diſpenſatorio Würtembergenſi* ex his, cera, terebinthina et camphora, in *Viennenſi* ex cantharidibus, terebinthina oleo, cera, olibano, myrrha, maſtiche et camphora. *Pharmacopoeia auſtriaco - prouincialis* recentior myrrham et olibanum omittit. Noſtrae officinae ſecundum compoſitiones praeſtabilitas camphoram vel addunt vel non addunt. Non opus eſt, vt plura diſpenſatoria percurram. Quodſi euictum ſit, camphoram praecauere prauos cantharidum effectus, atque bonos et deſideratos non inhibere, multum peccant Medici et Pharmacopoei, quando illam emplaſtris veſicatoriis non ſemper admiſcent.

Sed quo pondere? qua proportione? ardua haec quaeſtio eſt. Cel. FORSTEN [s]) pulueris cantharidum recentium et camphorae aequam partem granorum octo, cum parca quantitate panis maſticati in cataplaſmatis formam redegit, et ſic cuti impoſuit. Intra 12. horas exſicccatum erat cataplaſma hoc, interim nec titillationem nec pruritum nec inflammationem, multo minus veſiculam produxerat Cantharidum puluis. Videtur ergo is, niſi alia cauſa ſubfuit, cum camphora ſtetiſſe in aequilibrio, nec eius nec illarum vi praeponderante, ſed vna alteram impediente. Vix ergo negari poteſt, valde difficile eſſe determinare proportionem inter vim vtramque, atque cauere ne vires cantharidum prorſus extinguantur, tunc enim expediebat potius applicare has ſolas, mediocri quantitate, vtpote certius operationem ſuam executuras, quam maiori, cum incerta quantitate correcturae camphorae. Haec de vſu externo, iam de interno, ex quo ad externum valere poteſt quaedam

con-

s) *p. 65. experim. 23.*

conclusio. Laudatus modo Cel. *Forſten* cani exhibebat drachmam dimidiam pulueris cantharidum, et ſcrupulum camphorae, in pilulis, male habebat canis, ſed 6. die ſanus erat. Alii dabat drachmam dimidiam pulueris, et grana xij camphorae; valde aegrotabat, multum muci ſanguinolenti eiiciebat. Septimo die adhuc valde debilis erat, et comedere detrectabat, octauo die melius habebat, et ſenſim ſanus reddebatur. Eidem adhuc ſemel dabat drachmam dimidiam cantharidum cum 8. granis camphorae, mucum et ſanguinem vomebat, valde aegrotabat vſque ad diem 13. die 14. comedere incipiebat die 15. alacris erat et ſanitatem recuperabat. Conſtat ex his, quo minor erat doſis camphorae reſpectu drachmae dimidiae cantharidum, eo maiorem his vim ſuperſtitem manſiſſe virulentos ſuos effectus edendi. Sed cani paruae ſtaturae dabatur drachma dimidia cantharidum, cum granis 8. camphorae, is veſperi ſtatim valde aegrotabat, altera die erat mortuus [t]). In cadauere ventriculus cum inteſtinis inflammatus et phlegmate ſanguinolento plenus, veſica inflammata, pulmo maculis nigris obſitus, cordis dexter ventriculus, vena caua cum ſuis ramificationibus, vaſa cerebri atro diſſoluto ſanguine expanſa. In hoc caſu igitur camphora ad grana 8. mortem et corruptionem ſanguinis haud impediuerat. Profitetur *Forſten* [u]), viſcera eadem fere exhibuiſſe phoenomena, ac in canibus illis inueniebantur, quibus experiundi cauſa cantharidum puluerem ſine camphora praebuerat. Conſtat autem ex his, qui cum camphora illi admixto cibati fuerant, primum et ſecundum fortiores a morte quidem vindicatos eſſe, non vero peſſima ſymptomata mortem minitantia auerti potuiſſe, neque potuiſſe camphoram impedire, ne tenerior canis cum his moreretur. Certam ergo, ex miſcela camphorae et cantharidum ſecuritatem nemo facile pollicebitur; in hominibus experimenta per mortes et funera facere, haud licet. Notatu digniſſima ſunt et huc maxime ſpectant fata *Iohannis* GROENEVELT *Medici* bataui,

t) *pag. 78. 79. experim. 20. 21. 22. 23.*

u) *p. 87.*

taui, qui, praxin Londini exercens, camphoram cum cantharidibus interne exhibere ſolebat, magno, vt ſibi videbatur, cum fructu. Refertur, Foeminam, cui cantharides praeſcripſerat, camphorae addendae, contra monitum, oblitam fuiſſe, indeque male ſeſe habuiſſe. Igitur is in ius vocabatur a Collegio medico londinenſi, cum ſe, quantum poterat, purgaret, dimittebatur; pergebat igitur in vſu frequentiore cantharidum cum camphora, hacque miſcela, ipſe centenas foeminas, potente hoc diuretico ſe ſanaſſe gloriatur, in praefatione libri *de cauto cantharidum vſu interno in Medicina* [x]), prouocans ad membra collegii, quibus proſperum effectum demonſtrauerit. Anno vero elapſo, iterum citabatur ab eodem, et imprudentum ſuarum praeſcriptionum cantharidum inſimulabatur, ac ob medicinam male exercitam Sceleratorum carceri (Newgate) includebatur, vbi tractatum ſuum conſcripſit. Vix credibile eſt, ſolam inuidiam aliorum Medicorum nouum hoc inuentum generi humano denegantem, ſine ſonticis rationibus, quae ſumma vituperia mereretur, infortunii huius cauſam exſtitiſſe, cum tot foeminae, cur non et mares, teſtimonia ſuae ſanationis adferre, et patrocinari Aeſculapio ſuo potuiſſent. Valde potius probabile eſt, ſi non omnes, tamen plurimos aegros eius male ſeſe ab infido hoc remedio habuiſſe. Non iniuſtam hanc ſuſpicionem eſſe, monſtrat caſus ille notabilis ab Ill. *de* HAEN annotatus [y]), Foeminae febre putrida decumbentis, quae interne non ſumſerat cantharides, cui ſaltem externe illae fuerant applicatae, ſub vſu perpetuo interno camphorae. Sumſerat ſingulis trihoriis camphorae grana ſex. Deinde tria, ac poſtea adhuc duo applicata Veſicantia, quae, ſine dubio ſecundum Pharmacopoeiam Auſtriacam praeparata, etiam camphoram habebant. Cum his nil proficeretur, data Miſtura, quae in vnciis nouem liquidorum, grana duodecim camphorae continebat, ad vnciam vnam, cum Emulſo camphorato, ſingulis horis alternatim ſumendam. His iterum profectum nihil,

x) *prod. 1768.*

y) *Tom. III. p. 51.*

omnia ſymptomata increuerunt. Nono die ſtranguria intolerabilis cum ſanguine, cruciatus ſummi, et eiulatus totas aedes implentes, aluus aeruginoſa et cruenta deiiciens, ita vt gangraenoſa diatheſis inteſtinorum metui deberet, cortex peruvianus et oleum deinde miſerrimam aegram ſanauit. Largiſſimus certe in vna hac foemina fuit camphorae vſus, an autem haec tantillum correxit virulentum cantharidum ingenium? an impedire potuit, vt maſſam ſanguinis ingreſſae harum atomi ſanguinis craſin corrumperent immanesque et horrendos cruciatus in interioribus corporis non excitarent? Illuſtris illa Foemina de qua verba feci §. 19. interne quidem camphoram non ſumſerat, continebat vero illam Emplaſtrum veſicatorium, ex praeſcriptione diſpenſatorii Viennenſis praeparatum. Nihilo minus triſtiſſimus ille ſtatus exoriebatur, cuius ſine dolore non reminiſcor. Eiusmodi caſus non ficti, ſed vere obſeruati, fiduciae in camphoram, cantharidum correctricem, multum omnino derogant, aut ſaltem dubium mouent, an in omnibus indiuiduis, et omni tempore, ſperatus hic effectus expectari queat. Forſan ſi ſinapiſmi non ſufficerent, temperatum Veſicatorium Hoffmanni, ex aequa parte emplaſtri Veſicatorii, et de meliloto compoſitum, dimidiata ſua portione cantharidum, quam totam habet emplaſtrum Veſicatorium officinale, ſecurius agit, quam hoc cum camphora remixtum, quae illi etiam admiſcêri poterat. Mitius id omnino eſt, ſed et effectus in humorum maſſa ſunt mitiores. In ſumme deſperato caſu, quando aeger in totum ſopitus, torpidus, omnibus viribus orbus iacet, atque ſui immemor ad omnia potulenta et medicamenta ingerenda eſt inhabilis, pro eo excitando vſuque remediorum poſſibili reddendo, fortiore ſtimulo, rebus omnibus conclamatis, opus eſt, ne aeger ſine ancipiti etiam auxilio pereat.

Multa cum cura legi et relegi Ill. COLLIN egregium Tractatum, quo camphorae vires deſcribit, quas prorſus ſingula-

res

res, et paene ſtupendas, tamen fere ſaltem in caſibus chirurgicis, ſi paucos de Variolis mali moris excipias, expertus eſt. Efficaciſſimum contra putredinem medicamentum, tot experientiis memorabilibus edoctus, eam merito nominat, atque humorum diſſolutionem ſponte vel a contagio natam ſiſtere, ſanguinique ſuam craſin reſtituere, gangraenam prompte ſiſtere pronunciat [z]). In febribus putridis veſicantia is frequenter applicauit, emulſo camphorato ſimul vſus. Nunquam vero inueni, quod camphorae vim corrigendi cantharidum virus, humores diſſoluens et putrefaciens, tribuerit. Camphora, eo docente, non eſt Medicamentum contra miaſma epidemicum, morbos putridos producens, licet huius miaſmatis effectum, putredinem nempe humorum, corrigat, vires ſuſtineat, erigat, ad venenum ex corpore expellendum. Sed aequa vi, cantharidum humorum maſſam deprauantium effectibus, non reſiſtit, vt in antecedentibus conſtitit.

z) *in Coraſt. p. 145.*

§. XLVI.

Ab omni aeuo per multa ſecula Pleuritis ſanata eſt ſine veſicantibus.

Poſtquam, vt mihi quidem videtur, de febribus acutis vniuerſalibus hactenus agens ſufficienter commonſtraui, abſolute abeſſe debere ab earum curatione Veſicatoria, conuerto me iam ad inflammationes, certum aliquem locum occupantes febreque acuta ſtipatas. Satis autem clarum eſt, quod ſi etiam inanis eſſet omnis metus, ne ſale ſuo cauſtico humores corrumperent, quod tamen ita ſe habere liquido euici, quodſi hoc vitium camphora ab iis auerteret, quodſi haec addita caueret, ne viis vrinariis noxas inferrent, non poſſent tamen locum habere, nec cantharides ſolae, quia febrem augent, nec camphora, quia haec ad febres inflammatorias neutiquam quadrat. Igitur accedo nunc ad pleuritidem. Inualuit, vt notum eſt, a 30. vel 40. annis (ſi a pluribus, nil intereſt) inter Anglos medicos primo, deinde etiam ad Germanos translatus mos, pleuritidis medelae deſtinare amplum Veſicatorium,

dolen-

dolenti lateri applicandum. Acutiſſimorum morborum catalogo omnino inſerenda eſt pleuritis vera, vtpote quae, ſi minus apta methodo tractetur, cito iugulare poteſt, eaque propter generoſa remedia non ſaltem ferre, ſed et ſibi depoſcere videtur. Quod nunc Veſicantia attinet, in catalogum pharmacorum antipleuriticorum hodie recepta, ne forte aliquis eorum amator ipſis, auctoritate quorumdam magnorum medicorum motus, in illo eminentiorem locum aſſignet, reliquis probatiſſimis in opprobrium cedentem, notare ante omnia debeo, innumerabiles plane pleuritides ab antiquo aevo, per multa ſecula, et recentiore etiam tempore, ſine Veſicatoriis feliciter fuiſſe ſanatas.

Tacent ſane de iis prorſus antiquorum monumenta; tacent, dum pleuritidis ſanandae methodum docent, inter recentiores non pauci viri ſummi, quos ignorauiſſe vires cantharidum, aut ad earum vſum in morbo reſpicere neglexiſſe, nemo facile crediderit, maxime cum mentionem earum honorificam ab aliis iniici, probe ſciuerint. Hac autem ratione palam oſtenderunt, dum ipſi hoc iuuamine carentes et carere volentes, multos nihilominus, lateris inflammatorio dolore affectos, ſanarunt, ſe ſibi firmiter perſuaſiſſe, multos etiam in poſterum ſine iis ſanabiles fore. Qui Romae, et Bononiae, in noſocomiis amplam praxin exercuit, in obſeruando accuratiſſimus et patientiſſimus, et egregia ſane, ad felicem medelam apprime facientia, notata de pleuritide nobis reliquit, *Georgius* BAGLIVVS [a]), quamquam in ea pertractanda Veſicatoriorum mentionem iniiciat, tamen longe alio fine ea laudat, vt alio loco videbimus, et de iis, loco affecto applicandis, nil memorat. Feliciſſimus in hoc morbo, vt in aliis multis abigendis, exſtitit SYDENHAMVS [b]), atque forte primus, qui eumdem rite tractare, miſſis omnibus et nil iuuantibus, et vere nocentibus, docuit. Hic vero in venaeſectione repetita, ſale prunellae, emulſionibus, decoctis pectoralibus,

a) *praxeos med. l. I. c. IX.*

b) *operum p. 335.*

libus, oleo amygd. cum ſyrupo violarum, et linimentis oleoſis omnem rerum cardinem ponit. BOERHAAVII [c]), qui *Sydenhamianam* methodum toties adeo fauſto ſucceſſu adoptauit, et ſuam fecit, omnia conſilia redeunt ad venaeſectionem largam, iteratam, vſque ad abſentiam cruſtae; ad externa emollientia et relaxantia; ad interna refrigerantia, relaxantia, mitigantia; et dum omnia calida et impetum augentia adeo ſollicite vitanda eſſe inculcat, Veſicantia certe collaudare non potuit. Preſſit *Boerhaauii* veſtigia, vt ſemper, ita et hic exacte, magnus eius commentator *van Swieten,* ad eumdem aph. multoque eruditionis et experientiae apparatu eius praecepta illuſtrat, eademque prorſus, quae illae, pharmaca commendat. Veſicatoriorum quidem, quorum vſum paſſim laudatum praeteruidere nequibat, mentionem iniecit, ſed ea reiecit penitus, vel rarius ſaltem et ſub certis circumſtantiis, valde ſuſpenſa manu admiſit, vt ſuo tempore annotare haud intermittam. Reticere non poſſum, *fidiſſimum* meum praeceptorem, HOFFMANNVM [d]) praeter venaeſectiones, diluentia et diſcutientia, ſpaſmos laxantia, et expectorantia nil collaudare. Qui ob editam ſuam ſuccinctam commentationem de pleuritide, toties ab Ill. *van Swieten* merito magnis praeconiis exornatus eſt, eruditiſſimus TRILLERVS [e]) expertiſſimus ſcribit: „Scalpellum phlebotomum, aqua, acetum, mel, nitrum, hordeum, oleum, et pauciſſima alia, illa ſunt arcana et ſpecifica „polychreſta, quae omnem hic abſoluunt paginam, et ad „debellandam et compeſcendam pleuritidem plane pleneque ſufficiunt.“ Atque huius aſſerti veritatem, additis aegrorum hiſtoriis, confirmat, qui licet fere omnes grauiſſime decubuerint, ſine cantharidibus, lateri dolenti admotis, fuere ſanati, multis aliis aegris ſilentio praetermiſſis, qui, dum alia remedia pleniſſime ſufficiebant, hoc remedio non indiguerunt.

Summa nunc attentione a me commemorari meretur *Iohannes Huxham,* in cuius operibus, de peripneumonia et

c) *aph. 890.*

d) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. Sect. II. c. 6.*

e) *p. 16.*

pleuritide elegantiſſima, et a practicis omnibus in ſuccum et ſanguinem conuertenda, legitur commentatio. Quae vero demum ſunt illa eius praeſidia, quibus ſaepius pleuritidem ſuſtulit? Venaeſectio, clyſmata emollientia, fomenta, parti dolenti et toti corpori applicanda, nitroſa, oleoſa, paregorica; de Veſicatoriis in inflammatoria pleuritide altum ſilentium. Agmen, a me nominatorum, magnorum medicorum claudat, licet inter eos non vltimus, *Fr. Boiſſier de* SAUVAGES f), regis Conſiliarius et Medicus, multarumque Academiarum ſocius. Hic in pleuritide vera, adultis prima die, quarta quaque hora; ſecunda bis vel ter venaeſectionem in brachio quouis, ptiſanam, ſuccum borrag. ſperma ceti, oleum amygd. emulſiones, extus linimentum ſedans, veſperi ſyrupum anodynum, ſedato morbo leniora cathartica commendat, prorſus nulla Veſicatoriorum mentione iniecta. An autem a me impetrarem, vt ſilentio praeterirem Virum ſummum *Antonium* L. B. *de* STÖRCK g). Hic *Permulti* ait, *hoc menſe pleuritide decubuerunt, Venae ſectionibus pro neceſſitate repetitis, remediis antiphlogiſticis, decoctis emollientibus cum melle, oxymelle, nitro et ſtibio diaphoretico non abluto et cataplaſmatibus loco dolenti continuo impoſitis plerumque cura omnis abſoluta eſt.* Illuſtria certe nomina citaui, quibus inter practicos totius Europae ea auctoritas eſt, vt ſi horum veſtigia aliquis exacte preſſerit, munere ſuo ipſum rite defunctum eſſe, nemo facile ambiget. Liceat illis etiam meum tenuiſſimum adiicere. Cum in ampla ciuitate, et eius confiniis, per 50. annos medicinam exercuerim, non pauci ſane fuerunt pleuritici, qui mihi ſanandi obuenirent. Omnes *Sydenhamiana* et *Boerhaauiana* methodo ſola tractaui, raro aliquem amiſi, iuſſis meis exacte obedientem, ad morbum nondum nimis adultum, aut antea peruerſe tractatum, aduocatus. Recordor foeminae nobiliſſimae, quater per interualla hoc morbo grauiſſime decumbentis. Remanſerat, a ſecunda inuaſione, preſſorius in parte, quae affecta,

f) *noſol. method. Amſtel.* 1763. *Tom. II. Part. I. p.* 451. 461. 462.

g) *Anno Medico I. p.* 34.

ſecta fuerat, dolor, aliquid calloſi ſuperſtitis, aut pulmonum lobum, pleurae accretum, indicans, qui profunda inſpiratione ingraueſcebat. Nihilominus autem, cum tertia et quarta vice redderetur pleuritica, cum febre ſumma, quinque et ſex venaeſectiones flagitante, tamen ſueta mea methodo, ſine Veſicantibus ſeruabatur; demum elapſo anno, quinta vice terribili malo prehenſa, ſub alius medici curatione mortua eſt. Alii generoſae aegrae, poſtquam, quarta ſectione e vena miſſo cruore, multo denſiori cruſta, ac in praecedentibus, obducto, quintam et ſextam poſtulaſſet, haec ob ſummam puſillanimitatem, et animi deliquia hyſterica, reiterari nequibat. Tamen manente dolore, et febre intenſa, ſolis antiphlogiſticis, fotibuſque emollientibus, reſoluentibus, antiſepticis, et potu tepido aſſiduo, ſanitas plenaria reſtituebatur. Quid opus eſt, vt plures hiſtorias huius morbi, a me per Dei gratiam feliciter ſanati, adſcribam! Vnum tamen adhuc, idque eminentiſſimum exemplum, adduxiſſe operae pretium erit. Steterat Potentiſſimi Regis noſtri FRIDERICI Frater Sereniſſimus, Princeps FERDINANDVS, copiarum ſuarum dux, per integram noctem alta niue ad pectus vſque quaſi ſepultus. Altera die deferebatur in vrbem, totus gelu rigens. Aduocatus Optimo Principi lecto immiſſo potulenta calida praebebam, vt deinde aegritudinis naturam, incommodis ab externa refrigeratione natis ſic ceſſantibus, accuratius diiudicarem. Reſpiratio erat ſumme anxia, et laborioſa, cum ſummo lateris dolore, ad ſingulas inſpirationes aucto, pulſus duriſſimus et celerrimus. Secabatur vena 5. vicibus ad 6. morbi diem, ſanguis detractus ſemper tectus erat denſiſſima et tenaciſſima cruſta. Applicabantur ſine intermiſſione fotus emollientiſſimi, aluus enematibus libera ſeruabatur. Interne dabatur decoctum hordei, oxymel, nitrum, emulſiones oleo amygdalarum bene ſaturatae, infuſa theiformia ex demulcentibus et lenientibus, adhibebantur etiam balnea pulmonica. Quanquam autem grauiſſimus

mor-

morbus eſſet meque, cui pretioſa haec vita ſoli credita erat, valde anxium et ſollicitum redderet, ita vt noctes atque dies circa Aegrum in ea dignitate conſtitutum verſarer, poſt vltimam tamen venaeſectionem, quod quarto die eiici parcius et magna cum moleſtia inceperat, ſputum liberaliter procedebat atque cum eo 7. die effuſus ſudor, deſideratiſſimam ſalutem adferebat. Ineffabile et immenſum erat gaudium meum, cum 8. die Rex dilectiſſimum fratrem inuiſeret, de omni adhibita medendi methodo rationem a me exigens, atque ea contentum ſe eſſe gratioſus mihi ſignificaret. Omnia remedia antipleuritica, pro admiranda ſua perſpicacia, qua omnes paene ſcientias complectitur, exacte cognita habens, de omiſſo autem Veſicatorio me nequaquam reprehendens. Verum obiicient ſine dubio, non ſine magna ſpecie, cantharidum fautores, dari poſſe, methodos laudatas ſaepiſſime ſufficere; cum tamen nonnulli ſub earum adminiſtratione decente, nihilominus moriantur, hos ſeruari forte potuiſſe, ſi Veſicatoria cum aliis optimis remediis ſimul in auxilium vocata fuiſſent. Magna ſpes et fiducia, nondum experto praecipue, naſci ſtatim debet, ſi legerit, nonnullos Autores, qui veluti per incantamentum pleuritides veſicatorio ſeſe ſanaſſe gloriantur. Nolim omnibus praeconiis prorſus contradicere, vrgeo tantum, et conſtanter vrgeo, ſaepius minus idonea et inconſiderata eorum adhibitione, in certum aegrorum detrimentum, etiam valde peccari.

§. XLVII.

Veſicatoria non quadrant Pleuritidi, ob pulſus duritiem, et febrem, nec ſubiectis ſenſibilioribus.

Pleuritidem veram vocant medici dolorem, in loco thoracis quocumque, non abſolute in alterutro latere, intenſum, acutum, punctorium, inſpiratione valde auctum, in exſpiratione leniorem, cum acuta, continua febre, pulſu duro, et tuſſi perpetua, dolorem augente. Diſputatum toties fuit, inter anatomicos, et practicos, de eius ſede, deque ſenſibilitate

et

et inſenſibilitate pleurae; ſed quia dolor ſub inſpiratione, dilatato thorace adeo increſcit, clarum redditur, ſedem eius, non tamen excluſa pleurae membrana, coſtarum perioſteo, et membrana pulmones veſtiente, eſſe muſculos intercoſtales, hoſque inflammatione laborare, obſtructis eorum arteriis capillaribus, a ſanguine immeabili. Cum his bene multis inſtruatur ipſa pleura, in illa ſine dubio non minus inflammatio facile poteſt enaſci, vt in muſculis. Cum igitur pleuritis ſit febris acuta inflammatoria, atque ego in antecedentibus liquido probauerim, Veſicatoria febribus acutis inflammatoriis curandis neutiquam conuenire, poteram ſimpliciter concludere, ea etiam non conuenire ſanandae pleuritidi. Verum, cum inter medicos magni viri dentur, qui fere tamquam ſpecificum antipleuriticum, emplaſtrum Veſicatorium, parti dolenti appoſitum, extollant, ſpeciatim huius methodi rationem indagare, operae pretium erit. Nolo hic fuſius in ſubiecta, quibus omnium conſenſu praecipue conferunt Veſicatoria, inquirere, atque exinde concludere ad ſubiecta, quibus ex hoc fundamento non conferunt. Breuiter ſaltem noto, ſi Veſicantia locum aptiſſimum apud illos homines habeant, qui vaſorum ſyſtema, colluuie lentorum viſcidorumque humorum oppletum, gerunt; quibus fibrarum laxitas et flacciditas eſt; quorum circulus languet, et pulſus ſegnis, imbecillis, torpiduſque obſeruatur; impoſſibile per rerum naturam eſſe, vt aequa virtute iuuent ſanguine turgidos, fibra forti, et vaſorum robore elaſtico pollentes, viatores, venatores, milites, ruſticos, curſores, olitores, baiulos operarios, duro de robore ſatos, qui, notante cel. TRILLERO [h]), praecipue pleuritidi ſubiiciuntur, quando nunc in hunc morbum illapſi celerrimum et fortiſſimum pulſum exhibent. Aut illi laxi et ſegnes, aut hi ſtricti et fortes, Veſicantia expoſcunt; ambo nequaquam. Quis vero non videt, illos ſtimulo, hos potius fraeno egere; illos peſſumdari, ſi languidis motibus fraena iniiciantur; hos per-

h) *Comment. de Pleurit. cap. I. §. XI.*

di, ſi iam in praeceps feſtinanti naturae ſtimulos et calcaria inconſiderate addas. Pulſus valde elaſticus, tenſus, durus ſignum pathognomonicum pleuritidis eſt. *Si vis cognoſcere pleuritidem*, inquit BAGLIVVS [i]), *praecipuam curam in natura pulſus cognoſcenda reponito, pulſus durities eſt ſignum fere infallibile, omnium pleuritidum, ſi duritiem, id eſt nimiam arteriae tenſionem, et vibrationem deprehendas, pro certo habeas, patientem laborare pleuritide.* Hanc pulſus duritiem inter proprietatis notas pleuritidis mauult reponere FREINDIVS [k]), quam cum *Galeno* tuſſim. Eandemque, cum totius corporis membranae mutuum inter ſe habeant commercium, atque ab iis propagentur omnes arteriarum tunicae, pleurae membranae inflammatione oborta, hac tenſa et conſtricta, rigiditate in arterias deriuata, enaſci affirmat. Haec durities ſane pleraque mala ſub decurſu grauis huius morbi patrat; ſi in inſtanti pulſus durus mutari poſſet, arte medica quauis, in mollem, protinus aegri ſaluti proſpectum foret, neque enim antea ſanatur, quam haec mutatio facta ſit. Num vero, rudi ſtimulo ſuo, cantharides duram tenſae arteriae vibrationem emendabunt? Nonne potius illam ſua actione magis intenſam reddent, et augebunt?

i) *operum p. 33.*

k) *Comment. V. de febribus.*

Eſt praeterea numerus hominum maior, quam facile non expertus crediderit, qui, ob ſumme irritabilem ſyntaxeos neruoſae fabricam, ad ſpaſticas ſtricturas ſumme procliues obſeruantur, atque lenibus etiam pharmacorum ſtimulis offenduntur. Talibus igitur, non ſine multa deliberatione praeuia, ob fabricae ſolius teneritudinem, etiam in illis morbis, qui Veſicantia poſcunt, haec applicabuntur, multoque magis autem ab iisdem perpetuo abeſſe debebunt, ſi motuum, in orbem abeuntium, impetus adfuerit. In corporibus macilentis et gracilibus caute vſurpanda eſſe Veſicatoria, ſapienter BAGLIVVS [l]), monuit, nam ſi alicubi, hic facillime, obortos vidit motus conuulſiuos, febrisque exacerbationem.

l) *operum p. 655.*

An

An, ſi eiusmodi corpora pleuritis prehenderit, conſilii erit, illorum ſumme irritabiles neruos, dolores exquiſitiſſimos et febrem vehementiorem iam inducentes, adhuc cantharidibus irritare? Foeminas vbi corripit dirum hoc malum, id maiores plerumque tragoedias excitare, quam in viris, notauit TRILLERVS [m]), illis tamen, qui, quoniam grauius laborant, tanto magis Veſicantia applicanda eſſe reputaret, mirum quantum, certe falleretur. Recordor duarum muliercularum hyſtericarum, ſumme ſenſibilium, ſumma pleuritide laborantium, leniter irritantis nitri doſes mediocres vix ferentium, poſt venaeſectionem ad aliquod tempus conuulſarum, ob vehementiam doloris ſubinde ſubſultus tendinum patientium, eapropter a me magna ſollicitudine tractandarum, ſanitatique tamen per Dei gratiam redditarum. An his profuiſſem Veſicantibus? Siue vero pleuritide laborantes robuſtiores fuerint, ſiue debiliores, in his et illis, omnia remedia eo collineare debent, vt vehementia febris mitigetur, atque effraeni motus inhibeantur A forti quippe febre, quae ſolutioni felici morbi reſiſtit, aut chronica aut mortifera mala facile excluduntur. Cum autem Veſicatoria ipſa faciant febrem et praeſentem intendant, impoſſibile eſt, vt haec indicatis remediis annumerentur.

m) *Comment. de pleuritide pag. 4. no. 35.*

§. XLVIII.

Veſicatoria repugnant ideae, de vera morbi ſede.

Diuerſae fuerunt per multa ſecula doctiſſimorum Virorum ſententiae, an ſedes Pleuritidis ſtatuenda ſit in pleura, an in muſculis intercoſtalibus, an in pulmone ipſo, an in his partibus omnibus ſimul. Acriter pro pleura militat *de* HAEN [a]), prouocans ad teſtimonia Autorum, qui pleuram inflammatam et ſideratam in cadaueribus conſpexerunt, atque ſimul ad propria ſua obſeruata. Pleuritidem veram a pleurae inflammatione oriri, ſiquidem inter parietes huius membranae, quae duplex eſt, arteriolas multas a ramo intercoſtali deductas effundi aſſerit FREIND [b]), quae leui ſaepe de cauſa obſtrui ſoleant

a) *in difficultatibus circa modernorum ſyſtema de ſenſibilitate et irritabilitate, difficultate III. p. 42. ſeq.*

b) *Comment. V. de febribus.*

leant et inflammationem parere, indeque duritiem pulſus, membranis affectis, ob tenſionem ſuam et elaſticitatem propriam, qui apud aegros pleuriticos obſeruatur, deducit. HOFFMANNVS [c]) in vera pleuritide partem externam pulmonum eſſe affectam, et trahi in conſenſum pleuram contendit, quia exterior pulmonalis membrana pleurae ſoboles eſt, tum et quia in plurimis hominum in alterutro minimum latere pulmones pleurae adnati et concreti ſunt. Non pleuram ſolum affici, quod hactenus temere creditum fuit, ſed ipſam quoque pulmonum ſubſtantiam infeſtari, anatome teſte, docuit TRILLERVS [d]). HVXHAM [e]) dolorem lateris violentum cum febre acuta, pleuritidem nominari dicit oririque, vel a muſculorum intercoſtalium coſtarumque perioſtei vel pleurae ipſius inflammatione, dicit. Hanc ſtrictius loquendo aſſerit profecto veram eſſe pleuritidem, cum illae rheumatiſmi inflammatorii ſint ſpecies et nuncupentur nothae vel ſpuriae pleuritides. Pleuram inflammatam externe pulmonum membranae facile agglutinari, atque ſic ab illa, in hanc inflammationem propagari dicit, atque hoc fieri tanto facilius, quando vel natura vel morbo cohaeſio antea fuit effacta. HOFFMANNVS a pulmonis ſuperficie eiusque membrana in pleuram propagationem inflammationis fieri edixerat [f]). Nil refert, vtrum huic vel *Huxhamo* aſſentiri velimus, ſufficit, quod in loco vtroque concipi poſſit et debeat inflammatio. Sed, vt per cutem, per membranam adipoſam, per muſculos, per coſtas ad pleuram vſque vix penetrat actio topici Veſicatorii, ita difficilius adhuc penetrat ad ipſos pulmones, maxime ſi pleurae non accreuerint, in thoracis cauo fluctuantes, niſi abſorptos a vaſculis bibulis ſales acerrimos perduci in totam maſſam ſanguinis aſſerere velimus, quod vtique non negauerim, illi autem an benignae reſolutioni ſtagnantis et accumulati ſanguinis accommodati ſint, in ſequentibus videbimus. Si ergo non directe et praecipue in pleuram agere queat Veſicatorium, tum quando pleuritis ibidem ſuam ſedem

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. ſect. II. c. 6.*

d) *de Pleurit. pag. 2.*

e) *diſſ. de Pleuritide et Peripneumonia cap. IV. Operum II. pag. 211.*

f) *l. c.*

dem nacta fuit, id, ſi etiam non noceret, multum tamen emolumenti haud poterit adferre. Ita minimum mecum ſtatuit HVXHAM [g]). Pleuritidis, inquit, in veram et ſpuriam diſtinctio in rerum natura vere eſt fundata et in curatione attendi meretur, quodſi enim muſculi intercoſtales ſoli ſint affecti, multo plura a topicorum applicatione, qualia ſunt fomenta, cataplaſmata Veſicatoria, cucurbitulae, et ſimilia ſunt ſperanda, quam ſi lateris dolor a pleura et externa pulmonum membrana dependeat. Cui bono ergo in hoc rerum ſtatu applicabitur Veſicatorium? Dicat forte aliquis, quo profundior ſtaſis, eo certiorem fore ad partes vere non affectas applicato veſicatorio procuratam reuulſionem. De hac irrita intentione, quanquam bona et laudabilis videatur, diſpiciemus alibi.

g) *Operum Tom. II. pag. 217.*

§. XLIX.

Veſicatoria repugnant ideae doloris in genere.

In vniuerſum autem Veſicatorium non videtur eſſe verum et indicatum doloris pleuritici, in genere conſiderati, remedium, ſi illius actionem, huiusque ingenium attente conſideremus, et comparemus. Qui primus iuſtam et genuinam doloris ideam ſuppeditauit, Ill. BOERHAAVIVS [a]), de curatione eius agens, „ſi vis liberare locum dolentem, ait, fac, vt fiat „laxus.“ Sub toto pleuritidis decurſu igitur, fomenta toti thoraci circumuoluenda vult, vt halitus emollientes vaſa inhalantia imbibant. „Certe, inquit, nullo remedio poſt venae„ſectionem plus efficiet medicus, quam fomentis, quae, la„xando et attenuando, multum praeſtant [b]).“ Atque praeceptoris veſtigia premens, *van* SWIETEN [c]), emollientiſſimis fomentis, mediantibus pannis laneis applicitis, vtitur. Nocte autem ne moleſta fiat aegris frequentior fomenti renouatio, perunctum prius vnguento altheae, latus emplaſtro de meliloto, non Veſicatorio, tegit, illi e diametro contrario. Optime etiam iam monuerat BAGLIVVS [d]), totam rationem curandae pleuritidis, aliarumque inflammationum, conſiſtere in procuranda

a) *in commentario proprio ad §. 228.*

b) *ad §. 890.*

c) *in Comment. III. p. 43. 44.*

d) *p. 38.*

randa debita laxitate partis inflammatae, per debita remedia. „Ideo forſan oleum ſeminis lini ab omnibus laudari dicit, pro „maximo remedio contra pleuritidem, quod raro fallat, quia „oleoſa ſua ſubſtantia fibras inflammatione contractas criſpatas- „que, et ob id fluidorum circulum impedientes laxat, lenit, „et in priſtinum ſtatum reſtituit." Laudat remedium illud multum Ill. *de* HAEN [e]) prouocatque ſimul ad TOVRNEFORTIVM [f]), qui refert, Armenios domi perpetuo ſeruare ac adhibere, propterea que Pleuritidem, cui inconſtans clima impenſe fauet, et qua alii impetuntur, raro experiri. Ob huius olei inſignes vires ſcribit adhuc laudatus *Bagliuus:* „Hinc contineri nequeo, quin exclamem, contra recentiores *Helmontiſtas*, qui in pleuritide praeſcribunt ſpiritus, ſales volatiles, „puluεres acres, acutos cet. cum per eos non ſoluant, quod „ſoluere volunt, ſed irritatis magis criſpatiſque fibrillis fluido- „rum circulationem impediant, et veluti ſtrangulent mortem- „que quam citiſſime ſollicitent, quod, ſancte fateor, horum „remediorum vſu ſaepiſſime in aegrorum perniciem accidiſſe, „obſeruaui." Quod ſi haec cenſura, ex theoria morbi et experientia petita, iuſta fuerit, an eam effugient, qui pulueres acres acutos cantharidum, fortius irritantes, ac omnes qualescumque pulueres, omnesque ſales volatiles, vehemente ſua actione ſuperantes, ipſi loco dolenti admouent, ſicque criſpatis fibrillis, motum ſtagnantis ſanguinis, quem expedire volebant, ſtrangulant. Longus quoque eſt in fotibus laudandis, ad ipſum *Hippocratem* prouocans, HVXHAMVS [g]), qui partem decocto ex ſemine lini cet. cum aqua et lacte foueri iubet, dolorem inflammatorium ſemper a fibris, nimium tenſis, ortum trahere aſſerens, quem fomenta emollientia, illas relaxando, tollant. In rebus valde periculoſis adeo abdomini, et inguinibus applicari vult fomenta, quo nimiam fibrarum adſtrictionem infringant. Multo etiam efficaciora fore balnea emollientia dicit, quibus vtendum in pertinaci plruritide praecipit,

e) *Rat. med. XI. p. 103.*

f) *Lettres du Levant no. 19.*

g) *II. pag. 226.*

cipit, quae dolorem mitigabunt; toti thoraci muſculiſque intercoſtalibus expandendi ſeſe et contrahendi libertatem reſtituent; ac exſcreationem faciliorem reddent. Sane, ſi quid video, ſi haec methodus emolliens, demulcens, relaxans aliquid valeat in ſananda pleuritide, (multum autem omnino valet, quia omnibus prudentibus indicationibus eſt conformis) vix cum ea conciliari poterunt, toto caelo ab eadem diſtantia, et differentia, in ſua actione, Veſicatoria, quae ipſa pungente, rodente et vrente ſua acrimonia dolorem pariunt. Pugnant ſimul eorum acerrimi ſtimuli cum emollientibus et relaxantibus internis, cum indicatiſſimis emulſionibus, ipſoque oleo lini et amygdalarum, quae vtraque a tot auctoribus laudata, *Huxhamo* iudice, bono cum ſucceſſu dantur, quod vel ex eo apparet, quia hominibus robuſtis, et laborioſis fibris rigidis, et corporis ſiccitate, praeditis, hic morbus maxime familiaris eſt et, tempeſtate frigida et ſicca regnante, inprimis ſaeuit. Vnum adhuc habeo, quod vrgeam. Iungit magnus hic vir his remediis etiam interna et externa anodyna, emplaſtrumque opiatum praeſcribit, in quorum vſum iam non inquiro. Id ſaltem exinde infero, dum fibras laxiſſimas cupit et quaſi ſemi-paralyticas, ipſum ſimul neceſſario ab acerrimo cantharidum ſale, eas irritante et criſpante, dehortari. *Huxhamum* ſine dubio ſequi video etiam Cl. BAEL[h]), qui omnis generis emollientia, et in morbo grauiore etiam balnea ad collum vſque laudat. Atque haec emollientia, ſi etiam cum aliis indicatiſſimis praeſidiis in grauiore pleuritide, reſolui neſcia, hoc fine non potiantur, et ſuppurationem orturam praeuertere nequeant, tamen eapropter ſeſe commendabunt, quod, vt in eorum honorem notat *van* SWIETEN[i]), ſic laxent loca intercoſtalia, vt ſpes ſit, pus verſus exteriora duci poſſe, et periculoſum empyema ſic praecaueri. Hoc ipſum autem a Veſicantibus, niſi reſoluatur obſtructio, potius, vt ſtatim videbimus, gangraenae fauentibus, nemo facile exſpectauerit.

h) *tract. practico de febribus, part. I. p. 230.*

i) *III. p. 44.*

§. L.

§. L.

Maxime autem ſi dolor ſit inflammatorius.

Dum de doloris mitigatione agit BOHNIVS [a]), Veſicatoriorum quoque meminit, ea autem, pro hoc fine obtinendo, parti non dolenti applicari vult, quatenus non tam materiam peccantem, quam ſpirituum impetum, a parte dolente auertendo agant, iuxta HIPPOCRATEM [b]). *Duobus doloribus obortis ſimul non in eodem loco, alter alterum obſcurat.* Non interea negari poteſt, dari dolores, in quibus Veſicatorium, ipſi loco dolenti admotum, lenimen praeſtat, dum materiam, cauſſam doloris, loco mouet, et verſus exteriora determinat, vt in rheumatiſmo inueterato, in malo iſchiadico cet. Rectiſſime ergo alio loco BOHNIVS [c]) monet: „Olim quidem ipſi parti dolenti, aut quacumque defluxione laboranti, Veſicatoria, quaſi plus attrahant, et malum augeant, Medicos applicare ambiguiſſe; id vero tuto fieri poſſe, praxin quotidianam docere, affirmat." Caueamus autem, ne ſtatim exiſtimemus, hoc trahi poſſe ex ſententia *Bohnii* ad pleuritidem, etenim prudens addit: *Niſi inflammatio ſubſit.* Pulchre etiam annotauerat WEDELIVS [d]). „Si humores ſeroſi acres in parte quadam ipſa reſtitent, eam „vellicent, rodant, et tendant, Veſicatoria facere officium:" Sed non minus, vt *Bohnius*, adiicit: *citra inflammationem tamen.* Porro HOFFMANNVS [e]) regulam ſuppeditat, nunquam applicanda eſſe veſicatoria parti, cui dolor et inflammatio inſidet. Igitur ex hoc etiam viſionis puncto conſiderata Veſicatoria, loco dolenti admota, contrariantur ideae, quam de pleuritidis ingenio et medela, medici tenent omnes. Scilicet eam nobis concipimus, vt inflammationem muſculorum intercoſtalium, et adiacentis pleurae. Breuibus ſed exquiſitis verbis illam deſcribit HVXHAM [f]). *Cum dolor ſit ſtimulus*, inquit, *quo ſanguinis circulus acceleratur, ſanguis ipſe exaeſtuatur, et plus naturaliter iuſto ad partem dolentem deriuatur, inde eo inflammatio ipſa augeri debet. Spina carni infixa aliquam excitat febrem, et in vicinis partibus inflammationem.* Vi huius notio-

a) *de officio medici p. 361.*
b) *II. aph. 46.*
c) *pag. 317.*
d) *mat. med. pag. 90.*
e) *diſſ. de Veſicantibus §. 19.*
f) *Operum II. p. 228.*

notionis, BOERHAAVIVS [g]), omne calefaciens, impetum augens, vitandum eſſe dicit, in regimine diaetetico et medela. Nunc autem cantharidibus ineſt vis ſtimulans, calefaciens et inflammatoria [h]); neque, MORTONO monente [i]), aliter agunt, quam inducendo inflammationem artificialem, atque diatheſin inflammatoriam maſſae humorum impertiendo. Quid ergo magis contradictorium audiri poſſet, quam ignem, adiecto igne, velle extinguere, atque inflammationem, addito inflammatorio ſtimulo, velle perſanare? Quid magis contradictorium, quam interne dato nitro ab omnibus practicis laudato, quod BOERHAAVIVS [k]), ſpecificum in hoc morbo vocat, igni reſiſtere, et externe ipſi pabulum addere? Bene quoque perpendendum eſt, ſaeuiſſimam pleuritidem, reſolui neſciam, et in abſceſſum non tendentem, terminari in gangraenam. Id rerum vſu edoctus diſerte eloquitur HVXHAM [l]): *Bene quoque conſiderandum eſt, quaelibet pleurae coeterarumque partium inflammatio, quae tempeſtiua ſanguinis emiſſione non imminuitur, aut diluentibus antiphlogiſticis, emollientibus potionibus, et medicamentis non reſoluitur, abſceſſu aut gangraena vt terminetur, neceſſe eſt.* Eapropter BOERHAAVIVS [m]), monuit, ſemper curandum eſſe, vt in pleuritide ſananda eligantur illa, quae putredini aduerſiſſima. In hunc locum commentaturus, *van Swieten* haec verba dedit: „In pleuritide enim iam adeſt „acuta continua febris, per quam humores in putridam corruptionem diſponuntur.“ Non defuere exempla hominum, etiam non febricitantium, quibus ipſum Veſicatorium gangraenam loci adferret, cui impoſitum erat; nonne haec ſola conſideratio ſufficit monito, vt cautius cum eo mercentur eius fautores? Nonne inde clarum eſt, quo acutior pleuritis, eo magis periculoſum eſſe Veſicatorium? Nil certe de actione vera cantharidum intellexit bonus *Benedictus* SYLVATICVS [n]), vbi in pleuritide Veſicantia tunc applicanda vult, quando maior eſt ſuſpicio putredinis. Omnia fere remedia, quae anti-

g) *aph.* 890.

h) *Hoffm. med. ſyſt.* II. *p.* 281.

i) *exercit. de febribus pag.* 40. 157.

k) *in Comment. propria ad hunc locum.*

l) *Operum* II. *p.* 224.

m) *aph.* 899.

n) *conſil. cent.* II. *no.* 55.

qui medici huius morbi curationi deſtinarunt, erant acida, vel aceſcentia; ptiſana hordei, acetum, mel, quibus adhuc hodie feliciter vtuntur medici, merito ſepoſitis ſalibus volatilibus. Nunc autem BORHAAVIVS alibi °) docuerat, Veſicatoria per ſe facere febrem, anxietatem, halitum cadauerosum, vrinam foetidam et acrem, ſanguinem in acre putrefaciens ſolutum. Haec omnia faciunt in corpore, in quo nondum vlla ad putredinem diſpoſitio, quid ergo facient, vbi morbus ad hanc diſponens iam adeſt? Apparet eapropter clariſſime, Veſicantia, etiam vel brachiis, vel cruribus applicata, non quadrare ad pleuritidem, multo minus impoſita parti dolenti ipſi. Nemo facile ardentiſſime amans ardentiſſima Veſicatoria igne occulto grauida, auderet aſſerere, ſine alio medicinali apparatu, haec curationi pleuritidis ſufficere, ſed largietur et affirmabit, omnino illo ſimul adhibito opus eſſe. Sed hic conſtat ex acidis et aceſcentibus, blandis laxantibus, emollientibus, demulcentibus oleoſis, refrigerantibus, nitratis, quae omnia ne tantillum irritant. Nonne cenſuram promeritam incurreret medicus, qui aegro ſuo pleuritico vna hora daret antiphlogiſtica nominata, et altera hora calida alexipharmaca et ſalia volatilia, aut vtraque ſibi inuicem iungeret? An cenſuram declinare poteſt, qui dum intus ſumenda antiphlogiſtica et demulcentia porrigit, et extus magis, quam omnia alexipharmaca et ſalia volatilia alcalica, ſtimulantia, rodentia, vrentia, admouet Veſicatoria? An talis methodus rationalis audire poteſt, quando artifex, qui remedia ita eligere et coniungere inuicem debet, vt in vnum finem amice conſpirent, et collineant, bellum inteſtinum inter ea, quibus naturalis inuicem antipathia eſt, ipſe in aegri perniciem concitat?

°) *in Comment. proprio ad aph. 75. voce Veſicantia.*

§. LI.

Veſicatoria in pleuritide remedio prin-

Nondum vero omnia excuſſi, quae Veſicatoriorum applicationi aduerſari credo. Omnes practici vno ore affirmant, ſiue

cipi venaeſectioni contrariantur et criſes turbant.

ſiue iis faueant, ſiue minus, venaeſectionem eſſe princeps remedium, atque ſine ea veram pleuritidem eſſe inſanabilem. A duobus annorum millibus pleuriticis ſanguinem fuiſſe detractum, ex omnium pene medicorum, Graecorum, Latinorum, Arabum, Barbarorum, ſcriptis, iuxta temporum ſeriem, docuit *Renatus* MOREAU; medicus Pariſienſis [a]), praecipue demonſtrans, ex qua corporis parte, ſecundum varias ſententias, fuerit emiſſus. In aëre romano phlebotomiam eſſe princeps remedium in pleuritide, et ſtatim mittendum ſanguinem eſſe, vt depletis hac ratione vaſis, in libertatem reſtituantur fluida, notauit BAGLIVVS [b]). SYDENHAMVS [c]) in venaeſectione ſpem ponit maximam, repetit eam, vbi dolor et alia ſymptomata admodum ſaeuiunt, et conſtanter aſſerit, hunc morbum, licet illegitime tractatus, inter potentiſſimas orci ianuas merito recenſeatur, hac methodo aeque certo, tuto, ac alium quemlibet, debellari; per ipſum ſectae venae orificium et pleuritidi fugam parari, et ſanitati reditum, cum huius morbi medela in repetita venaeſectione fere tota ſtet. Ad *Sydenhamum* provocans FREINDIVS [d]), praeſens eſſe pleuritidi, inter initia, a vena ſecta, auxilium, ſcribit; ita quidem, vt ſi ab hoc medicinae genere diſceſſeris, aliud fruſtra quaeras. Primum in curatione locum, venaeſectioni ad cruſtae abſentiam, repetitae, dedit BOERHAAVIVS [e]), atque vrgentiſſimas eſſe rationes, quae pro venaeſectione militent, edixit Ill. *van* SWIETEN [f]). Eruditiſſimus TRILLERVS *), venaeſectionem ſacram anchoram vocat, ad quam vnice confugiendum ſit, in hoc morbo, vtpote a qua ſola omnis pleuriticorum ſalus pendeat. „Hac enim mox ab initio mali, inquit, ſat cito, crebro, et „large, adminiſtrata, omnis ferocientis morbi vis illico perit, „et malum in ipſa quaſi herba penitus ſuffocatur. Eadem

a) *de miſſione ſanguinis in pleuritide, Pariſ. 1630. rarus liber recuſus Halae 1742. additusque Schultzii Compendio hiſt. med.*

b) *pag. 34. 46.*

c) *pag. 335. 336. 338. 339.*

d) *Comment. V. de febribus.*

e) *aph. 890.*

f) *in Comment. Tom. III. p. 35.*

Ff 2 „con-

*) *Comment. de Pleurit. cap. II. quod totum de ſumma venaeſectionis neceſſitate, vſu et efficacia agit, §. 5.*

„contra aut temere neglecta prorſus, aut parce nimis, et timi-
„de inſtituta, aegrorum ſalus de exigua ſpe pendet, et in ſum-
„mum vitae diſcrimen adducitur, licet omnis medicamento-
„rum apparatus in ſubſidium aduocetur." Cl. HVXHAM[ff]),
ſanginis maiorem vel minorem detractionem maxime neceſſa-
riam, et quibuscumque aliis auxiliis praemittendam eſſe, in-
culcat; quia ſi hac, et diluentibus antiphlogiſticis inflamma-
tio non minuatur, haec neceſſario in gangraenam abeat. Ce-
lerrimum remedium largiſſimam venaeſectionem eſſe, dicit Ill.
L. B. *de* STÖRCK[g]). et hanc aliquoties repetitam effeciſſe re-
fert, vt vltima vice adminiſtrata, omnia prorſus ſymptomata
euanuerint et febris integre ceſſauerit, vnde aliquoties pleuri-
tidem ſolis venaeſectionibus iugulare licuerit. SAUVAGES[h]),
ſi ante finem ſecundi et tertii diei ſuccurratur repetita venae-
ſectione, et potu diluente, vix vllum mori, affirmat. En
ſummorum practicorum ſententias, in vno conſpectu exhibitas!
Nunc, quando omnis rerum cardo, dum ſanandus eſt pleu-
riticus, in venaeſectione vertitur; quando hac methodo certo
et tuto pleuriticus curatur; quando ab ea omnis aegrotantium
ſalus pendet, et ſine ea omnia remedia indicatiſſima nil effi-
ciunt, quando interdum ſolis venaeſectionibus iugulare pleu-
ritidem licuerit; iiſque primis diebus adminiſtratis vix vllus
moriatur; neceſſario omnino omnia abeſſe debebunt a cura-
tione, quae ſalatures eius effectus turbant, iiſdemque contra-
riantur, ergo ſine dubio etiam Veſicatorium. Quid enim
efficit proprie venaeſectio, quid hoc? Illa impetum febris
moderatur, hoc illum auget; omne autem, quod impetum
auget, vitandum eſſe, inculcat *Boerhaauius;* illa refrigerat,
hoc calorem in parte, et deinde in toto corpore, auget, omne
autem calefaciens in aëre, lecto, victu, medela, vitandum
eſſe, ſummus hic medicus, monet. Paucis dicam: eius ab-
ſolutiſſimae methodo, innumeris felicibus euentibus compro-
batae, Veſicatorium in ſolidum repugnat, et contrariatur.
Si

ff) *II. 224.*

g) *anno medico II. p. 67. 68.*

h) *noſol. method. Tom. II. part. I. p. 450.*

Si ſecus ſentientes ab erronea ſua medendi methodo non reuocentur, ſignificantiſſimis verbis tanti Viri, Ill. HVXHAM [i]), i) *II. p. 23.* neſcio certe, quid eos mouere debeat. *Quam ſaepe in Praxi conſueta videmus, aegrotis larga ſatis copia ſanguinem mitti, et veſicatoria applicari. Quod profecto ſic cum ratione conueniet, ac ſi quis partem magni incendii, prius ſupprimere velit, et mox poſtea reſiduam partem extinguere anniteretur, puluere pyrio aut vini ſpiritu; aut ac ſi equo aſpero flagella et calcaria addere velis, quem demulcere cupias, quod ſane fieri ſolet, cum veſicatoriis, vbi vis vaſorum oſcillatoria nimia, et fluidorum motus obſeruatur rapidior.*

Attendamus adhuc ad pleuritidis ſolutionem, viaſque naturae, per quas haec illam ſanat, quaſque ſedulo et attente legere medicus peritus debet. Rara eſt, et in leuiore malo ſaltem ſperari poteſt, reſolutio, benigna *Boerhaauio* dicta; haecque, certe ſi obtineri queat, Veſicatorio non indiget. Frequentior ſanatio eſt, quae fit coctione, et excretione critica cauſſae, per haemorrhoides; per vrinam; per aluum, ante quartum diem; per abſceſſus, ante 6. diem; per metaſtaſin materiae ad humerum, dorſum; tandem per ſputum; quae criſis frequentiſſima eſt, licet eam rideat Cl. FREIND [k]), atque k) *Comm. V. de febribus.* in peripneumonia ſaltem, non in pleuritide, locum habere poſſe, contendat. Iam in principio morbi, nemo medentum ſcit, quo natura vergat, ideoque ſemper attentus eſſe debet, eiuſque ductum ſequi. Applicetur nunc ſtatim in principio Veſicatorium ad latus pleuriticum; per hoc numquam ſane pleuritis iudicata eſt. Quid ergo clarius, quam hac euacuatione excitata, contra monitum *Hippocratis*, cruda moueri, non cocta; deinde omnibus illis euacuationibus criticis, a naturae molimine pendentibus, violentas quaſi manus iniici, eamdem in ſuo opere manifeſte aliorſum auocari, et impediri, officiumque eius miniſtri ſic negligi, et obiter haberi. Namque nemo eſt, qui probare queat, ſi etiam Veſicatorium

pro reſoluente remedio venditare voluerit, certo effectu et ſemper reſolutionem ab eodem impetrari; aeger quippe raro, aut numquam, ſi etiam cum Veſicatorio ſanetur, ſine aliqua criſi ex memoratis, ſanatur.

§. LII.

At his omnibus non obſtantibus, laudantur Veſicatoria, loco dolenti admouenda, a Mayernio, et Meadio.

Verum enim vero, his omnibus non obſtantibus, hodie a multis medicis ſemel vſu receptum eſt, vt in pleuritide, vix vna aut altera venaeſectione praemiſſa, lateri dolenti latum ſatis Veſicatorium admoueatur, more, ab Anglis praecipue, ad nos translato. De his remediis agens, WILLISIVS [a]), obſtructas vias reſerant, ſcribit, atque ſanguinis aut ſeri portiones alicubi ſtagnantes, aut extrauaſatas commouent, et circulationi reddunt, quamobrem illa non tantum in morbis ſeroſis, ſed et ſanguineis, imo in pleuritide, peripneumonia, et febribus quibuſcumque aliis, iuuare ſolent. Qui Veſicatoria fere ad omnia vtilia cenſuit, *Freind*, ea etiam in pleuritide egregie valere ſcribit et, quod ſatis miror, quia dum altius in corpus intrant, humores commoueant, qui, niſi omnia me fallant, in hoc morbo iam nimis commoti ſunt, atque vlteriori commotione vix indigent, de loco autem, cui praeciſe imponenda ſint, nil praecipit. Primus, quod ſciam, qui ipſi parti affectae Veſicatorium admouit, fuit *Thomas* MAYERNE, vir magnae in Anglia auctoritatis, eques auratus, baro albonae, in aula britannica archiatrorum comes, multis virtutibus inclytus, ad ſenium vſque omnibus venerabilis, ſplendido epitaphio poſt fata honoratus. Norunt omnes, quantum, etiam apud viros eruditiſſimos, valeat auctoritatis praeiudicata opinio; quid mirum igitur, quando fortuito bene ceſſit *Mayernio* hoc medelae genus, quod illud primo Londini ciuitate donatum fuerit, et poſtea latius propagatum. Videamus et ſollicite examinemus hiſtoriam illius morbi, a clariſſimo viro relictam [b]), qui anſam dedit inſtituendo experimento. Dum de pleuritide agit, *in ſero acri*, inquit, *latet ſal pungens*, *et mem-*

a) *Pharm. rat. II. p. 224.*

b) *ſyntagm. praxeos med. lib. II. cap. V. p. 170.*

membranam vellicans, vnde dolor; ſerum hoc ſi diuertatur, ſublata cauſſa, procul dubio tolletur effectus. Ita ratiocinabatur *Mayernius*, theoriamque ſibi formabat, *Helmontianam* de ſpina infixa olentem, ſed falſiſſimam; ſecundum hanc, vnum ſal pungens debebat extrahere, et diuertere alterum. Meliorem ideam fouit WILLISIVS [c]), qui bene cognouit, cauſſam proximam pleuritidis eſſe *ſanguinem, in membranae pleurae vaſis minoribus, ob lentorem aggeſtum, indeque ob turgeſcentiam, phlegmonen excitantem.* Haec autem pleuritis vera phlegmonodes naſci poteſt ab optimo ſanguine, omnis ſalis pungentis experte, in ſaniſſimo homine, tempore hyemali. Eapropter per ipſa principia *Mayerniana*, applicatio Veſicatorii ſaltem quadraret ad pleuritidem rheumaticam, ſpuriam, quam a ſero acri deducere licet, ſine manifeſta febre affligentem, non ad ſanguineam inflammatoriam. Scribit interea nihilo minus *Mayernius* porro: *Ego Thomae de Vaux, Londini, poſt omnia facta, quae pleuritidi conferunt, perſeuerante lateris dolore intolerabili, cum febre ſumma, cet. parti ipſi dolenti iuſſi applicari amplum Veſicatorium, a quo per plures dies, attracta et euacuata ingens ſeri, ſiue ichoris copia, ſublatus dolor, et aeger, variis morbis attritus, et moribundus, conualuit.* De veritate caſus, abſit, vt dubitem, ſed refero ſanationem ad illos, qui fortuito et bonitate naturae feliciter terminantur, licet medici multum in praeſcribendis remediis peccauerint. Ipſa vlterior caſus enarratio docet, aegrum non breui ab applicatione fuiſſe leuatum, (vt gloriari ſolent Veſicatorii fautores) ſed per plures dies multas aerumnas paſſum, ita vt fractis omnibus viribus, in mortis faucibus haereret, e quibus tamen bona fortuna euaſit. Sed contemplemur ſedulo omnia, quae ante applicationem Veſicatorii facta ſunt. *Mayernius* in genere in pleuritide vnam venaeſectionem commendat, de repetendis, quae febrem mitigaſſent, vt ſaepe ſaepius fit, prorſus tacet. Dedit antimonium diaphoreticum, quod potenter ex eius mente

c) *Pharm. rat. II. p.* 102.

mente humorum coagulationem prohibet, et iam coagulatos diſſipat, quodque tuto poteſt exhiberi, quod autem, demonſtrante BOERHAAVIO [d]), iners noxiaque calx eſt, carens omni actuoſo, deprehendendo per obſeruationes, carens omni bono, ſi fuerit ablutum, cuius ergo vſum diſſuadet. Porro *Mayernius* lapidem prunellae bis, terue, in die dedit, quem mirabiliter calorem extinguere et febrem ſedare, recte dicit; ſed doſis eius fuit nimis parca. Porrexit etiam ſtercus equilinum, expreſſum, vino albo dilutum, a quo multos deſperatis rebus conualuiſſe dicit. Miror ego! certe enim ſtercoraceum hoc iulapium non, vt lapis prunellae, refrigerat, nec ſuccus naſturtii aquatici et hortenſis, quem dedit, licet additum oleum et acetum, eius irritantes ſtimulos aliquantiſper obtuderit. Nolo peccare in ſacros *Mayernianos* manes, attamen aſſerere cogor, non acta omnia illa apud aegrum fuiſſe, quae agenda erant, et hodie agerentur. Defuit venaeſectio repetita, defuit largius nitrum; largius acetum et oleum; abfuit mel, defuere potulenta demulcentia, tepida; defuere omnia externa relaxantia et emollientia, quorum loco pulli iuniores, per medium ſecti, lateri appoſiti laudantur. Si omnia haec, quae defuerunt, adfuiſſent, abfuiſſe ſalua conſcientia poterat Veſicatorium, aegerque citius obtinuiſſet leuamen, neque inter tot aerumnas ad notabile vitae periculum fuiſſet adductus, antequam ex eo bona fortuna eluctatus eſt.

Interim ab hoc externo remedio, quod a ſagaciſſimo *Mayernio* ſe primum didiciſſe dicit, ſe multis iam annis commodum compertum habere, refert vir ſummus, *Richardus* MEAD [e]). Salua autem veneratione, quae glorioſae eius memoriae debetur, non diffiteor, mihi etiam eius methodum medendi pleuritidi, quam tradit, non ab omni parte arridere. Detrahi primo iubet ſanguinem, quantum opus eſt, an vna vice, an pluribus, detrahi velit, non certo conſtat. Deinde oleum lini laudat ad tuſſim, nitrum ad refrigerandum, porro ad

d) *in Chem. II. p. 452.*

e) *monit. med. pag. 22.*

ad ſanguinem, in canaliculis ſuis haerentem, ſoluendum, ſanguinem hirci ſylueſtris, (quod abſonum *Helmontii* remedium merito ſalſe perſtringit TRILLERVS [f]), et ſalia volatilia, quae nocentiſſima certe, et ad hunc finem, cui nitrum refrigerans ſimul optime proſpicit, prorſus inepta ſunt. Cum ſalia haec volatilia alcalina interne exhibuerit *Meadius*, mirum non eſt, quod et emplaſtrum Veſicatorium, lateri affecto impoſitum, inſigniter prodeſſe crediderit, ad foras extrahendum peccantem humorem, vt loquitur. At vero conſiderare poterat tantus vir, humorem illum peccantem non eſſe tenue ſerum, quod reſtitans, perſpiratione et ſudore, eliminari debuiſſet, ſed, vt ipſe dicit, eſſe ſanguinem, in ſuis canaliculis haerentem, lentum omnino, et hos obſtruentem, quem ideo ſoluendum eſſe, bene cognouerat. Sed ſi reſolutione pleuritis ſanari debet, quam ſemper intendere omni cura debet medicus, ad fluendum aptus redditus, loco mouendus eſt, per ſua vaſa integra manentia, non rupta, ita enim naſceretur abſceſſus. Verum, ex integris manentibus vaſis, ſanguis, qui iis impactus eſt, foras extrahi omnino nequit, ergo, in iis in circulum ſuum abripiendus, antea diſſolui debet. Illam autem rationem, qua ſeſe inſinuantes cantharides ſanguinem ſoluunt, illam phlogiſticam et alcaleſcentem indolem, quam ipſi affricant, *Mayernius* prorſus ignorauit, et ad eam eximius *Meadius* non attendit. Vterque alioquin bene perſpexiſſet, hanc ſolutionis viam ſanationi pleuritidis nequaquam bene congruere. Tanto magis ergo miror, *cel. Oſterdyck* SCHACHT [g]), confidenter aſſerere, nil eſſe, in quo in cura pleuritidis tantum praeſidii repoſitum ſit, quam in Veſicatorio, non ad remotiora tantum loca, ſed ad ipſam dolentem partem admoto.

f) p. 46.

g) *inſtit. med. pract. ſec. II. lib. VI. cap. I. §. 33.*

§. LIII.

Tunt et praecipue a Cl. Pringlio, cuius methodus conſideratur.

Horum magnorum virorum veſtigia exacte ſecutus eſt celeberrimus *Pringle*, quem, ſi vllum alium, vrgere Veſicatorium,

rium, dolenti loco applicandum; vt primum et ſpecificum remedium conſiderare; atque adeo venaeſectioni aut praeferre; aut cum ea aequae virtutis habere; non ſine admiratione video. De venaeſectione quidem, primis tribus vel 4. diebus audacter repetenda, ac ſputo critico reiici incipiente, et pergente, ſaltem omittenda, loquitur eximius PRINGLIVS [a]). Aſſerit interea, Veſicatorium totam curationem breuiorem reddere, atque magnae quantitati ſanguinis emittendi, qua, ſine illo, ad ſanationem opus erat, parcere, tantaque eius iactura curationem minime indigere; pleuritidem nempe ſimplicem, aut cum pulmone mediocriter affecto, parca venaeſectione eſſe curabilem, magnumque Veſicatorium in loco dolente, verum eius eſſe remedium. Liceat mihi, pace viri ſummi, quem, meritorum eius pulchre gnarus, impenſe veneror, eloqui libere, quid ſentiam. Pleuritis ſemper febrem acutam comitem habet, oriturque plerumque ex febre acuta praecedente [b]). Haec febris ſaepe notabili tempore praecedit dolorem lateris [c]); hac febre, illud lentum inflammatorium in loca intercoſtalia deponitur [d]). Sine dubio ergo eo tempore, quo pleuritis adeſt, omnis maſſa ſanguinis lentore phlogiſtico eſt referta et onuſta, aliter enim is, poſt quartam, quintam, ſextam, venaeſectionem, ſeſe non adhuc conſpiciendum exhiberet; et praeterea exſcreatu tanta copia lentiſſimi ſputi non poſſet excerni. Poſcit nunc morbi ſanatio, niſi benigna reſolutio, leuiore ipſo exiſtente, impetranda ſit, vt lentum hoc phlogiſticum, in parte affecta fixum, attamen et in tota ſanguinis maſſa oberrans, vtcumque ſolutum, aut ſputo, bona criſi, eiiciatur, aut multis venaeſectionibus educatur; namque non ſemel ſiccam manentem pleuritidem, ſolis venaeſectionibus, educta lenta materie, quae cruſtam inflammatoriam conſtituit, et antiphlogiſticis remediis, ſanatam vidi. Cumque corium hoc porcinum nulla arte in aqua tepida ſit ſolubile, dantur medici, qui aſſerant, omnem operam

a) *p. 162. edit. germ.*

b) *Boerh. aph. 882.*

c) *van Swieten III. p. 20. in fine.*

d) *Swieten II, pag. 80.*

eſſe

eſſe inanem, omnia remedia eſſe fruſtranea, niſi illud omne, miſſo repetitis vicibus ſanguine, cum hoc, ex vaſorum ſyſtemate, extrahatur. Iam ergo quaeritur, an Veſicatorium vim habeat, ita diſſoluendi lentum phlogiſticum in ſanguine, vt extractione eius per toties repetitam venaeſectionem non opus ſit. Hoc quidem *Pringlius* credere omnino videtur, hoc lucrum Veſicatorio aſſignans, vt magnam adeo iacturam ſanguinis praeuertat, et praecaueat, quae ergo ad medelam, poſt eius applicationem, non requiratur. Vt de hac magnifica ſpe, de hoc amplo promiſſo, rite iudicemus, conſideremus denuo, totam maſſam ſanguinis lentore phlogiſtico refertiſſimam eſſe. Vt ergo ad non ſolutum lentorem extrahendum, vna venaeſectio haud ſufficit, ſed plures requiruntur, ita etiam, ſi ea carere queamus, ad non ſolutum attenuandum, vnum ſoluturum Veſicatorium non ſufficiet, ſed plura requirentur; nam inter ſoluendum et ſoluens debet eſſe proportio, maxime, cum longam moram curatio pleuritidis non patiatur, ſed citam et maturatam expoſcat. Adeoque non ſoli lateri, ſed pluribus partibus plura ſimul admoueri deberent. Verum, vt videbimus, ipſe *Pringlius*, hoc damnoſum fore, iudicat, ſi alii parti, praeterquam affecto lateri, Veſicatorium imponeretur; ſed hoc ſimplex, et vnum, toti lentori, ſi eum etiam innocentiſſime ſolueret, certiſſime foret impar. Ill. HAENIVS, Veſicatorio quidem fauens, ſed late patentem illam vim, quam *Pringlius* ei tribuit, vt omnia eius conſilia probant, minime admittens, quaeſtionem practicam mouet: *An, euacuationibus aliis ſufficienter inſtitutis, Veſicantia diſſoluant cruorem phlogiſticum* [e])? ſapientioribus hoc determinandum relinquens. Magnum ergo, inter peritiſſimos hos in arte viros, opinionum diuortium! *Pringlius* quippe, parcam ſaltem venaeſectionem cum Veſicatorio requiri ad curam, affirmans, hoc ſolutionem ſufficientem lentoris praeſtare poſſe, tueri debet. *Haënius* non fidit Veſicatorio, ſoluturo lentorem, niſi euacua-

e) *rat. med. VIII, p. 169.*

 tioni-

tionibus aliis, et venaeſectionibus praecipue, antea ſufficienter praemiſſis. Quid nunc ego? Adducam diſſenſus arbitrum, ciuem *Pringlii*, MORTONVM, ad quaeſitum *Haënii* apte reſponſurum, et ſapienter, dum veram actionem Veſicatorii deſcribit [f]. *Veſicatorium*, inquit, *per inflammationem artificialem ſpiritus animales languentes et oppreſſos reſuſcitat. Conducit, non ob copiam lymphae, quam allicit; ſed ideo praeſertim, quod partes ſubiectas corrodat, ac inflammet, ac conſequenter diatheſin inflammatoriam maſſae humorum impertiat.* Si hoc ita ſeſe habeat, ego nunc audeo nouam formare quaeſtionem, an *praeſens inflammatio, addita, et creata in parte affecta inflammatione artificali, curari queat, et debeat?* Crediderim, ſi non inflammatae parti inflammationem inducat Veſicatorium, id iam inflammatae partis inflammationem vix ablaturum fore. Concipiamus pleuriticum gracilem et macilentum, membranam celluloſam fere vacuam a pinguedine habentem, huic muſculi intercoſtales cuti fere immediate ſubiacent, non manebit ergo, inducta per Veſicatorium, inflammatio in ſola cute, ſed diatheſi eius, adeo in omnes humores ſeſe diffundente, per cutem facile penetrantia, inflammantia, cantharidum ſpicula immediate tangent inflammatos muſculos, eosque arrodent. An vmquam in mentem venit medico, vt cauſtico actuali, in hoc ſtatu inflammatorio muſculorum, latus dolens tangendum voluerit? nonne autem ſal cantharidum, verum cauſticum potentiale, idem efficit? Plura dicam; illud vere foret innocentius, quam hoc. Ne vllus dubitationi et diſputationi locus relinquatur audiamus BAGLIVVM [g]. *Sunt ſtimuli*, inquit, *quorum nihil ſubſtantia intra humores communicatur, vt vſtiones ferro candente, frictiones, cucurbitulae, ſcarificatae et non ſcarificatae: ſed ſtimuli cum fermento illi ſunt, qui non ſolum partem rubificant, agitant, concutiunt, verum etiam aliquid commnnicant, vt Veſicantia, ſinapiſmi, dropaces, quorum particulae acres et in parte ſtimulant,*

f) *de febribus p. 40. et p. 186. 187.*

g) *diſſ. de Veſicantibus c. IV. §. 2.*

lant, et in ſanguinem reaſſumuntur. Vtrique ſtimuli potenter ſtimulant, tam ſolida, quam liquida, magis tamen ſtimuli cum fermento. Patet exinde, quam cauti eſſe debeamus in applicatione, nimis inſontium habitorum, Veſicantium, lateri pleuritico. Sed redeo ad *Mortonum*, et ad eius ſtylum adhuc quaero, *an in pleuritide ſpiritus animales ſint languentes, torpidi, oppreſſi, atque an ſtimulis indigeant?* Quis hoc facile dixerit! Agitati ſunt, feroces, furibundi, ita quidem, vt clariſſimi viri, cum dolor, etiam inflammationem nondum comitem nactus, ipſe ſit ſtimulus, ſanguinemque exaeſtuans, paregorica diacodiata laudent in pleuritide; vt HVXHAMVS [h]), opium ipſum commendauerit; SAUVAGES veſperi anodynum dederit, parca doſi, et linimento laudanum liquidum addi iuſſerit [i]). Ego quidem opiata non amo in hoc morbo, ſonticas rationes attuli in tractatu meo, *de opii vſu ſalubri et noxio*, et in epiſtola ad cl. *Ludwigium*, *de vi opii cardiaca*, gaudeoque, quod prorſus mecum ſentiat eruditiſſimus TRILLERVS [k]), nimis honorifice de mea tenuitate ſentiens. Hoc interim dico, ſi pacatione impetus, et refraenatione tumultus motuum, opus ſit in curatione pleuritidis, minus dextre in eadem adhiberi impetum circuli ſanguinei et neruoſi augentia, ſpirituſque in tumultus coniicientia, Veſicatoria.

h) *operum Tom. II. p. 228.*

i) *noſol. method. Tom. II. Part. I. p. 451. 461. 462.*

k) *in diſſ. de ſuſpecta opii ope in curanda pleuritide, Wittebergae 1774.*

§. LIV.

Quae vlterius expenditur.

Sane nec ad mutationem, quam fluidis haec inferunt, nec ad irritationem ſolidorum, per totum corpus ab earum actione ſeſe diffundentem, reſpexit oculatiſſimus ceteroquin in praxi medica, *Pringlius*, vt ex ſequentibus luculentius apparebit. Scilicet, quod tantum virum ſcripſiſſe doleo: *Si Veſicatorium*, inquit, *alii loco imponeretur, ſtimulo ſuo poſſet morbum augere; quoniam autem praeciſe in partem affectam agit, obſtructionem eius reſoluit, et hac ratione febrem tollit.*

Largitur Cl. *Pringlius* vltro, neque enim hoc poteſt diffiteri, per ſtimulum augeri morbum, excipit ſaltem locum affectum, in quo ſi ſtimulus tollat obſtructionem, hac ſublata, morbum tolli dicit. Fallitur autem inſigniter, quando in huius territorio limitari, ex bona forte voluntate, et intentione medici, actionem ſtimuli, neque vltra hunc extendi, ſibi perſuadet. Cuicumque loco ſentienti applicetur Veſicatorium, largum inſuper, ſemper et vbique ſtimulat, vna ratione, ſemper et vbique ſpicula immittit humorum oceano, eorumque craſin peruertit, ſemper et vbique febrem ciet, non aufert. Cantharides, veneno ſuo ſpirituoſiſſimo, corpus humanum adeo mutant, vt nil maneat intactum [a]); tritae in pollinem, aceto humectatae et fermento panis acido immiſtae, aut emplaſtro, penetrant per totum genus neruoſum, ad oſſa vſque, cum dolore, faciuntque in toto corpore febrem [b]). Sed acutiſſima febris iam adeſt, adeſt inſuper dolor, qui ſtimulo ſuo illam ſuſtentat et auget. Iam quando dolenti loco applicatur Veſicatorium, hic ſtimuli vim neceſſario magis etiam ſentiet, quam alius nondum dolens; ergo exacerbato in loco, antea iam dolente, dolore, ſtimuli actio in totum corpus neceſſario erit fortior. Sed forte obſtructio ſic, ex ſententia *Pringlii*, citius ſoluetur, et hac ſoluta, ceſſabit febris, et cum ea totus morbus. Inhaereamus huic conſiderationi diutius, eamdemque rigoroſiſſime examinemus. Quaero cordatus ex medico, fautore Veſicatorii, in quem finem proprie id applicet, quid ab illo vere factum velit, qualem effectum ſibi, vt a cauſſa, polliceatur? Reſpondebit protinus, ſe velle et exſpectare reſolutionem liquidi ſtagnantis, quod vaſa obſtruit, quoniam, ſi hoc non loco moueatur, et excernatur ſat cito, niſi ſcirrhus fiat, id cum vaſis detritis abiturum eſt in pus, vel putredinem conceptumrum, et abiturum in gangraenam. Simul autem concedet, non niſi haec tria requiri ad ſtagnantis motum progreſſiuum, ſeu ad reſolutionem, 1. vt

a) *Boerhav. de morbis neru. p. 211.*

b) *ibid. pag. 748.*

adſit vis motrix. 2. vt liquidum ſit meabile, ſatis attenuatum et blandum. 3. vt vaſa ſint patula, et laxa. Iuſta ergo vi motrice vitali praeſente, quam venaeſectio reducit ad debitum moderamen, (nam a nimio impetu deſtruerentur vaſa, ſequereturque abſceſſus, et gangraena,) nil aliud requiritur, quam vt moles obſtruens attenuetur, et vaſa laxiora reddantur. His impetratis reſolutio, ſi poſſibilis fuerit, optime ſuccedet. Venaeſectio igitur, oxymel, nitrum, oleum, diluentia, laxantia, calide epota, fomenta, emollientia ſunt optima, et vnica pro his finibus remedia, neque aliis opus. An ad hos ſolos ſtabiliendos fines obtinendos vtiles erunt cantharides? Illae primo impetum febrilem, moderamine egentem, non moderantur, ſed augent; augent inſuper etiam affluxum in locum affectum, quod iam facit dolor, qui ſola venaeſectione repetita poteſt minui, augentque tanto magis, ſi haec ex mente *Pringlii* non neceſſaria iudicetur. In liquidum ſtagnans dum agunt, quod non extrahere poſſunt, niſi vaſa eroſerint, et diſſoluerint, illud aut coagulant, ex mente *Veratti*, adeoque ad motum ineptius reddunt, aut, ex aliorum mente, id quidem ſoluunt, ſed adimunt ipſi blandam indolem, et in ichorem, in liquamen acre, alcaleſcens, conuertunt. Agunt deinde et in vaſa partis inflammatae, eaque ſtimulant, criſpant, ſtrangulant, motum liquidi in iis impediunt. Igitur omnino gangraenae metuendae famulantur, dumque ſe humoribus omnibus immiſcent, eamdem labem ipſis omnibus affricant. Notabilem locum inuenio apud Ill. *Roſén de* ROSENSTEIN, fautorem Veſicatorii, ex quo tamen, niſi omnia me fallunt, clariſſime apparet, non adeo ſalutiferam ſemper et innocentem eſſe eius applicationem in latere pleuritico, vt putatur. Ità propria eius verba ſonant: *Poſt largam venaeſectionem, Veſicatorium illi loco admouetur, in quo dolor ſentitur. Si locus hic intra ſpatium diei vnius, ab applicatione, exſiccetur, in magno vitae periculo verſatur aeger;*

ger;

ger; ſi caeruleſcentem colorem induat, moritur. Si plagae inſpergatur puluis cantharidum, cum ſpe, fluorem in illa excitandi, aeger ſtranguria corripitur, inflammatio in abdomen proſerpit, et necat [c]). Multum fauet in pleuritidis medela Cel. COLLIN [d]) Veſicatoriis, interim tamen non potuit diffiteri, fuiſſe aegrum, qui ab iis nullum leuamen habuit, ſed gangraena mortuus eſt. Conſideratione digna eſt haec rerum facies, nil ſane allicientis et blandientis habens. An hi effectus omnes funeſti ſoli pleuritidi, etiam peioris notae, adſcribendi, an Veſicatorio, male pro ſananda pleuritide applicato? Sane quo fortior haec, quo plus in gangraenam vergit, quo magis venaeſectio negligitur, eo magis funeſtum hunc exitum promouebit et accelerabit Veſicatorium. Dolorem, vrgentiſſimum ſymptoma morbi, quia febrilis eſt, et inflammatorius, non certo minuunt Veſicantia. Leuamen eius proprie pendet a moderamine impetus, et laxitate vaſorum, tenſioni facilius cedentium. Venaeſectio et emollientia hoc felicius praeſtant, quam irritantes et pungentes cantharides. Memorabile eſt, modo laudatum Ill. *de* ROSE'N [e]), aliquot paginis interiectis, vbi non de Veſicatorio, ſed data opera de medela pleuritidis agit, Veſicatorii nullam prorſus mentionem facere, ſed tantum praecipere, vt venaeſectio tam diu reiteretur, donec pungens dolor deſinat, reſpiratio libera ſit, et pulſus mollior. Haec venaeſectio verum eſt reſolutionis impetrandae remedium, obſtructioni tollendae par et ſufficiens, ſi relaxantia et antiphlogiſtica ipſi iungantur; neque his adminiculis in ſubſidium vocatis, ancipite valde Veſicatorio opus.

c) *in pharmacopolio domeſtico, iuſſu regis edito edit. germ. p. 48.*

d) *Anno med. Ill. p. 12.*

e) *p. 15.*

§. LV.

Et adhuc fuſius, vbi ſimul Cl. Cloſſius adducitur.

Redeundum mihi iterum eſt ad Cel. PRINGLIVM, qui, vt ſuo Veſicatorio maiorem ſplendorem, et auctoritatem conciliet, methodum, in latere veſicas excitandi, perantiquam eſſe, et ſinapiſmis praeſtitam, monet, ad CELSVM prouocans,

cans [a]), nunc vero in Anglia communem eſſe, per Veſicatoria, Cantharides habentia, aſſerit.

a) *lib. IV. c. 6.*

Merentur Angli medici omnino, vt eos imitemur. Poſt *Hippocratem*, maiorem practicum vix ſol adſpexit, quam immortalem *Sydenhamum*. Attamen non ſine exceptione omnia, quae in Anglia aguntur, ideo bona ſunt. Ardet iam in hac fortunatiſſima ceteroquin inſula febris acuta inflammatoria, ſaluti et felicitati publicae abſceſſus et gangraenas minitans, quae, ſi audirentur *Sydenhami*, *Huxhami*, *Whyttii*, demulcentibus, diluentibus, emollientibus, certius et citius ſanaretur, quam irritantibus, calefacientibus, et Veſicantibus. Tamen horum vſus in febre acuta pleuritica non videtur eſſe vniuerſalis in Anglia; namque in aliquoties allegato, a medicis et chirurgis regis edito, ſic dicto *nucleo totius medicinae* [b]), dum vſus Veſicatorii docetur, eius adhibitio in omnibus morbis inflammatoriis prohibetur, et ne verbulum de eo in pleuritidis medela affertur, culterque phlebotomus potius commendatur.

b) *edit. germ. p. 40.*

CELSI verba, ad quae Cl. *Pringlius* prouocat, haec ſunt: *Remedium magni et recentis doloris eſt ſanguis miſſus. At ſiue lenior, ſiue vetuſtior caſus eſt, vel ſuperuacuum, vel ſerum id auxilium eſt; confugiendumque ad cucurbitulas eſt, antea ſumma cute inciſa. Recte etiam ſinapi cum aceto ſuper pectus ponitur, donec vlcera puſtulasque excitet, et tum medicamentum, quod humorem illuc citet* [c]).

c) *L. IV. C. VI.*

Vt nil dicam, ſemen ſinapi cum aceto longe mitius irritare, quam vrentes cantharides, quae, vt ex ſupra dictis apparuit, nil minus, quam antiquitati familiares fuerunt, id tantum noto, ſi ego quidem mentem *Celſi* rite capiam, eum mihi hoc remedium ſaltem commendare videri, quando morbus vel leuior eſt, vel vetuſtior, reliquis antea agendis iam actis. De hoc argumento in ſequentibus. Si quid igitur video, *Cel-*

ſus minime patrocinatur illi conſilio, quod, poſtquam ad eum prouocauerat, *Pringlius* ſuppeditat.

d) pag. 163. Quaerit nempe hic d), ratione temporis, an magis conveniat, Veſicatorium ſtatim in morbi principio applicare, anne antea, quam pulſus poſt repetitas Venaeſectiones mitior redditus fuerit? Hoc vltimum quidem a Cl. *Pringlio* exſpectasſem, quia aliquot paginis antea e), diſtinguens tempora febris, diſerte ſcripſerat, pulſu adeo debili, vt euacuationes non amplius ferat, Veſicatoria eſſe praecipua remedia, citiuſque ea numquam adhibenda eſſe, niſi in aliquibus paucioribus caſibus, quorum mentionem ſe facturum promittit. Non putarem, centurias pleuriticorum, practicis obuenientes, ad hos pauciores caſus referri poſſe; palam interim affirmat vir celeberrimus, experientiam ipſum eo deduxiſſe, vt Veſicatorii maturam, citam applicationem ſerae praeferat; ſe enim in cura multorum aegrorum, in noſocomiis, ab applicatione illius, immediate poſt primam venaeſectionem, nil aduerſi, ſed potius e contrario citum magis et ſecurius auxilium obtinuiſſe. Imo vero aſſerit, ſi chirurgus non ſtatim praeſens fuiſſet, ſe emplaſtrum applicuiſſe, et contentum fuiſſe, ſi ſaltem vena ſecaretur ante, quam cantharides ſtimulo ſuo agere inciperent. Emplaſtri magnitudinem volae manus cum digitis fuiſſe, ſimul notat.

e) p. 150. 151.

Declinante morbo, ſub certis circumſtantiis, bene multi medici Veſicatorium admittunt, et applicant, quos in ſequentibus adducam, hique adeo tacite omnes repugnare debent applicationi in principio. Sunt vero, qui aperte contranitantur. „Veſicantia, ait BAGLIVVS f), aliique huiusmodi ſtimu„li non ſunt adhibendi in corporibus ſucciplenis, plethoricis, „et nimia humorum copia repletis, niſi prius depleantur vaſa, „per miſſionem ſanguinis. Per ſtimulos Veſicantium maior „in fluidis fermentatio, turgeſcentia, orgaſmus, et in ſolidis „viuida quaedam oſcillatio — — ſiquidem poſt *intempeſtiue*

f) p. 659. §. 4.

„exhi-

„exhibita Veſicantia, nil obſeruamus frequentius in praxi, „quam febris exacerbationem, deliria, inflammationes viſce„rum cet.“ Hanc cautelam etiam in omnibus morbis aduertendam eſſe, inculcat BOHNIVS g), ne, niſi vniuerſalibus praemiſſis, venaeſectione ac catharſi potiſſimum, Veſicatorium admoueatur, alioquin ad locum veſicatum impetuoſius ruere ex toto humores. De pleuritide ſpeciatim non loquitur *Bohnius;* quid vero diceret, quando loco dolenti, ad quem iam ex lege microcoſmica copioſius et impetuoſius ruunt humores, Veſicatorium ante venaeſectionem, et cum ea, aut breui poſt eam, applicandum eſſe audiret? At vero in pleuritidis medela ſpeciatim tradenda occupatus, *van* SWIETEN h), multis laborat, vt *Bagliuus* bene intelligatur, quando in hoc morbo ſub certis circumſtantiis, de quibus in ſequentibus agam, Veſicantia commendat, ne in ipſo initio, ante praemiſſas venaeſectiones applicentur, atque deinde ſua notata his verbis obſignat: *Adeoque videtur concludi poſſe, quod cantharidum vſus minime tutus ſit, vbi valida febris, calor magnus, et putredinis metuendae ſigna adſunt.* Notabile eſt, quod, quando Veſicatorio venaeſectionem poſtpoſuit *Pringlius*, hanc tamen adminiſtrari voluerit ante, quam illud ſtimulare inceperit; igitur a ſtimulo aliquid ſiniſtri ipſum timuiſſe certum eſt, venaeſectionis effectu auertendum. Poterant a feſtinata Veſicantis impoſitione Cl. virum aliquantiſper retinere monita HVXHAMI i), *Profecto,* inquientis, *quando ſola ſanguinis aucta commotio excitare poteſt febrem, quidquid hanc commotionem augebit, illam prolongabit, et adaugebit. Itaque hac ratione Veſicatoria, quae ſal acre quoddam ſanguini addunt, et fibras inſigniter ſtimulant, certe minus conueniunt in principio, ad minimum in omnibus febribus ardentibus, et inflammatoriis.* Attentione dignum eſt, quod PRINGLIVS k) Veſicatorio non fidat, ſi forte eo admoto ſymptomata diſpareant, ſed tutius eſſe dicit, venaeſectionem repetere, niſi ſudor remiſſionem doloris comitetur.

g) *de officio medici p. 318.*

h) *Tom. III. pag. 46. 47.*

i) *Tom. II. p. 23.*

k) *p. 164.*

 Adeo-

Adeoque aſſerto ſuo, de quo in antecedentibus dixi, parcae venaeſectioni auſcultare pleuritidem, ſi ſaltem ſtatim Veſicatorium imponatur, videtur contradicere. Si repetitis venaeſectionibus, etiam poſt Veſicatorium admotum, opus, haeque toties ſolae, experientia teſte, morbum iugulent, et ad *Sydenhami* phraſin, ex ſectae venae orificio pleuritidi fugam, et per hoc ſanitati reditum parent, cur, quaeſo, ruditer vellicans hoc et irritans emplaſtrum gratis applicaretur? Explicaui perſpicue, cur methodum *Pringlii* non libenter imitarer, ſed ille ad multos aegros ſuos et experientiam prouocat. Pace magni viri dixerim, militum duro de robore ſatorum corpora, omnibus iniuriis ferendis adſueta, generisque neruoſi ſenſibilitate et irritabilitate haud praedita, forte alias medendi methodos, etiam herculeas et ancipites, ferre, quam, quorum non adeo mediocris numerus datur, tenerioris conſtitutionis homines, ſecuriorem et tutiorem viam poſcentes, cum quibus mihi longe ſaepius agendum fuit, quam cum indomitis et minacibus illis viris, ferro et igne toties non ſuperandis, et cantharidum etiam virus forte eludentibus. Forte etiam in noſocomiis caſtrenſibus a praxi rudis quid et tumultuarii eſt inſeparabile. Attamen *Prigliana*m methodum ipſis adeo infantibus adaptauit Ill. Archiater Suecicus, ROSE'N *de* ROSENSTEIN [1]), qui dum de pleuritide, ad morbillos accedente, agit, ſtatim poſt venaeſectionem Veſicatorium dolenti parti admoueri iubet. Miror omnino! forte autem ſub aſpero illo et frigido Ioue, in Suecia, a primis incunabulis hominum fibrae rigidiores minore gaudent ſenſibilitate, quam ſub aliis zonis mitioribus; eaque propter ibi irritantes ſtimulos facilius ferunt. Ego in noſtris regionibus, eximium virum, quem tanti facio, quoad hanc medendi rationem imitari vix auderem, de puſionum teneriore et valde irritabili textura multis experientiis conuictus. Suaſi aliquando, vt puero, annum egreſſo, vomitionibus fatigato, poſt alia acta, applicaretur empla-

1) *de morbis infantum* §. XIV.

emplaſtrum ſtomachale. Neſcio, quo infortunio, huius loco, Veſicatorium, e pharmacopolio acceptum, admotum fuerit. Non ceſſant, ſed exaſperantur vomitus, nox inter eiulatus et iactigationes abſumitur, mane accedunt motus conuulſiui; error in oculos incurrit, toto abdomine inflammato. Oleoſa emulſione, et externis demulcentibus, emollientibus, tandemque lenibus ſaturninis, paruulus ſeruatur. Nollem ergo, motibus vel in neruoſo ſyſtemate, vel in vaſculoſo rubro, exacerbatis per ipſum morbum, Veſicatoriis vti, et omnium minime apud iuniores aegros, etiamſi ipſis, quod Cl. *Roſen* vrget, camphorae puluis admiſceretur. Mallem ex aliis omnibus topicis, quae ſimul collaudat in pleuritide, aliquod eligere, maxime cum optionem medico relinquat nec dicat, ſe Veſicatorium his praeferre.

Clariſſimum CLOSSIVM m), ſilentio praeterire nequeo, fidelem *Pringlii* ſectatorem, qui, acutiſſimas pleuritides vnam ſaepe venaeſectionem, non valde largam, Veſicatoriis ſimul in vſum vocatis, ſuſtuliſſe, in malo minori ſine his, vix quatuor vel quinque, easdemque vberrimas, profuiſſe, affirmat. A reſolutione igitur, non a reuulſione ſanguinis maxima ex parte pendere eximiam illam virtutem, qua Veſicatoria in febribus inflammatoriis, vt pleuritide, phrenitide, cet. ſe commendant, ſimul aſſerit.

m) *de noua methodo curandi variolas* p. 28.

Quam hoſtilis blandae humorum craſi ſit haec a cantharidibus obtenta reſolutio, quam certo illam totam peruertat, corrumpat, acremque et ad putredinem procliuem efficiat, quam parum inflammationi feliciter ſanandae eapropter ſit congrua, ita, opinor, in antecedentibus explicaui, vt repetione hic loci non opus ſit.

§. LVI.

Defenſor vſus Veſicantium in Pleuritide, Cl. Forſten modeſte refutatur.

Satis clare indicaui hactenus, cur poſt meam 50. annorum praxin, non mediocrem, qua, per DEI gratiam, multis pleuriticis ſine veſicantibus profui, non facile perſuaſionibus

bus et elogiis doctiſſimorum Virorum, quos coeteroquin magni facio et in multis aliis ſequor, me abripi paſſurus ſim, vt meam ſententiam, ſolidis rationibus et experientiis nitentem, derelinquam. Amicitiam et concordiam amaui per omnem vitam, neminemque laedere, quantum potui, anniſus ſum, aegre itaque a me impetraui, vt contradicerem Eximiis Medicis. Interim Amicus mihi eſt Ariſtoteles, Amicus Plato, ſed magis amica veritas. Huius ſola conuictione ductus adhuc obligor, vt ea, quae de Veſicatoriorum vſu ſcripſerunt Clariſſimi Viri *Forſten* et *Caſimir Medicus* contempler accuratius, et humaniter refellam. Legi non ſine dolore, Cel. FORSTEN vltro aſſerere [a]), *varios Autores illa Practicorum Regula, quod omne calefaciens, irritans, impetum augens, in plouritide, damnoſum ſit, ſeductos fuiſſe, vt vel meticuloſe hoc remedii genus adhibuerint, vel vt tanquam inutile, et noxium plane reiecerint.* Nil boni quidem ego futuris temporibus, ſed infelicem et tumultuariam Empiriam (dogmatica Medicina in exilium miſſa) longe lateque dominaturam ominor, ſi a practicis regulis, non ſola experientia, ſed eidem, vt decet, iuncta Ratione, ſtabilitis, hisque inconcuſſis fundamentis nitentibus, nihil ominus recedamus easque obiter habeamus et flocci faciamus. Quinam autem demum illi ſunt, qui hanc a *Forſtenio* memoratam regulam in pleuritidis medela inculcant? *Sydenhami, Huxhami, Hoffmanni, Boerhaauii, Swietenii, Tiſſoti!* Vtinam omnes praxin exercentes fides hos duces exacte ſequerentur per omnem vitam, a quibus omnis ſeductio, ſi ab vllis aliis Autoribus abeſt, mirum quantum, quam bene conſultum foret aegrorum ſaluti! Methodum medendi Pleuritidi tradens BOERHAAVIVS [b]) expreſſis verbis regulam tradit, *omne exſiccans, calefaciens, impetum augens vitandum, vt calor aeris, victus, medelae*, quare et victu tenui, molli, refrigerante antiphlogiſtico opus eſſe dicit. Si illa vitanda, ſi hoc opus, numne vitanda erunt veſicatoria? an iis vlla ratione foret opus? Inculcat

van

a) *p. 183.*

b) *aph. 890.*

van SWIETEN [c]), *Omne irritans, calefaciens, impetum augens, dammoſum eſſe in pleuritide.* Dum noua methodus huic morbo medendi per veſicantia ipſi neceſſario in mentem venire debebat, ſtatim quaerit, quid de iis ſentiendum ſit? Seria et ampla reſponſione ea reiicit penitus, et non niſi in ſymptomate quodam vrgentiſſimo, ſine quo multoties pleuritis ſui decurſum feliciter abſoluit, poſt multas Venaeſectiones et fractum morbi impetum, ea admittit. Maneamus firmi et ſecuri in aureis his regulis! et nunquam ſeducemur.

c) *Tom. III. p. 46. ſeq.*

* * *

Iam Cel. FORSTEN [d]) probat argumentis euidentiſſimis, Pleuritidem verum eſſe morbum inflammatorium, et quidem topicum, acuta febre ſtipatum, in ſanguine diatheſin phlogiſticam cum cruſta exhibentem. Indicationes firmat ſequentes, obſtructionis et ſpaſticae ſtricturae reſolutionem; motus impetuoſi humorum in affectam partem imminutionem; diatheſis phlogiſticae ſanguinis correctionem, ſeu ſpiſſitudinis attenuationem. Bone DEVS! quis crederet, articulis verae fidei adeo bene ſibi cognitis, orthodoxum Virum in tantas haereſes prolabi potuiſſe, vt breui videbimus. Sine reſpectu ad illos vnice prouocat ad *Oſterdykium Schacht*, effato ſuo Veſicantium vſum in Pleuritide laudantem. Ipſe autem *Forſten* dicit, *Veſicatoria loco dolenti admota, ſerum educere, nimis turgentia in loco vaſa deplere, ſicque motum a tergo in locum obſtructum minuere.* Sub cuticula eleuata eductum et collectum ſerum oculis obiicitur; quaeritur nunc, cur, et ex qua ſcaturigine ibidem confluat? Reſpondet BAGLIVVS [e]), humores hos eructari partim a poris cutis, et glandulis cutaneis, partim ex arteriolarum oſculis. Scripſerat quoque ipſe FORSTEN [f]), liquidum hoc ſtimulo allectum eſſe materiam perſpirabilem, per poros cutis, perpetuo erumpentem, nuncque collectam, et liquidum palpabile conſtituentem. Non ergo ſerum hoc fuit

eductum

d) *p. 184.*

e) *p. 665.*

f) *p. 136.*

eductum ex turgentibus in loco inflammato vaſis, nunc depletis, ſed eſt id, quod vt inſenſibilis vapor e cute exhalaſſet, ſi veſicatorium non fuiſſet admotum. Inſuper in his vaſis ſtagnat viſcidus, tenax, phlogiſticus cruor, carens fluido ſero, ſi hoc haberet, non ſtagnaret. Neque ob legem microcoſmicam perpetuam: vbi dolor ibi affluxus, dolor a morbo permittit affluxus imminutionem, quamdiu durauerit, et dolor excitatus à veſicatorio illum motum a tergo non minus potius auget, tantum abeſt vt eum imminuat.

Porro prouocans ad Pringlium Cl. *Forſten* dicit, *Veſicatorium in pleuritide magis agere, tanquam antiſpaſmodicum quam euacuans, atque eatenus impetuoſos motus vaſorum et ſpasmos compeſcere.* Si hoc ipſum verum fuerit, modo laudatus effectus, ab euacuatione ſeri pendens, iterum cadit. Quod autem vim cantharidum antiſpaſmodicam attinet, non capio, quomodo remedium ſumme irritans, rodens et vrens, appellari queat antiſpaſmodicum; quomodo remedium, quod irritando et ſtimulando fibras contrahit, quod ſua natura, ſanae parti appoſitum, ſpaſmum dolorificum infert, iam praeſentem ſpaſmum doloroſum queat mitigare. Deinde etiam dolor pleuriticus non proprie eſt ſpaſmodicus, id eſt non generatur a ſpaſmo ſed oritur a vi febris, quae, dum infarcta vaſa appellenti ſanguini tranſitum non permittunt, harum ſenſibiles membranas dilatat, et extendit, atque vicinas fibrillulas nerueas et muſculoſas laceſſit. Hic ſpaſmus, haec dolorifica tenſio, ab impetu febrili enata, curatur Venaeſectione, et iis, quae vaſa obſtructa et extenſa relaxant, vt moles obſtruens, internis ſoluentibus ſoluta, commode per ea traiici queat.

Forſan autem veſicatoria ſoluunt impactum idque attenuant, et mobile reddunt, vt ad has dotes nunc recurrenti *Forſtenio* placet aſſerere. Facerent hoc, ſi humor pituitoſus iners lentus ſtagnaret in vaſis debilibus, inertibus, et laxis, quae

quae exſtimulata, in illum fortius agerent, febre in affecta parte mota, et acri ſua indole illum ſoluerent. Sed in vaſis duris, tenſis, elaſticis ſtagnans ſanguis phlogiſticus, in quae is a tergo per ſingulos ictus pulſuum febriles magis impellitur, denſatur, compingitur, a remedio ſtimulantiſſimo et affluxum iugiter aduocante, non ſoluitur, et ſi ſoluatur, ſoluitur in liquidum acre, phlogiſticum, alcaleſcens, quod ad reſolutionem, quae intenditur, humorem fluentem, blandum, benignum poſtulantem, minime quadrat.

Sed alia iterum Veſicantis virtus in conſiderationem venit. Nempe reuellere dicit Cl. *Forſten* Veſicantia, dum ſtimulo ſuo, quem excitant, vaſculorum minimorum cutis actionem incitant, eorumque oſcillationes frequentiores reddunt. Si reuellant, actio eorum debet ſubſiſtere in cute, atque ex muſculis intercoſtalibus, pleura et pulmonis ſuperficie humores in eum attrahere, cum reuulſio ſit determinatio maioris humorum affluxus, ab affecta parte, ad aliam. Sed antea dixerat Forſten, penetrare vim veſicantis ad ipſam partem affectam et in ea obſtructiones ſoluere. Si hoc faciant, non reuellunt; ſoluta obſtructione nulla reuulſione opus. Quodſi vero etiam ſieret reuulſio, eſſet ſane parui momenti, Optime ſcripſit BAGLIVUS[f]): Quicquid per veſicantia euacuatur, exiguum eſt, neque ad minuendam peccantem materiam ſufficiens. Quam inanis ergo reuulſio, ſi paruulam quantitatem reuulſi ſeri, cum inſigni copia lentoris phlogiſtici, per totam ſanguinis maſſam oberrante, compares. Vnicam, eamque validam reuulſionem praeſtat Venaeſectio repetita, cum fotubus et balneis emollientiſſimis, cutem relaxantibus, qui potenter ab interioribus reuellunt.

f) p. 665.

g) p. 184. Non veretur interea Cel. FORSTEN [g]) demonſtrationem, quomodo a Veſicatorio ſanetur Pleuritis, et quod certo ab eo ſanetur, ſequentem ſuppeditare. *Veſicantia auferunt in affecto loco materiem ſtimulantem; ſic cito ſatis perire conſtrictionem ſpaſmodicam, reſtitui per partem antea inflammatam liberam circulationem, tolli impetum, ceſſare cauſam morbi, ergo ipſum curari.* Si Vir Clariſſimus ageret de Pleuritide ſpuria, quae rheumatiſmi ſpecies eſt, et tanquam inflammatio ſeroſa aut lymphatica h) p. 181. conſiderari debet, ſineque febre adeſt, in qua CHENEAU [h]) Ranunculum applicari ſuadet, tum ambabus manibus amplecterer eius ſententiam. Sermo vero hic eſt de pleuritide vera inflammatoria vaſorum rubrorum, in illa nullam materiam acrem, tenuem ſtimulantem aſſumere licet, quae conſtrictionem ſpasmodicam cauſaretur, talis ergo cum non adſit, auferri etiam nequit. Vera cauſa eſt ſanguis phlogiſticus ſtagnans, nullo peregrino ſtimulo infectus, namque ſaniſſima corpora inuadit pleuritis, ſanguisque ſtagnatione diducens et tendens membranas, dolorem ciet, qui a motu aucto ſanguinis liberi in ea appellentis, augetur. Haec cauſa attenuantibus, antiphlogiſticis, et moderato impetu auferri debet, et vnice poteſt. Qui haec momenta omnia conſiderat et cum demonſtratione Cl. *Forſten*, quomodo Veſicatorio morbus curetur, comparat, facile videt, multa ab eo falſo praemitti, atque gratis et precario ſupponi, quae longe aliter ſe habent; adeoque eliciendae concluſioni de certa aegri ſalute minime fauent.

i) p. 186. Miratur deinde FORSTEN [i]), non magis vetuſtum eſſe Veſicatoriorum vſum in Pleuritide, cum *Celſus* iam lateri pleuritico applicaſſet *Sinapiſmos*. Ad *Celſum* etiam prouocauerat *Pringle*, quid autem ad hoc momentum reſpondendum ſit, explicaui iam in antecedentibus.

Poſtea egregiam hanc praxin, vt vocat, *Meyernio*, *Anglis eum ſequentibus*, *Meadio*, *Pringlio*, *Huxhamo* adſcribit atque vniuerſaliter nunc receptam, *Swietenii*, *Haënii*, *Medici*, *Vogelii* opera, gloriatur. De *Meyernio*, *Meadio*, *Pringlio*, iam locutus ſum, perperam autem eum prouocare ad *Huxhamum*, *Swietenium*, *Haënium*, non minus ac *Trillerum*, ſi vellet, patebit in ſequentibus fuſius. *De Caſimiro Medico* agam ſeorſim. *Vogelii* diſſertationem, quae me conuertere deberet, mihi videre nondum licuit.

Nunc diluere ſuſcipit *Forſten* Obiectiones contra vſum Veſicantium, qui eapropter nondum vbique receptus videtur,

1. *quod ſtimulo ſuo febrem incitent*, *ſanguinisque circuitum et pulſum iam celerem et durum*, *magis deuiantem reddant.*

Reſpondet, theoreticam hanc contemplationem veri aliquam ſpeciem habere, ſi vero Practicorum experientiam conſulamus et attendamus ad illas vtilitates, quas Veſicatoria praeter ſtimulum adferant, et ad tempus, quando applicentur, patere, ſanguinis circuitum in hoc morbo ab iis applicatis non incitari, ſed pacari potius, et magis aequalem reddi. Sane hoc iudicium ab ipſiſſimo illo egregio Viro, qui data opera [k]) cantharidum efficaciam in totum corpus, eiusque totam neruoſam compagem, qui Veſicatoria, ſtimulando vaſa, circulationem incitare pulſumque celeriorem reddere, euidenter demonſtrauerat, non facile expectaſſem. Quis crederet, eum a ſe ipſo ſtabilita, ſuaque propria principia ex fauore nouae methodi poſſe deſerere, cui tamen haec aperte et e diametro contrariantur. Inconcuſſa ſtabit Veritas, donec corpus humanum id erit, quod eſt, et canthariides tales manebunt, quales fuerunt, eas febrem efficere, id quod in ſuperioribus ſatis euici; itaque nulla ratione circuitum ſanguinis modo intendere, modo iterum pacare. Iam ſaltem quaeſtio eſt, an pleuritico, febre intenſiſſima iam laboranti, expediat febrem adhuc

k) *pag.* 144, 148.

adhuc intendere, et exaſperare, atque an haec violentia febris arte aucta, curando morbo par ſit, an minus? Totus remediorum ſelectiſſimorum antipleuriticorum apparatus, in compendio exhibitus a *Trillero*, ab omni tempore complexus eſt nulla alia, quam febri moderandae paria, hanc ſolam ob cauſam repetitas VSes ſummi Viri ſemper laudarunt. Aut ergo omnia illa remedia minus congrua et adaequata ſunt, aut febrem manifeſte faciens Veſicatorium illum apparatum non poteſt ingredi, neque id eidem a *Trillero* fuit inſertum. VSe, quae princeps remedium eſt, vix adhibita, aut et ante eam adhibitam, tale emplaſtrum appoſuiſſe, idem eſt, ac ſi Medicum effectus, quem intendit, et obtinere laborat; ita poeniteret, vt cito citius illum iterum deperditum vellet, id eſt febrem denuo accenſam. In hoc momento verſatur praeſens ſtatus controuerſiae circa applicationem Veſicatorii; ſi aliquo alio tempore applicetur, in pleuritide, non incitari pulſum, ſed potius pacari, prorſus falſum eſt; rerum naturae hoc repugnat, quia ſemper et vbique pulſum excitat, febrenque facit ſuo ſtimulo. Habent interdum, certoque et determinato tempore, locum ſuum, in pleuritide, Veſicatoria, praeſente aliquo ſymptomate vrgente, vt in ſequentibus videbimus; ſed tum applicantur eo fine, vt pulſum excitent, non pacent, quod immediata ſua et phyſica actione efficere nequeunt. Eandem autem mentem, quae *Mayernio* et *Meadio* et *Pringlio* fuit, et nunc eſt *Forſtenio* et *Caſimiro Medico*, id eſt feſtinandam eſſe in ipſo morbi principio, vena vix, aut nondum ſecta, Veſicantis applicationem, etiam eſſe *Huxhamo*, *Swietenio*, *Bagliuo*, *Haënio*, *Trillero*, quos, vt hoc probet, adducit *Forſten*, nemo loca ab eo allegata intuitus et legens animaduertet, cum omnia contrarium ſtatuant. *Bagliui* ſpeciatim enunciata a ſiniſtra interpretatione egregie vindicauit *van* SWIETEN [l]). Sane vel vnicum eius inter plura alia, quando inquit: *In corporibus macilentis et gracilibus* (quae maxime pleuritidi obnoxia)

l) Tom. III. p. 46. 47.

xia) *a Veſicantibus faciliime vidi febris exacerbationem et quandoque, cum haec prope ſtatum eſſet, eam recrudeſcere cum grauibus ſymptomatibus* [m]), quae ſententia huic Viro fuerit aperte monſtrat.

m) *Operum p. 652.*

Sumit adhuc aliam obiectionem ſibi diluendam Cl. FORSTEN [n]), quod nempe Veſicantia humores diſponant ad Putredinem. Suis propriis oculis hoc didicerat, quibus cantharidum vim reſoluentem demonſtrarat [o]), iam vero nihilominus illam libenter negaret, aut ſaltem arctioribus limitibus conſtringeret. Aut ergo illa experimenta, quae id liquido docere agnoſcit ipſe et aſſerit, falſa ſunt, et ipſum ea inſtituentem deceperunt, aut res ipſa negari nequit, nulla hic effugia, nullae tergiuerſationes, in fauorem Nouaturientium hic iuuant. Minime ſe concedere dicit, quod ita humores ad putredinem diſponant, vt diatheſis putrida inde ſit metuenda. Obſeruauit FORSTEN propriis ſenſibus in ſuis experimentis cum ſanguine, ſaniſſimis hominibus detracto, cui puluerem cantharidum admiſcuerat, inſtitutis, vt ipſe loquitur, ſatis cito factam diſſolutionem cum putredinis ſignis, intra breue tempus, in gradu caloris homini naturalis. Vidit eam in cadaueribus animalium cantharidibus necatorum, cur ergo iam vellet hanc vim earum negare, et reuocare, quando quaeſtio iniicitur, an veſicantia huic vel illi morbo per huius naturam conueniant an non? Acutiſſima febris inflammatoria, quando necat, putredine necat gangraenoſa, ſub toto eius decurſu vitae timetur a putredine, ob aeſtum ſanguinis naturali multo maiorem. An metus inanis eſſet, ne putredinem, ad quam iam morbus ipſe diſponit, citius iuuarent et promouerent? Toties ex ſummorum Virorum conſiliis, mihi fauentibus, iam monui Veſicatoria prorſus vitanda eſſe, quando vitae metuitur a putredine.

n) *p. 190.*

o) *p. 143. ſeq.*

Recurrit deinde iterum Cl. FORSTEN ad vim cantharidum ſanguinem intrantem, qua denſitatem eius phlogiſticam ſoluant. Sed prorſus illa imaginaria eſt, ſi conſideretur, qualis ſolutio, quae ſalutifera eſſe queat, deſideretur. MORTONO [p]) teſte, ſperatae eiusmodi ſolutionis loco, veſicatoria inflammatoriam diatheſin ſanguini concilіant. Teſte HVXHAMO [q]), muſcarum harum ſalia ſimili fere ratione, vt ſalia volatilia alcalina, vim ſuam exerunt et profecto diſſolutionem, indeque ſanguinis putredinem promouent. An hos effectus a *Mortono* et *Huxhamo* indigitatos volumus in ſanatione Pleuritidis? Sed in putalitia ſua vi ſoluente ſolam non abſolui et conſiſtere bonitatem effectus autumat *Forſten*, verum et in eo, quod veſicatorium vaſa ſtimulat et motum ſanguinis ſufflaminatum incitet; quod profecto nemo, verum pleuritidis ingenium contuitus, ſerio in curatione efficiendum opinabitur, qui ſciuerit, non incitatione, ſed pacatione impetus, in ea opus eſſe. Paulo ante tamen etiam dixerat, quod veſicatoria motum nimium pacent, acſi ea agerent ex bona voluntate et arbitrio Medici, circuitum modo incitando, modo iterum pacando. Vt nitrum nunquam calefacit, ſed ſemper refrigerat, ita cantharides ſemper motum incitant, nunquam pacant.

p) *de febribus pag. 186. 187.*

q) *Operum Tom. II. p. 115.*

Iam vero in honorem Veſicantium Cl. *Forſten* adducit Caſum ex TRILLERO [r]), vbi bina ſuris applicata fuere cum fructu. Facile legentibus apparebit, illum plane et directo non pertinere ad pleuritidem, eiusque medelam, ſed ſiſtere aliquem rariſſime euenientem exitum morbi, per male ſana conſilia muliercularum corrupti, ita vt vehementiſſimis torminibus ſtipata adeſſet diarrhoea, cum pulſu debiliſſimo et ſputorum plenaria ſuppreſſione. Hic non aderat amplius pleuritis, ex artis legibus curanda, hic rebus conclamatis opus erat excitatione pulſus,

r) *p. 76.*

ſus, et pectoris oppreſſi leuamine, hic locum conuenientiſſimum habebant in ſuris Veſicantia. Sed hucusque ſermo nobis non fuit de ſuris, ſed de veſicatorio lateri dolenti, ſtatim in morbi principio, applicando. Totus caſus ergo huc non quadrans, ab hoc expectanda beneficia non probat. Qui placida et compoſita mente et ſine praeiudicio omnia, quae Cl. *Forſten* de vſu Veſicantium in pleuritide expoſuit, legere et relegere voluerit, videbit, quod ille ſe modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum torqueat, morbi diuerſas circumſtantias non bene diſtinguat, et ſtatum controuerſiae pro lubitu ſaepe mutet. Doleo, ſi eximium Virum, cuius raram eruditionem coeteroquin amo et magni facio, meis animaduerſionibus laeſero; ſi vero perpendere voluerit, quod promiſerit in calce prorſus egregii libelli, ſe monitoribus non aſperum eſſe velle, ſpero nos inuicem in gratiam redire facile poſſe.

§. LVII.

Accedo inuitus ad Cl. Virum, *Caſimirum* MEDICVM, qui, amplo Panegyrico, quem Veſicatorio in Pleuritide ſcribit [a]), ad tot ſuas experientias prouocans, me ab omni oblocutione deterrere debere videri poterat. Bonitati interea meae cauſae confiſus, audeo telam illam, quam texere incepi, vlterius texere. In omnibus Pleuriticis, ſine longa deliberatione et tergiuerſatione, ſineque omni mora, ſtatim confidenter veſicatoria loco dolenti ſeſe applicauiſſe dicit, poſt largam VSem praemiſſam. Siuit ea ad minimum per 10. vel 12. horas et diutius, ſi non ſatis operata eſſent, ſique plaga nimis cito ſaneſcere inceperit, nondum ſanatae iterum Veſicatorium applicauit, et per duos vel plures horas reliquit. Ita per inflammationem extus concitatam, ſecundum regulas ſtimuli, internam ſe ſanare tentauiſſe, ſemper ſcopum attigiſſe; citum leuamen obtinuiſſe, et reſpirationem, dolore oppreſſam, reſtituiſſe affirmat. Nolo dicta a Cl. Viro impugnare, quaero ſaltem ſince-

Placita Cel. Medici modeſte examinantur.

a) *Beobachtung. aus der Arzneywiſſenſchaft p. 336. ſeq.*

ſincerus, an omnes illi aegri reſtituti non alia ratione ſecurius, ideae morbi magis conueniente methodo et ſine nouis doloribus inductis, ſeruari et reſtitui priſtinae valetudini potuiſſent? Acclamabat olim, necem et vindictam ſpirans, ni fallor, *Nero Imp. militi, *feri, vt mori ſe ſentiant!* an benefica Hygaea pleuritidem curaturum Medicum duplicato veſicatorio ita ferire iuſſit, vt ſanari aegri ſe ſentiant? Cito, tuto et iucunde medendum eſt, quando res miſeri aegri triplici hac felicitate beari poſſunt. De repetitione Venaeſectionis, de fomentis emollientibus nil legitur, neque etiam interna remedia, praeter emulſum ſeminum, indicantur. Ego autem, famam meam non minus oppignoratus, confidenter aſſero, me magnum numerum pleuriticorum per 50. annos ſanaſſe ſine Veſicantibus.

Nunc Autor aliquot ſonticos caſus adducit, et primo quidem hiſtoriam pleuritidis mali moris ſuppeditat, ex qua potiora momenta excerpam: dolor ſummus, febris, pulſus ſumme plenus et durus, poſt tres Venaeſectiones applicatum veſicatorium, largum, id ſecuta ſumma inquies, febris perdurans, ſitis magna. Sequenti die antea mitigari viſus dolor redibat, reſpiratio erat anxia, pulſus tenſus, aeſtus ſummus, facies inflata, ſubſultus tendinum, delirium, debilitas ſumma (ſane hucusque nondum video adeo eximios effectus a Veſicatorio) iterum tale admouebatur, reſpiratio liberior, effluxus ſeri acerrimi, ſudor leuans, febris lenior, pectus liberius, exſcreatus, ſed reſpiratio denuo anguſta, ob eam iterum applicatum veſicatorium, pectus leuatum cum exſcreatu, febricula tamen perdurante, ſerum multum effluens, tandem 39. die ſalus. Niſi mea ſententia acrimonia ſingularis, et praecipue ſcabioſa, quae tandem ad cutem depoſita eſt, in maſſa humorum latitans, ſingularem hanc et indiuidualem pleuritidem produxerit, aliis grauiorem, et ab ea euocata per veſicatorium pars ſalutis euenire debuerit, non video, cur non VSe repetita, oleo, decoctis emollientiſſimis, multo nitro, bal-

neis

neis pulmonicis, latrantem tuſſim fallere aptis remediis et praecipue fotibus emollientiſſimis, eadem ſalus, et forte citius adhuc et cum minoribus moleſtiis, impetrari potuiſſet. Bene interea actum eſt, quod non ſtatim in principio, ſed demum poſt tres Venaeſectiones, veſicans applicatum fuerit. Salia cauſtica a tribus veſicatoriis imbibita, non potuere non humorum acrimoniam praeexiſtentem multum augere et ſeri acrioris effluxui, quem proritabant, ipſa largiorem occaſionem praebere.

Taedioſus ſine dubio euaderem meis Lectoribus, ſi ſubſequentes hiſtorias, ſecundam et tertiam, quas ipſi euoluere poſſunt, diffuſa epicriſi proſequerer. Vtraeque non ſiſtunt veram acutam inflammatoriam pleuritidem. In priore febris fuerat mitis, puncturae ceſſarant 15. die, pulſus poſtea erat debiliſſimus, pectus oppreſſum, omnia ſigna tabis. Die 19. non ob dolens, ſed graue et anxium pectus, applicabatur Veſicans, tum et duo ad ſuras, et ſic aeger leuabatur. In altera cum dolor et febris hactenus non bene tractata die 27. ceſſaſſet, tum demum vocatus Medicus, ob oppreſſionem pectoris, tuſſim, tabem, ſputum acrimoniae ſigna exhibens, applicari faciebat veſicans aegro tandem ſeruato. Hi caſus huc prorſus non ſpectant, vt nec ille, qui aegrum pleuritide laborantem veſicatorio non adiutum memorat. - - - - - - -
Omnes ergo non probant vſum Veſicatoriormu in principio pleuritidis. Illum tamen vt ſtabiliat Cl. *Medicus,* prouocat ad *Hippocratem,* inciſionem et vſtionem in doloribus fixis et pleuritide, *Aretaeum,* in hoc morbo cucurbitulas ſcarificatas, plagaeque illitum oleum cum ſale, cataplasmata ſemen ſinapi habentia, commendantem, quae cum locum cui imponuntur rubefaciant, magnam affinitatem cum Veſicatoriis habere dicit. Laudat deinde *Celſum,* non minus cucurbitas ſcarificatas et ſe-

 men

men ſinapi cum aceto proponentem. Hos triumuiros poſteritati Venerabiles merito extollit, qui tanquam Seruatoros millionum aegrotantium praedicari debeant. Hos dicit non dubitauiſſe rubefacientia applicare in pleuritide et peripneumonia dolenti lateri, pro ſanatione impetranda, vt adeo ſtupendum ſit dari homines, hoc medelae genus inauditum eſſe et omnibus artis principiis contrariari aſſerentes. Quid ego ad haec?

Noto ante omnia, et *Hippocratem*, et *Aretaeum*, et *Celſum* bene cognitas habuiſſe cantharides, cum tamen eas lateri pleuritico non appoſuerint et apponere dubitauerint, magnam dari inter eas et alia cutem rubefacientia et vulnerantia, ipſamque vſtionem, differentiam nullamque his cum illis affinitatem intercedere, neceſſario credidiſſe debuerunt. Atque vero multa differentia datur ita, ut minime concludere liceat, vbi cucurbitae ſcarificatae, ſinapiſmi locum habent, ibi habere etiam veſicantia. Diſcamus hoc a *Bagliuo*, ſtimulos, de quorum ſubſtantia nil intra humores communicatur, ab iis, qui non ſolum rubefaciunt, verum etiam aliquid humoribus communicant, probe diſtinguente. Integrum locum [b]) huc pertinentem iam attuli et attentius conſideraui in antecedentibus. Hauriant vaſa bibula ex ſinapiſmo minutas particulas aceti, ſalis, ſeminis ſinapi, ſed hae longe benignioris naturae ſunt, quam rodentes et cauſticae particulae cantharidum. Illae feruntur ab vnoquouis, magna copia etiam intus ſumtae ſine noxa, vagantesque per humorum oceanum nunquam vrinarias vias arroſerunt, et exulcerarunt, ac hae, adeoque et extus non timendae erunt, ne parti affectae damnum inferant.

b) *diſſ. de Veſicantibus cap. IV. §. 2.*

⁂ ⁂ ⁂

Nihilominus tamen Cl. *Medicus* hos et alios ex antiquitate duces ſecutos fuiſſe autumat recentiores illos, qui ſimilem methodum in morbis pectoris introduxerint. Nominat et extol-

extollit proinde *Mayernium*, *Meadium*, *Brendelium*, *Pringlium*, *Schreiberum*, *Swietenium*, *Haenium*, quos omnes idem illud veſicatoriis commode magis et cito obtinere molitos eſſe dicit, quam *Arctaeum* et *Celſum* ſuis ſinapiſmis. Ignominioſum itaque eſſe dicit, poſt tot vbique patentia ſcripta remedium pro nouo venditare velle, quod multi ſummi Viri iam depraedicaverint. Nil dicam de Phthiſi, quam memorat *Medicus*, quovsque in ea valeant inuſtiones a *Celſo* laudatae, quae nulla ſunt Veſicantia; de quibus nil ad interiora ſerpit. Cantharidibus autem acrem et a pure reſorpto diſſoluendum ſanguinem aegri Phthiſici, immiſto huic acri et cauſtico earum ſale, non facile magis inquinarem. Quantum ipſis proſint fonticuli et ſetacea, quae laudat *Medicus*, expertus noui, ſed Phthiſis ad nos non ſpectat. Redeo igitur ad Pleuritidem. De *Mayernio*, *Meadio*, *Pringlio* egi. *Brendelii* ſchediaſma non vidi, qui tamen non Veſicantia tantum amaſſe dicitur a *Medico*, ſed et ſetacea et apertionem Venae in parte affecta, quod in pleuritide non bene ſuccederet, in qua cubiti vena ampla inciſione, quae neceſſaria eſt, facile aperitur. SCHREIBERVS [c]) ſuccinctas theſes conſcripſit, quas anniuerſario labore ſuis praelectionibus illuſtrauit, et explicauit. In iis fere ſaltem nomina remediorum habentur, quorum vſum tempeſtiuum publice docuit, et ſecundum morbi circumſtantias accuratius determinauit. VSem in duobus brachiis, balnea pulmonica, emollientia, refrigerantia, potus demulcentes, lac, clyſmata, oleum camphoratum nominat in Pleuritide, et in fine horum, Veſicantia. Alio loco largam Venaeſectionem ex magno vulnere eandemque, quamdiu opus eſt, repetitam, fotus emollientes et diſcutientes, vnguenta et emplaſtra, imo Veſicantia vel cucurbitam ſcarificatam proponit. Longe abeſt, vt facile perſpicitur, *Schreiberus*, vt Veſicatorium princeps remedium habeat et ſtatim in principio applicandum velit. Nimis mihi notum eſt, namque Lipſiae per integrum annum eius familiaritate vſus

c) *Kurze Anweiſung zur Cur aller Krankheiten*, p. 151. 156.

ſum,

ſum, et dum vixit fauore et amicitia ſua me dignatus eſt, tenaciſſimum fuiſſe principiorum et praeceptorum *Boerhaauii*, cuius fuerat diſcipulus, quam vt nouam methodum antipleuriticam praeceps arripuiſſet. Nil minus etiam *Swietenio* et *Haenio* in mentem venit, quam vt Veſicans in pleuritide primarium remedium haberent, et ante vel ſtatim poſt VSem inſtitutam, applicandum ſuaſerint, quod in ſequentibus ipſiſſimis eorum verbis euincam. Ad horum ergo ſuffragia prouocaſſe inane et vanum eſt.

* * *

Iam deferor ad ſalutares illos a *Medico* habitos effectus Veſicatorii, loco dolenti admoti, in quos ſigillatim curatius inquiram

1. *Spaſmum internum tollunt.*

Omnia irritantia et ſtimulantia fibras ad maiorem ſui contractionem prouocare et in ſenſibilibus hac ratione dolorem excitare, communis et orthodoxa hactenus fuit Medicinae rationalis ſententia. Eam dogmata *Bellini de villo contractili, Baglivi de fibra motrice, Halleri de ſenſibilitate et irritabilitate*, inuictiſſimam reddidere. Non aliter igitur, quam paradoxum haberi poteſt aſſertum, irritantiſſimas cantharides internum ſpaſmum et dolorem tollere debere, cum expreſſis verbis BOERHAAVIVS[d]) inter cauſas doloris ponat omne vulnerans et rodens, et lenito acri illum ſuperari monſtret. Non negari poteſt, interdum dolorem, dolore in alio loco ſtudio excitato, leuari, quod tamen aliter non fit, quam ſi cauſa doloris vni loco inhaerens, irritatione alius, ad hunc determinari et auocari poſſit. Id tunc maxime ſuccedit, quando cauſa haec eſt materia tenuis et ita mobilis, vt ex vno loco in alium exſtimulatum facile migrare queat, vt e. g. rheumatica et arthritica etc. atque ſtabilem et fixam ſedem nondum obtinuit, in loco dolente, cui ipſi, etiam ſi omnis febris abſit, pro cauſa diſcutienda veſicans non

d) *aph.* 224.

non raro applicari poteſt. In Pleuritide vero acuta et inflammatoria, aliter ſeſe res habet. Haeret in muſculis intercoſtalibus, pleura et pulmonum ſuperficie, non tenuis acrimonia, ſed impactus in ipſis vaſorum alueis, non ea egreſſus in interſtitia muſculorum, ſanguis denſus, phlogiſticus, fixus, immeabilis, qui ob impetum febrilem, dolorem ciet, ab impedita inſpiratione exacerbatum. Sanguis hic non aliter, niſi ſolutus et meabilis redditus fuerit, niſi a tergo vrgens impetus, qui eum vlterius intrudit, denſat, compingit, incarcerat, fuerit minutus, ad motum circulatorium obeundum diſponi, aut ad colatorium aliquod, per quod criſi excernatur, ſeſe deferri ſinit. Vana eſt ſpes, illum ſanguinem morbi cauſam proximam in cutem allici poſſe, licet ita Cl. *Medico* videatur. Namque ſerum ſub cuticula collectum, idem illud eſt, quod naturaliter perſpiraſſet, niſi ab emplaſtro ſub veſica fuiſſet coercitum.

2. *operantur vt remedium ſoluens.*

De vi ſoluente cantharidum, ad morbum inflammatorium nequaquam quadrante, ſolutionique totius, quod ſtagnat, inſufficiente, adeo clare, puto, in antecedentibus egi, vt repetitio omnis foret ſuperuacanea.

3. *excretionem promouent.*

Loquitur hic *Medicus* de latente acrimonia, febrem inflammatoriam ingenerante, et ſalubritate prouocati effluxus eius per Veſicatorium; neque perpendit, ſanguinem viſcidum, denſum phlogiſticum, omnis acrimoniae expertem, pleniſſime generandae pleuritidi ſufficere, vt millenis vicibus ſufficit, quando antea ſaniſſimos prehendit. Siue ergo Veſicatorium in alio loco applicetur, quod non vult, quanquam ſic in votis habita reuulſio maioris momenti foret, ſiue aegro lateri ipſi, quando nullum acre extrahendum adeſt, huius ſcopi reſpectu fruſtra applicatur.

Inuehitur deinde Cl. *Medicus* in Medicos, qui Naturam ducem ſequi nolunt, et eos pertinaces habet. Sed bone DEVS! quis vnquam Naturam ſanaſſe obſeruauit pleuritidem fluxu ſeri acris, ad cutem aegri lateris depoſiti? Si naturae veſtigia legere Medicus voluerit, eiusque ductum ſequi, vt eius Miniſtrum decet, debet attendere, quo vergat, quam viam et modum ſolutionis morbi indicatura ſit, et interea nil agere, quam ſtagnantem ſanguinem attenuare, et febrem moderari, cuius vehementia ſolutioni obſtaret. Annotati ab omni aeuo ſolutionis modi [e]) ſunt fluxus haemorrhoidum; vrina craſſa ſubrubra hypoſtatica ante 9. diem; aluus bilioſa ante 4. diem; Supponunt hae ſolutiones materiam morbi ita coctam, vt ad has vias transferri et deponi queat. An ergo conſultum eſt, cum in principio ne quidem *Hippocrates* ſcire queat, quo Natura vergat, applicare lateri veſicatorium, affluxum humorum huc aduocare et Naturae molimina diuertere, inhibere, quae iuſto tempore iuuari, non intempeſtiue turbari debebant. Criminatur *Medicus* Practicos, qui via, quam natura monſtrat, incedere peruicaces detrectant, qui leges ipſi praeſcribere audent; hacque ratione eam confuſionem in corpore excitant, quae aegro interitum adferre queat. Ego certe iniuſtas has exprobrationes non capio. Quis eas per omnia ſecula, antequam noua methodus veſicans arti obtruderetur, obiecit Praxi medicae, ſaepe ſaepius in ſananda pleuritide feliciſſimae? Quis vere criminationes meretur? an is, qui Naturam ad aliquam ſolutionem, a ſe ex hypotheſi et peruicacia praeſtabilitam, trahere inuitam et cogere, ipſi dominaturus audet, an is, qui ſedulus et attentus nutum eius expectat, et honori ſibi ducit eius eſſe fidelem Seruum et Adminiſtrum [f])?

Sed ſuperſunt adhuc alii ſolutionis modi, quos Natura molitur, abſceſſus ichoroſi diu manantes ante 7. diem poſt aures et ad crura; dolor lateris per metaſtaſin materiae tranſiens ad humerum, manum, dorſum cum ſtupore, *dolore*, grauitate

e) *Boerh. aph.* 881.

f) *Videatur Oratio incomparabilis Boerhaauii de honore Medici Seruitute.*

tate harum partium. Quomodo his ſolutionibus congrueret Veſicatorium, ſtatim in principio lateri applicatum? Si eas praeuidere poſſet ad recentem Pleuriticum vocatus Practicus, expectato iuſto tempore id deberet applicare poſt aures, ad crura, ad humerum, dorſum, non ad latus thoracis. Supereſt ſputum liberale ante quartum diem, continuatum, vel a ſuppreſſione ſtatim rediens. Id quidem vnicus ridet FREIND [g]), ſed poſſibilitatem exſcreationis et expectorationis materiae morbificae per pulmones, ex *Lanciſio* egregie prorſus docet van SWIETEN [h]). Bene notat MEDICVS [i]), exſcreatum eſſe frequentiorem viam reſpectu aliarum excretionum criticarum, in pleuritide, quanquam aluum et ſudorem aeque frequentem eſſe dicat HAEN [k]), et HOFFM. [l]) ſputum et ſudorem coniungat. Nunc, ſi quando Natura in vicinia loci affecti ſputum eligat, veſicante dolenti loco appoſito, eius molimina facilitari putat *Medicus*. Ego vero conuictus ſum, febris moderamine congruis remediis viſcidum ſoluentibus et attenuantibus, ad quae veſicatoria, vt toties monſtraui, pertinere nequeunt, fotu lateris perpetuo, balneis pulmonicis, quando ſputationem ſperandam eſſe phoenomena docent et indigitant, longe melius Naturae hanc criſin molienti ſuccurri. Tenuioris ſeri effluxus veſicatorio proritatus, maxime ſub initium morbi, manifeſte auocat Naturam, praematuro hoc et intempeſtiuo officio et auxilio, praeter omnem neceſſitatem, a viis ſpiritalibus, per quas ſeſe bona criſi exoneratura erat. Pauxillum illud ſeri, quod ex plaga Veſicatorio illata, effluit, parum demere poteſt largiſſimo muci tenacis prouentui, quo omnis humorum maſſa tota quanta repleta eſt, quique toties expectoratione per integros dies et noctes eiicitur.

g) *in Comm. de Pleuritide.*

h) *in Comm. ad aph. 888.*

i) *p. 358.*

k) *rat. med. I. p. 39. 40.*

l) *Med. Syſt. IV. p. 131.*

* * *

Nunc denuo Vir Clariſſimus fructum Veſicantis parti affectae impoſiti ex hoc capite commonſtrare aggreditur,

quod

m) p. 358.

quod eius ope Pleuritis curetur m).

Vereor ne hoc promiſſum multas exceptiones patiatur. Optime inquit, Cl. *Medicus:* In principio morborum neceſſarium eſt, vt Practicus diligens ſit et operoſus, oportet eum praeternaturalem motum ſopire, malum educere, et corpus ad quietem diſponere. Quo magis opportunitatem hanc negligit, quo magis tempus perdit, eo maiori timore et ſollicitudine euentum e longinquo appropinquantem expectare debet. Oportet, vt nautam, hunc euentum, ſub ventorum turbine et aeſtu maris, non a ſua ſagacitate, ſed a fortuna expectare. Ego, vt nil diſſimulem, in his conſiliis, quae multa bona continent, momenta omnia non bene capio, quia in fine potiſſimum aliquid contradictorii mihi videntur inuoluere. Operoſum et negotioſum eſſe debere, et tamen euentum non a ſagacitate, ſed a ſola fortuna expectandum habere, ſibi haud reſpondent. Si morborum euentus a fortuna pendeant, quid iuuat miſeros aegros operoſa Medici ſagacitas, melius illi ſibi ipſis relinquerentur. Eheu nimis ſaepe ab illa magis, quam ab hac euentus morborum exoriuntur. Sed ad rem! cur pleuritis veſicatorio cito curetur, non amplius probat Medicus, ſed hanc veritatem iam ex antea a ſe deductis eluceſcere aſſeuerat. Inquirendum ergo, a quibus circumſtantiis celerior et tardior ſanatio pendeat. Prior poſſibilis erit, ſi ſtagnantis ſanguinis copia minor ſit, ſi febris moderatior, ſi ſubiectum aegrotans mollioribus fibris ſit indutum. Difficilior autem curatio erit et tardior, ſi contrariae conditiones obtinuerint. In priore caſu pauciores Venaeſectiones, pauciora attenuantia antiphlogiſtica, pauciora cataplaſmata emollientia ſufficient, neque negari poteſt, ſaepe haec remedia curationi pleniſſime et cito ſufficere, maxime ſi cooperans benigna Natura haud turbetur. Aliter autem ſe res habet exiſtente caſu poſteriore. Hic certe quam maxime valet conſilium Cl. *Medici*, in principio oportet motum praeternaturalem ſopiri. Quis vero hoc expectaret a veſi-

veſicante, quod in ſaniſſimo homine motum praeternaturalem circulatorium ciet et febrem inducit. Vnice hoc facit repetita Venaeſectio. Pleuritidem, morbum hunc infamem et ſua natura periculoſiſſimum, ſi perite tractetur, facile vinci, et non minus certo et conſtanter perduci ad exitum felicem, ac alios, homines ad orci fauces adducentes, et, quod bene notari velim, breuiſſimo tempore, nullo alio remedio magis, quam repetita intra breuia interualla phlebotomia, affirmat SYDENHAM [n]). In Aëre romano ſcribit BAGLIVVS [o]), phlebotomia eſt princeps remedium in pleuritide, poſt phlebotomiam autem diluentia, cum attenuantibus et anodynis iuncta, breui eandem iugulant. VSibus repetitis, antiphlogiſticis, decoctis emollientibus cum oxymello, cataplaſmatibus continuo applicatis plerumque curam omnem abſolutam fuiſſe notat STÖRCK [p]). Si haec methodus per repetitam Venaeſectionem, cui, vt dicit *Sydenham*, huius morbi curatio fere tota ſtat, adeo feliciter ſuccedit, cur ex mero nouaturiendi pruritu alia quaerenda? in honorem *Mayernii* magni Viri, ſed iuſtam morbi ideam haud tenentis, eorumque, qui ex mero Autoritatis praeiudicio, illum ſecuti ſunt. Saepe quidem ſe aggreſſum dicit *Sydenham*, vt aliquam therapiae rationem ſtabiliret, quae citra hanc ſanguinis iacturam ſubſiſteret, nempe vel humorem reſoluendo, vel expectoratione euacuando. Sed fatetur, ſibi nondum ſortem contigiſſe, vt huic memoratae praxi parem inuenerit. Addit interea, vel minimum damni a larga hac ſanguinis detractione alicui fuiſſe illatum. Verum nunc de inuenta noua therapia per veſicatorium huius Patroni ita gloriantur, ac ſi Sydenhamianae, Boerhaauianae, Hoffmannianae, licet innumeris vicibus per experientiam comprobatae, eſſet ſuperior. Non latuere veſicantia *Sydenhamum*, quibus etiam ſubinde, licet prudenti circumſpectione, vſus eſt, an credibile eſt, haec ipſi aliam methodum diligenter quaerenti non in mentem veniſſe, an potius magis probabile eſt, ipſum eadem neuti-

n) *p. 333. 334.*

o) *Operum p. 34. in fine.*

p) *Anno med. I. p. 34.*

quam reſoluentia congrua, ſed potius rationali medendi methodo minus adaequata habuiſſe? Ponamus interea, quamuis id nunquam conceſſero, per multas Venaeſectiones ſine Veſicante, et per vnam cum Veſicante (ſed ſupponi debet, applicato eo Venaeſectionem deinde prorſus abeſſe poſſe, quod nemo Practicorum facile ſine multa exceptione affirmauerit) eſſe therapiam, aeque citam, vellemusne, cum prior iuuet, et nunquam vel tantillum damni inferat, lubentius febrifugae VSectioni, quam ob ipſam viciniam fortius in cor agente febrifico Veſicatorio, remediisque antiphlogiſticis magis, quam ſummo hoc phlogiſtico confidere? Vellemusne viam regiam, per tot ſecula a Viris ſummis euidente cum fructu calcatam, deſerere et, neotericorum quorundam ſuaſu, ſpinoſam et inſecuram eligere?

Quod latens acrimonia ſtatim educatur, antequam ſeſe euoluat. Hanc fictitiam et imaginariam acrimoniam, ad cuius euocationem recurrunt Encomiaſtae cantharidum, vt aliquam obtineant eas commendandi ſpeciem, iam exploſi repetitis vicibus in antecedentibus. Millenae pleuritides exiſtunt a ſolo ſanguine denſo et phlogiſtico in hominibus, qui breui antea athletice valebant, ſine omni acrimonia, quae demum naſcitur, ſi non reſolutae abeant in ſuppurationem et Gangraenam. In optimorum practicorum monumentis nullas alias indicationes therapeuticas inuenio, quam ſpiſſum attenuare, vaſa laxare, impetum cordis moderari, ſputum promouere, ſi hac via morbus ſoluatur, de acrimonia extrahenda nullibi aliquid legitur. Vt tamen veſicatoriis ſuus maneat honos, horum vſum a pleuritide acuta inflammatoria, de qua hic praecipue ſermo eſt, ad pleuritidem malignam, miliaribus et petechiis ſtipatam, trahit. Haec vtique, repetitis VSibus non tractanda, aliam omnino methodum ſibi depoſcit. „Exanthemata haec, „ait *Medicus*, mortiferam acrimoniam indicant, raro ſuperabilem, et ſummis artificiis e corpore non eliminandam. *Stu*„*pendo* periculo Medicus aegrum exponit, ſi facile hoc re-

„me-

„medium, ex timore, ne aliis diſcipleat, ex puſillanimitate, et
„ignorantia omittat. Infiniti homines antea ſaniſſimi dantur,
„quibus poſt breuem durationem pleuritidis exanthemata
„erumpunt, et qui dein omnibus fruſtra actis moriuntur. Si
„his applicata fuiſſent Veſicatoria latens et abdita acrimonia
„euacuata fuiſſet. Si vero illa ſemel omnes partes corporis
„occupauerit, neruis ſenſum, ſolidis robur, fluidis blandam et
„balſamicam indolem adimit, et corpus totum ſubiugat. Edu-
„ctio huius acrimoniae non pro mera chimera declaranda."

Acrimoniam febrium malignarum acerrimam et putrilaginoſam non inter entia rationis, ſed vere exiſtentia pertinere, nimis eheu vbique notum, ſed eductionem malignae huius acrimoniae per veſicantia a *Mercuriali*, *Riuerio* etc. multum commendatam, inter vanos et inanes Medicorum conatus pertinere, in ſuperioribus ex *Mortono* et *Bagliuo* clariſſime commonſtraui. Non ſatis mirari poſſum, doctiſſimum *Medicum* his ideis, omni ſolido fundamento deſtitutis, adhuc inhaerere. Pauxillum ſeri perſpirabilis, quod collectum ſub cuticula in veſiculam eleuata haeret, toti maſſae humorum acri non plus demit, nec maiorem vtilitatem praeſtare poteſt, quam ſi eadem quantitas ſudoris et vrinae corpori deceſſiſſet. Neque conueniens, malignis humoribus educendis, cutis colatorium eſt, ſed canalis inteſtinorum, vt clariſſime monſtraui, cum de therapia malignarum agerem.

In genere ipſa Veſicantia contra communem ſententiam non ſunt vere indicata et appropriata febrium malignarum remedia, id abunde antea probaui. Miaſma malignum omnino blandam et balſamicam craſin fluidorum omnium peruertit, iisque diatheſin ad putredinem inducit. Sed, ſi ita loqui liceret, miaſma, ſeu virus ſepticum cantharidum, corpori ſeſe inſinuans, eundem effectum edit, illique vere fert ſuppetias. Si maligna fuerit pleuritis, ſiue vt morbus, ſiue vt ſymptoma, ſi Venaeſectionem non ferat, praeter interna emulſa cam-

 pho-

phorata praeſtabit applicauiſſe ſinapiſmos, vel fotus antiſepticos ex aqua, aceto, nitro et ſale ammoniaco, cum pannis laneis, quam morbi cauſae reſpondentes et affines cantharides.

Quod non opus ſit, vt morbus ſoluatur expectoratione.

Vix aliquis a prudente et exercitato Medico paradoxum hoc effatum expectauerit. Quando confidenter aſſeritur, non opus eſſe, vt haec ſolutio critica eueniat, idem eſt ac ſi diceretur, non opus eſt, vt antiquata naturae praeeuntis methodo et ordine morbus ſanetur, ſed licere Medico ex arbitrio ſibi aliam excogitare, et introducere in artem. An vero ita ſeſe gerere ſolent et debent genuini Hippocratis filii? An gratis ſcripſit immortalis Senex [q]): *Naturam eſſe optimam morborum medicatricem, ipſamque ſibi per ſe, non ex conſilio, motiones ad actiones obeundas inuenire, a nullo quidem edoctam citraque diſciplinam, ea quae eueniunt efficere?* An gratis ſcripſit [r]): *Quae ducere oportet, quo maxime repunt, ea ducere oportet per conuenientes vias?* vt multa alia huc facientia taceam. An ceſſabit noſtra aetate, quae in ſentiendo, et agendo effraeni libertati adeo inconſiderate indulget, antiquum Medici officium, quo declaratus et deſignatus eſt Naturae miniſter? In hac ſeruitute ſummum eius honorem conſiſtere, incomparabili Oratione docuit BOERHAAVIUS. *Medici eſt*, inquit [s]), *Naturae leges audire ſedulo, fideliter ſequi et exequi, vt ſerui iuſſa herilia. Talem ſe dedit maximus Hippocrates, qui Naturam agnouit morborum medicatricem. Medicus igitur, eius miniſter, eam iuuare debet, non turbare, nil quicquam contra illam contendere, ſed fidam ducem ſequi.* Operae pretium eſt videre, quomodo ſuis moliminibus prorſus contrariantibus ſpeciem aliquam conciliare conetur Cl. *Medicus. Nil magis ſe metuere,* dicit, *quam expectorationem apud pleuriticos; namque ſi etiam aegri reſtituantur, tamen remanere aliquam debilitatem pulmonis, per quam adeo ſaepe nouae inflammationes, et recidiuae exoriantur. Si pulmone exiſtente debili, materiae expectorandae copia nimia fuerit, haec illi innidulans, vel aperta, vel tecta vlcera excitat, quae, quic-*

q) *lib. VI. epid. 5.*

r) *Sect. I. aph. 21.*

s) *p. 36.*

quid

quid agat Medicus, plerumque aegrum neci tradant, ſed hac depraedicata methodo adhibita eiusmodi triſtes ſequelas raro vel nunquam euenire. Metuit, quod mirari non deſino, Vir Clariſſimus, viam ſolutionis per ſputum, quam excretionem, monente *van* SWIETEN [t]), verae pleuritidi propriam credidit *Hippocrates*, eam adeo neceſſariam habens ad morbi medelam, vt ſcripſerit: *perperam agi cum iis pleuriticis, et peripneumonicis, qui nil exſpuunt, niſi copioſae fluant vrinae* [u]). Id crediderunt omnes Veteres Graeci et Latini. Solo per tuſſim exſcreatu, *Bagliuo* notante [x]), ſanantur feliciter pleuritici, et ſi hoc prudenter inſtitues, breui recedentem videbis pleuritidem, ad *Hippocratem* prouocans, qui ſputum ante 4. diem apparens bonum eſſe dicit, quia morbum breuiat: *Plurimos pleuriticos ſputo iudicatos eſſe*, notauit STÖRK [y]), *et nulli eorum alium morbum ſuperueniſſe, nullum mortuum.* Neque adeo inter initia terreri conuenit, ſi ſputum miſtum eſt ruffo quodam ſanguine, iam monuit CELSVS [z]), atque Ill. HVXHAM [a]): *Quibus pleuriticis aut peripneumonicis*, ait, *ſputa copioſa ſubflaua et modico ſanguine tincta eiiciuntur, facile breui in vado ſunt, idque ſaepe intra paucos dies, horum ſane vix aliquis perit.* Eccur ergo mali aliquid metuendum eſſet circa ſolutionem morbi per ſputum, quae ab omni aeuo innumerabilibus aegris in nullum alium morbum delapſis, adeo feliciter ceſſit, atque imaginari difficultates, vbi nullae adſunt, eo ſolo fine, vt nouae methodo cum veſicantibus panegyricus dicatur? Neque copia expectorandae materiae metum incutere debet, vt putat *Medicus*, namque expreſſis verbis BOERHAAVIVS [b]), Veterum ſuffragantibus experientiis nixus, a ſputo liberali, copioſo, mox puriformi, albo, vel ante 4. diem continuato, vel a ſuppreſſione ſtatim redeunte, nono vel vndecimo die ſalutem promittit. Multus quoque eſt HOFFMANNVS [c]) in laudanda criſi per ſputum, licet notet laborandum eſſe, quando morbus expectoratione materiae copioſae virulentae terminatur, ne in

t) *Tom. III. p.* 27.

u) *IV. acut.*

x) *p.* 56.

y) *Anno Med. I. p.* 34.

z) *lib. II. c.* 8.

a) *Operum I. p.* 337.

b) *aph.* 888.

c) *Med. Syſt. Tom. IV. P. IV. Part. I. p.* 431. 432.

fine

ſine phthiſis, vel hectica accedat. Sed hic caſus materiae virulentae, non morbi ſolutionem, ſed iam tranſitum in alium morbum inuoluit. Namque non materia critica per pulmonem excernenda, ſed pleuritis in ſuppurationem terminata, poteſt ingenerare materiam virulentam ad ſtylum *Hoffmanni*, atque vlcera aperta et tecta, phthiſinque et hecticam. Horum autem malorum declinatio nequaquam Veſicatorio, motus naturae criticos aliorſum avocaturo, et turbaturo, ſed vera medela, reſolutionem a Natura indicatam et eius excretiones, per viam ab ea monſtratam iuuante, poterit impetrari.

Tuiturus interea male fundatam ſuam ſententiam Cl. *Medicus*, *Veſicatorium omne malignum extrorſum allicere*, dicit, *vbi ſine damno poſſit effundi. Saepe ſe vidiſſe acre pus veſicantium cutem rubefactam exedere. Quodſi igitur haec acrimonia per pulmonem excernenda fuiſſet, ſpongioſam eius texturam neceſſario in putredinem abire debuiſſe.*

Mirum omnino, quando de latice ſeroſo ex plaga veſicante inducta, largius exſtillante, et acrimonia ſua vicina erodente, ſermo eſt, ſine mora affirmari, talem in liquidorum maſſa praeexſtitiſſe, nuncque magno cum aegrorum emolumento euocari. Perpendendum omnino erat, ſal acre cantharidum ſerum, cuius affluxum proritat, infeciſſe, et delatum in humorum maſſam, eidem rodens ingenium affricuiſſe, eiuſque praeſentem dyſcraſiam ita euexiſſe, vt parti adeo gangraenoſam corruptionem inferre aptum ſit. Sane talis dyſcraſia, ab omni Veſicatorio cantharidibus bene praegnante, corpori aeſtuanti applicato, etiam non pleuritico, poteſt ingenerari. Si vero in corpus nunc pleuritide laborans, tanta bona redundent, ſine quibus impetratis, ſaluti et vitae adeo metuendum erat, neceſſario ante hanc methodum inuentam, per multa ſecula eam ignorantia, res aegrorum pleuriticorum in multo periculoſiore ſtatu debuerunt verſari, quam poſt Orbi patefectum nouum hoc artificium, numeruſque funerum

nerum multo eminentior exſtitiſſe, quam noſtro aeuo, et tamen hoc omne experientiae omnium temporum repugnat. Non interim audet Cl. *Medicus* criſin illam per ſputum prorſus pro inani et ſuperuacanea declarare, quare addit: *Non tamen exiſtimandum eſt, ob veſicatorium applicatum, ſcreatum plane nullum inſecuturum. Ille enim adeſt*, inquit, *et raro prorſus deficiet, ſed adeo blandus eſt, vt vix a naturali diſtingui queat, atque inſuper breuiſſimae durationis.* Reſpondeo breuiter, tunc vero non eſt criſis, nam quod Medici norunt, *nil paucum criticum*, itaque noua arte, inuitae et renuenti Naturae intercepta et occluſa eſt via, per quam largo, viſcido et copioſo ſputo, cui liquor tenuis veſicatorio euocatus comparari nequit, per omnem aetatem pleuritis feliciter fuit iudicata. Ex omnibus hactenus diſputatis clariſſime opinor, eluceſcit, illos, qui applicare amant lateri dolenti veſicatorium, optime facere, ſi id mera empiria ducti applicent, namque nullam vnquam veram applicationis vtilitatem et neceſſitatem, huiusque aetiologiam rigoroſum examen ſuſtinentem, ſuppeditabunt. Semper ſtabit pro ratione eorum voluntas. Dum autem tandem finem meae epicriſi facio, video facile, illam omnino diſplicituram eſſe Cl. *Medico*, quod vere doleo. Sed cum mihi incumberet, quam accuratiſſime inquirere, ſitne lateri pleuritico appoſitum veſicatorium vere indicatum et adaequatum remedium, vel minus, aliter me in amouendis mihi obiectis aliquot lapidibus offenſionis, Veritati vnice litans, gerere non potui. Bene interim rem a perſona ſeiungo, illi aduerſarius, huic amiciſſimus ſemper futurus.

§. LVIII.

Experientiis modo citatorum virorum in laudes Veſicatorii adductis, aliae contrarium loquentes opponuntur.

Quodſi autem modo adductis celeberrimis medicis ſolis nos relinquere, pleuriticorum nullum ſine Veſicantibus ſanandum ſuſcipere, et fauſta quaeuis inde exſpectare vellemus, faciunt tamen, praeter comparationem, inter ipſum ingenium

pleuritidis, et inter phyſicam actionem cantharidum, iam aliquoties inſtitutam, dehortationes aliorum ſummorum practicorum, et horum experientiae, experientiis laudatorum contrariae, vt cauti ab iis abſtineamus, aut ſaltem non ſine magna reſtrictione, iiſdem vtamur. Apud aegros multos hoc remedii genere, ſtatim in principio applicato, nil mali, bona quaeuis ſeſe obſeruaſſe, teſtatur PRINGLIVS [a]). In morbis pectoris ſpaſmodicis et inflammatoriis, ſemper in peius ceſſiſſe Veſicatoria, ſeſe pluries obſeruaſſe, teſtatur BAGLIVVS [b]). Cuinam horum credendum? Ambo amplam praxin exercuerunt in noſocomiis. Doleamuſne fata aegrorum et medicinae, tantis contradictionibus obnoxiae? Quomodo ex adeo apertis eluctabimur? Quilibet certe, qui omnes rationes, a me adductas, ſeria penſitatione dignas habiturus eſt, atque eas futiles et inanes non declarandas eſſe perſpiciet, mecum, qui omnino cum BAGLIVO facio, huius verbis [c]), *Pringlio* et *Cloſſio*, *Forſtenio*, *Medico* occurret: *Quamuis interdum vtilitas aliqua affulſerit, quoniam tamen neſciebam, an a Veſicantibus, an potius ab aliis remediis illa prouenirct, ideo raro vel numquam in his caſibus applicabam Veſicantia, curationemque diluentibus et dulcificantibus feliciter abſoluebam.* In Xenodochio quodam Italiae vidit BAGLIVVS [d]) Iuuenem gracilem, vehementiſſima pleuritide laborantem. Die morbi 13. ſex Veſicantia fuere appoſita: ſuperuenerunt delirium, ſuppreſſio ſputi, tremor, motus epileptici, die 20. mortuus eſt. Qui in febribus acutis toties peſſima ſymptomata, a Veſicantibus naſcentia, vidit, WHYTTIVS [e]), puerum habet vndecim annorum, cephalalgia et febre correptum, ſequente dolore lateris. Vena fuit ſecta, a qua caput leuatum, ſed dolor lateris perdurabat, applicabatur ei Veſicatorium, minuebatur dolor, ſed ſequebatur delirium, pulſuumque ictus augebantur, temporibus hirudines admotae, febre nihilo minus aucta, ad ictus 150. per vnum minutum, ſequebantur ſubſultus tendinum

a) *p. 163.*

b) *p. 652.*

c) *p. 652.*

d) *p. 649.*

e) *p. 341. de morb. neruor. edit. germ.*

(en,

ſen, quam bene febribus et earum ſymptomatibus medeantur Veſicatoria!) Omnia tandem mala ſolis fotibus relaxantibus et emollientibus, capiti, et artubus applicatis, ſuperabantur. Virum et puellam habet Ill. STÖRCK [f]), quibus pleuriticis, nec alia remedia, nec Veſicantia, iuuamen attulerunt, vnde inflammatio breui abiit in ſuppurationem. Ill. TISSOT [g]), dum abuſum Veſicantium taxat, *Peripneumoniae*, inquit, *et pleuritides, quo tempore ſanus credebatur aeger, ex minimo ſtimulo acerbo, ſubito, maiori cum periculo, recrudeſcunt.* Notatu dignum caſum habet eximius *Tiſſot*, digniſſimum certe quam propriis eius verbis deſcribam: *Sexta morbi die vocabar ad grauidam pleuriticam. Applicata ipſi fuerant veſicatoria ſecunda die. Multum ſeri illa elicuerant, ſed id non impedierat, quo minus, licet tres Venaeſectiones parciores iam inſtitutae eſſent, anxietate inexplicabili, oppreſſione pectoris, decubitum impediente, et dolore adeo enormi, vt tuſſire non auderet, miſera afficeretur aegra. Pulſus erat duriſſimus. Conſulebam quartam Venaeſectionem et potionem cum oxymelle et nitro. Altero mane, ſe melius habebat, mihique referebatur, quod ſanguis emiſſus totus eſſet lutum. Noua haec obſeruatio eſt, quae probat inutilitatem veſicantium, durante violenta inflammatione applicatorum. Multa alia me certum reddidere et conuictum, hanc illa ſemper multum augere, tantum abeſt, vt minuant. Quaelibet dies mihi confirmat Veritatem eorum, quae de Veſicantibus in epiſtola de Variolis et hydrope ad Illuſtrem Hallerum ſcripſi* [h]). Nobilis foemina, cuius §. 46. mentionem feci, quatuor vicibus per temporis interualla, pleuritica, ſine Veſicantibus meis conſiliis reſtituta, quinta vice graui hoc morbo laborans, me aegrotante, ab alio medico dexterrime ceteroquin tracta, cum Veſicatorio mortua eſt. An ſemel adhuc imaginem lateris pleuritici cum Veſicantibus, a Cl. *Roſènio* (vide §. 54.) pictam, adſpicere operae pretium erit? vt intelligamus fallacem in id remedium fiduciam. Adnectam

f) *anno med. II. p. 69.*

g) *in epiſtolis medico-practicis Lauſannae 1770. pag. 284.*

h) *Lettre à Mr. Zimmermann p. 23. 24.*

ctam adhuc duas notabiles hiſtorias, quae ad me pertinent. Foemina 56. annorum, muſculoſa, toroſa, ſucciplena, lauta diaeta vſa, ſedentariam vitam amans, ab aliquot annis aſthmate pituitoſo vexabatur, diluentibus, venaeſectione ſemper leuata, tandem atroci pleuritide corripiebatur. Medicinam ipſi faciebam cum alio medico, qui inter iugem vſum indicatiſſimorum remediorum, poſt bis ſectam venam, Veſicatorium latum lateri applicandum cenſebat. Factum eſt, dolor interim ne tantillum mitigatus, reſpiratio difficillima perdurauit, febris aucta, licet venaeſectio tertia, quarta, quinta vice reiteraretur, donec inter ſummas anxietates animam efflaret. Venuſta, optimae indolis virgo, coniunctiſſimi amici filia, 22. annorum, plethorica, anguſtioribus vaſis inſtructa, per aëris iniurias afficiebatur pleuritide. Dolor erat intenſus. Cum remedia topica, emollientia atque antiphlogiſtica ſumma, cum potu multo tepido diluente, fruſtra eſſent adhibita, atque poſt tertiam venaeſectionem dolor et febris non remitterent, Veſicans latum admouebatur lateri. Nullum inde doloris leuamen, pertinaciter perdurabat febris, ſputum nullum, ſecta quarta vice vena, ſed eheu! inter ſubſultus tendinum, et ſuauia, magnam partem animi leniſſimi indoli reſpondentia, deliria, optima virgo exſpirabat. Fateor ingenue, ſiniſtrum hunc morbi euentum fiduciam meam in Veſicatorium valde imminuiſſe. Neque alia occaſione id a Veſicante obtinui, quod fautores eius promittunt. Vir 50. annorum, debili valde corporis compage indutus, de ſummis puncturis lateris, reſpirationem miſere inhibentibus conquerebatur. Pulſus erat celerrimus, ſed debilior multo, quam in hoc mali genere ipſum expectaſſem. Praeſcribebam interna remedia omnia, quae vſu diuturno ſeſe in ſananda pleuritide probarunt: Externe iugiter, fomenta et cataplaſmata emollientia applicabantur. Mittebatur ſanguis ter, ſed minori copia quam exoptasſem, quia ingruentia animi deliquia maiorem detrahi non ſinebant,

bant, denſam cruſtam inflammatoriam ſemper exhibens; dolor praefracte perdurabat. Cum venam quarta vice ob ſummam aegri debilitatem pulſumque celerem quidem, ſed valde languidum, repetere non auderem, applicari lateri faciebam largum veſicatorium. Profiteri ſincerus cogor, minuebatur ita ſenſim dolor, vt ceſſaturum eum tandem mecum aeger reputaret. At vero ſequenti die multo vehementior redibat: Recurrendum ergo, ob anxiam reſpirationem, quam balnea pulmonica non emendabant, abſolute erat ad Venaeſectionem. Vnciis circiter 6. ſanguinis emiſſis, qui cruſta denſa vt antea obducebatur, manifeſte dolor cum febre minuebatur et per vſum emulſionis camphoratae, cum nitro, fugabatur, aegerque, quem omnes perditum credebant, admotis perpetuo fotibus emollientibus, ſputo liberali prodeunte, cum ſanitate redibat in gratiam, qua adhuc fruitur. Credo vel ex hoc vno exemplo, praerogatiuam Venaeſectionis prae Veſicante, clariſſime in oculos incurrere. Ante aliquot annos mihi ſeſe ſanandam committebat celſiſſimi cuiuſdam Principis ſoror, inſignibus animi dotibus exornatiſſima virago. Febrem valde acutam ſecuta erat doloroſa valde pleuritis, tuſſi moleſtiſſima ſtipata. Secabatur vena, vt decet, oleum, oxymel, nitrum, decoctum hordei, in auxilium vocabatur, repetebatur altera die venaeſectio, a meridie ingruebat diarrhoea, quae per totam noctem ſubſequentem perdurabat. Critica haberi nequibat, febre continuo affligente, et vrina cruda, reſpiratio erat anxia, ſcreatus erat paruus, irritatio interim ad tuſſim perpetua. Bene recordabar, BAGLIVVM [i]), ſi difficultas ſpirandi vrgeat, quouis morbi tempore ſuadere Veſicantia, inſuper ipſum obſeruaſſe, poſt ea adhibita, diarrhoeam, ſi aliqualis tum temporis adfuerit, vel imminutam fuiſſe, vel prorſus ſuppreſſam [k]). Hic ergo rerum ſtatus ſerio iniungere videbatur illorum applicationem. Verum reminiſcebar non minus, ipſam hanc aegram ante aliquot annos, morbillis, qui adultis fere ſemper grauio-

i) *p. 57.*

k) *pag. 655. vide et Trillerum de pleurit. pag. 76.*

res ſunt, quam iunioribus, ſuperatis viſis, acrimonia nondum ſufficienter excluſa ſine dubio, namque alia cauſſa ignorabatur, propter neruorum ſummam ſenſibilitatem, tremoribus, motibuſque conuulſiuis, omnes corporis muſculos per vices, et faciei maxime, inuadentibus, miſerrime vexatam fuiſſe. Aerumnoſa haec ſcena, quae mihi viuaci imagine ante oculos verſabatur, ne ab acrimonia cantharidum, morbilloſam cauſtica indole vincente, aut hac ſaltem non inferiore, iterum luderetur, non ſine ratione metuebam. Alia ergo via ineunda erat. Iniici faciebam clyſmata, primo ex amylo et ſolutione gummi arabici, deinde ex adſtringentibus, ſepoſitoque interim nitri et mellis vſu, ſolos adhibebam potus calidos, cum balneis pulmonicis, et fotibus thoracis perpetuis. Sedata diarrhoea, primo parcius, deinde largius, nitro et melle pugnabam; hacque methodo, ſine Veſicantibus, difficilis et minax morbus ſuperabatur. Cumque, dum iam de recuperata ſanitate laetabamur omnes, denuo ſine cauſſa manifeſta in altero latere minus praeuiſa pleuritis naſceretur, ſine diarrhoea tamen, haec methodo eadem, abſque cantharidibus, feliciter ſublata fuit. Nil certius eſt, quam duas illas foeminas ſumme ſenſibiles, quarum §. 47. mentionem feci, Veſicatoria nequaquam ſuſtenturas fuiſſe, quae tamen, vt non pauci ex aegris meis, ſine illis, ad ſanitatem per Dei gratiam perducti ſunt.

§. LIX.

Sub quibus circumſtantiis pleuritidi Veſicatoria conferant, docetur.

Verum enim vero non obſtantibus illis omnibus, quae maſcule et audacter, contra praematurum Veſicantium vſum in pleuritide, hactenus diſputaui, nolo tamen illis omnem in eius curatione vim denegare, ſed, ſub certis conditionibus, ipſis aliquando locum eſſe, et ſi dextre adornetur applicatio, eam ſaluti aegrorum conſulere poſſe, vltro aſſero, et affirmo. Scilicet, ſi venaeſectionibus, repetitis vicibus adhibitis, omnibusque remediis veris antipleuriticis ſat largiter vſurpatis, malum

lum non ſuperatum ſit; atque, ſi pulſus non amplius durus et citatus, ſed mollis, depreſſus et paruus tangatur; ſi calor totius corporis ſit moderatus et fere naturalis; ſi vrina non amplius intenſe rubra ſit, ſed ſtraminea et pallida; atque nihilo minus dolor non remittat; tum certe de Veſicatorio applicando cogitare licet. Namque haec phaenomena omnia conſiderata monſtrant, haerere adhuc lenti quid et immeabile in ſpatiis intercoſtalibus, et ipſa pleura, fibras carneas et nerueas laceſſens et tendens; cordis autem et arteriarum fibras nimis debiles illi ſoluendo et promouendo haud ſufficere, ſtimuloque eapropter opus eſſe. Atque his conditionibus poſitis, exacte mecum conſentientes habeo viros in arte ſummos, qui proinde omnes a feſtinante curſu ad Veſicantia, horumque ſub primo impetu et ipſo feruore febris, ſub ipſa rabie doloris, applicatione, ex *Pringlii* conſilio, vnanimi ſuffragio dehortantur. Summe notabilia verba ſunt *Riuerii* [a]) licet non de Veſicante, ſed de cucurbita agant: *In pleuritide*, inquit, *ſi in eius principio cucurbita lateri dolenti admoueatur, attrahit ſine dubio fluxionem magis ac magis, ad partem affectam. Sed cum poſt multas ſanguinis miſſiones adhiberi ſoleat, non ſolum nil ab aliis partibus ad partem affectam attrahit, ſed illud, quod parti infixum eſt et incuneatum, ad exteriora potentiſſime trahit, vt inde integra ſaepe morbi ſolutio ſubſequatur. In hoc affectu tractio ad partem affectam magis metuenda eſt, quia externa fere, et cucurbitulae vicina eſt.* Quis non videt, omnem hunc locum exacte applicari poſſe Veſicatorio, quod certe multo adhuc potentius attrahit, quam cucurbita.

a) *Praxeos Med. lib. XVII. cap. de febre peſtilenti p. 454.*

Illuſtris HVXHAM, de Veſicantibus in curatione pleuritidis inflammatoriae [b]) prorſus tacens, ea ſaltem admittit in pleuritidibus, ad minimum vulgo ſic dictis, quae parcam vel nullam ſanguinis emiſſionem permittunt, in quibus lateris dolor merum ſymptoma eſt, non morbus. Talibus doloribus, ab acrimonia, non inflammatione, oriundis, mederi inter

b) *Operum II. p. 224 ſeq.*

c) *II. p. 230.* alia etiam Veſicatoria dicit [c]). Alibi autem [d]) vbi de peri-
d) *p. 198.* pneumonia et pleuropneumonia, vt morbis inflammatoriis, agit, conuenienti ſanguinis copia detracta, Veſicantia, inprimis verſus febrium peripneumonicarum declinationem, applicare, videri dicit methodum medendi rationalem. Non aliter agendum cenſuit ſine dubio, in febribus pleuriticis, ſi Veſicantia requirerentur.

e) *Part. I. n. 4.* In actis Edinburgenſibus [e]) recenſentur pleuritides, quarum dolores in externis partibus ſedem habebant, attactu exacerbati. His Veſicatorium leuamen afferebat, quod tamen non, niſi largis et repetitis venaeſectionibus, ob pulſum durum et celerem, praemiſſis, admouebatur.

f) *Tom. III. p. 47. 48.* Ill. *van* SWIETEN [f]), poſtquam monuerat, cantharidum vſum in pleuritide minime tutum eſſe, vbi valida febris, calor magnus et putredinis ſigna adeſſent, paucis interiectis haec addit: „Vbi autem, poſt ſanguinis miſſionem requiſitam, „multum minutus fuerit febrilis impetus, nec in vrina et fae„cibus aluinis putredinis ſigna apparuerint" (en! quam parum *van Swieten* vim cantharidum, humores ad putredinem diſponentem, febrili impetui, qui idem hoc efficit, con„venire ſtatuat) et tamen dolor manet, et pulmo opple„ri incipit, tunc videtur a Veſicatoriis multum boni poſſe „exſpectari." Vidit, in tali caſu dolenti lateri applicatum fuiſſe Veſicatorium, quod et ipſe aliquando fecit fauſto cum ſucceſſu. Neque aliter procedendum voluit adeo cum militi-
ff) *vid. method. medendi morbis militum, edit. germ. p. 19.* bus, ſecus omnino ac Cel. *Pringlius* [ff]); quodſi enim dolor poſt ſaepius repetitas venaeſectiones non mitigatus fuerit, per experientiam conſtitiſſe dicit, latum emplaſtrum Veſicatorium, in affecto latere, vtile eſſe. Ill. *de* HAEN [g]), deſperatis pleu-
g) *rat. med. I. p. 42.* riticis poſt ſufficientes, ſaltem copioſas, euacuationes, epotum cum opio oleum, et amplum ad dolentem plagam Veſicans, praeter ſpem ſalutem adduxiſſe, refert. Clarum eſt, *poſtquam* repetitis venaeſectionibus, quas phlogiſticus lentor, in ſan-

guine

guine ſemper ſeſe monſtrans, poſcebat, impetus vis vitae ſatis retuſus erat, in rebelli malo, demum Veſicatorium admittere *Haënium*, cuius ſpicula, inſuper ſanguinem ingreſſa, oleo inuoluuntur, et opio cicurantur, quod etiam, quia Veſicatorium ſua virtute circulum ſemper accelerat, non, niſi eo ſatis retardato, locum habiturum erat. Alibi [h]), idem practicotatus vir teſtatur, quotieſcumque dolorem pleuriticum ad phlebotomias iteratas, ceteraque auxilia immorigerum habuit, Veſicante hunc breui ſublatum, febremque non modo non intenſiorem, ſed moderatiorem redditam fuiſſe. Addit, in praeparatis, quae ſemper requirit, corporibus, ſalubriter Veſicatoria adhiberi, humorum motu minime inde aucto. Det mihi hoc venerabilis vir, phyſica neceſſitate Veſicantia ſemper augere motum in corpore humano, quamdiu hoc ſenſu pollet, vt ſtimulantia ſine exceptione omnia, febremque numquam moderatiorem efficere poſſe, niſi cantharides, et loco ſalis cauſtici, nitroſum forte ſal, in ſe fouere incipiant. At vero fracto motuum impetu, per iteratas phlebotomias et alia auxilia, nil nocuerit, ſi pertinax durauerit obſtructio in parte affecta, inſurrexiſſe ad naturalem vim circuitus, vel paulisper vltra eam euehi.

h) *rat. med. III. 169. 170.*

Nimis vero edoctus ſum, circulum, iam celerem, Veſicatorio etiam celeriorem reddi. Si illud hunc intactum ſineret, neque intenderet, cur opus eſſet cautione, et monito, de praemittendis venaeſectionibus iteratis, et aliis auxiliis? Cur non liceret, *Pringlio* ſuaſore, adeo ante ipſam venaeſectionem primam, admouere Veſicatorium? Sane prorſus mecum facere Ill. HAENIVM, quoad cautiones has, atque perſuaſiſſimum eſſe, cum Veſicatorio non, niſi lente, eſſe feſtinandum, cum voluptate video ex enarratione pleuritidis pertinaciſſimae [i]), quae citra alium morbum, ex ea natum, demum 51. aut plane 60. die iudicata eſt. Quinquies miſſus erat ſanguis, ſemper cruſtam exhibens, ſiue pleno ſaltu, ſiue pigre proflueret.

i) *Tom. XI. p. 101. 102.*

Omnia

Omnia exquiſitiſſima antipleuritica fuerant exhibita: dolenti loco primum fomenta ac cataplaſmata fuerant admota, et deinde, his minus opitulantibus, leniſſimum Veſicatorium ex tribus quartis partibus empl. de meliloto, et vna quarta emplaſtri Veſicatorii. En quam caute!

Illuſtr. Archiater, L. B. *de* STÖRCK, ſi dolor punctorius neque debitis VSibus, neque fomentis, neque remediis mitigari potuit, tunc neceſſe fuiſſe parti dolenti apponere latum veſicans, notat [k]); et qui aliquoties pleuritidem ſolis venaeſectionibus iugulauit, vidit tamen caſus, vbi eam his ſopire non potuit, quia poſt vnicam, vires aegrorum illico conciderunt ita, vt debiles anhelarent, dolore non imminuto nec reſpiratione faciliore, pulſu reddito paruo, inaequali, et ingruentibus lipothymiis. Abſtinuit ergo a venaeſectione, licet dolor, et reſpiratio valde laeſa, eamdem indicarent. Decocta emollientia, herbis leniter aromaticis additis, vocabantur in vſum, cum fomentis et cataplaſmatibus externis.

k) *Anno med. II. p. 56.*

Tandem autem, ſi dolor intra vnum alterumue diem non ceſſaret, aut multum decreſceret, plagae dolenti latum Veſicans applicatum eſt, quod breui dolorem ſuſtulit, aut leuiorem reddidit [l]).

l) *Anno med. II. p. 68. 69.*

Elegantiſſimum eſt conſilium cel. *Ioſ.* QVARIN [m]), medici doctiſſimi, et in arte exercitatiſſimi. „Vbi poſt ſanguinis „miſſiones et fomenta, ait, dolor acerbus perdurat, empla„ſtrum Veſicatorium aequali portioni meliloti remixtum, late„ri dolenti applicandum, pulſu deinde inſurgente, ſanguis „denuo mittendus."

m) *method. medendi inflam. p. 79.*

Notabilis in hoc conſilio, quod ante agenda multa ſupponit, omnino eſt ſuaſio emplaſtri Veſicatorii, emolliente addito mitigati, deinde exſpectatio nihilo minus inſurrecturi pulſus, qui, vt in morbi ſtatu, denuo venaeſectionem efflagitat. Merentur certe hic legi ſignificantiſſima Verba Ill. *Tiſſoti* [n]), quae ſi vlla alia attentius expendi merentur: *Mayernius Baro*

n) *Lettre à Mr. Zimmermann ſur l'Epidemie courante p. 23. 24.*

Albo-

Albonae Veſicantibus vtebatur in pleuritide. Multa alioquin debemus Medicis Anglis. Timeo autem, ne nimii ſint, in eorum applicatione. Videntur illa conſiderare tanquam ſpecifica, ſed multum abeſt, vt hoc nomen mereantur. Quando attente et ſine praeiudicio legimus obſeruationes, quae iis maxime fauent, et quae pro fama ipſis ſtabilienda publici iuris factae ſunt, ſtatim perſpicitur, quod in morbi principio applicata eius decurſum non proinde breuiorem reddiderint, non prohibuerint violenta ſymptomata, non ſuſtulerint neceſſitatem reiterandarum Venaeſectionum. E contrario autem clarum redditur, ſi tardius poſt ſufficientes VSes fuerint applicata, quod feliciter operata ſint, et multum fecerint ad conſeruationem aegri, vaſa, quae obſtructione inflammatoria nimis diſtenta et atonica reddita fuerant, animando et excitando. Non obliuiſcar adhuc adferre ea, quae in ſequentibus tradit TISSOTVS [o]): *Applicaui interdum veſicatoria, ſed tantum praemiſſis euacuantibus, et quando oppreſſio et puncturae perdurabant, febre euidenter imminuta.*

o) *p. 32. 33.*

Iungam his monitis ſuffragium amici dum viuebat, cariſſimi, eruditiſſimi medici, *Erneſti Ieremiae* NEIFELD [p]), qui, quaſi a me rogatus, cogitatis meis ſimillima ſcripſit. „Veſicatoria, ceu ſummum remedium in curanda pleuritide, plurimi medicorum laudant. Cum vero in omni morbo inflammatorio ea, quae irritant, calefaciunt, et impetum augent, damnoſa obſeruentur, facile patet, tunc ſaltem ab iis aliquid boni eſſe ſperandum, vbi, poſt ſanguinis ſufficientem detractionem, minutus fuerit impetus febrilis, nec in excretis ſigna appareant putredinis, dolor vero maneat, et pulmo oppleatur.“ In hoc caſu Veſicatorium lateri dolenti applicatum ſaepe profuiſſe, experientia docet.

p) *rat. medendi morbis §. 880.*

Magnum deinde iudicium practicum prodit methodus elegans *Ioh.* BALL [q]), medici angli. Poſt ſaepius et breuibus interuallis repetitas venaeſectiones, ſequentia conſulit. Si iis adminiſtratis dolor non remittat, pulſus paruus reddatur, aeger

q) *tract. de febribus edit. germ. Tom. I. p. 235.*

aeger viribus deſtituatur, loco venaeſectionis, quam amplius non fert, parti dolenti cucurbitae ſcarificatae imponi debent, et, ſi adhuc dolor his omnibus non cedat, ſcarificato loco Veſicatorium imponendum eſt, quod ſaepe auxilium praeſtat, quando omnes hactenus indicatae methodi fruſtraneae fuere.

Obſeruemus ſedulo, quam circumſpectus ſit clariſſ. *Ball*, quam tardo greſſu ad Veſicatorium veniat, quam differat huius methodus a ciuis ſui, *Pringlii*, methodo. Hic incipit cum Veſicatorio, et primarium id ac ſpecificum remedium declarat. Ille tamquam vltimum laudat, ipſa adeo ſcarificatione praemiſſa. Hic pulſu duro celerique non obſtante id applicat. Ille non, niſi pulſu paruo et debili exiſtente. Quem eorum in aegrorum ſalutem imitari intereſt? Sed et ipſe PRINGLIVS, antea, vbi in genere de febribus acutis inflammatoriis et earum curatione agebat [r]), non niſi pulſui debili deſtinarat Veſicatoria, et ſub pulſu duro et celeri ab iis dehortatus erat. Verum deinde in pleuritide, et aliis morbis inflammatoriis, mutat ſententiam ſuam, et contra eam procedit.

r) *pag. 150.*

De pleuropneumonia non opus eſt, vt ſeorſim agam. In peripneumonia aeque liberalis eſt PRINGLIVS [s]), imo liberalior etiam in applicandis Veſicantibus, nam et dorſo, et vni, vel vtrique, lateri apponenda vult. Sputi ſuppreſſione, et reſpirationis anguſtia, ob oppletos pulmones excepta, ad quos liberandos ſtimulo in aliis partibus opus eſt, rationem vſus in peripneumonia prorſus non capio, cum non aeque, ac in pleuritide, in partem affectam agere queant Veſicantia, quod *Pringlius* largitur. Adeo in ipſa pleuridite limites ponit HVXHAMVS efficaciae cantharidum. En propria eius Verba [t]): *Pleuritidis in veram et ſpuriam diſtinctio in rerum natura vere eſt fundata et in curatione attendi meretur, quodſi enim muſculi intercoſtales ſoli ſint inflammati, multo plura a topicorum applicatione, qualia ſunt fomenta, cataplaſmata veſicatoria, cucurbitulae et ſimilia, ſunt ſperanda, quam ſi lateris dolor a pleurae* et

s) *p. 164. 165.*

t) *Operum Tom. III de pleuritide et peripneumonia cap. IV. p. 117.*

et externae pulmonum membranae inflammatione dependet. Quid igitur agerent veſicantia in ſtagnationes profundiores ſanguinis inflammatorum pulmonum? Attamen in peripneumonia *Pringlius*, poſt venaeſectionem, in ea praecipuam fiduciam locandam aſſerit. Ad promouendam expectorationem, bene procedentem, vix opus eſt Veſicatorio; multa alia melius huic ſcopo inſeruiunt, imo vero alia excretione ſine omni neceſſitate proritata, critica illa potius turbaretur, qua omnis morbus toties feliciter ſoluitur. Crediderim, pro reſolutione lentoris phlogiſtici in pulmone, et pro excitanda et promouenda, quando iam coepit et ſuccedit, expectoratione, balnea pulmonica eſſe rationi conuenientiſſima, et vſu multoties probata remedia, dum immediate ad locum affectum penetrant. Atque ſiue ſint mere emollientia, ſiue fiant cum aceto, inflammationi ſoluendae, et ſputo inuando, omnino paria ſunt, et multis vicibus Veſicatoriis praeferenda. Sed de his balneis, quod mirum omnino, in quae, poſt venaeſectionem, praecipua fiducia collocanda eſt, in ſanatione peripneumoniae, *Pringlius* prorſus tacet, Veſicantibus ſuis vnice nimiumque deditus, et confiſus.

§. LIX*b*.

Aliorum topicorum potentium mentio iniicitur.

Adhuc inquirendum ſupereſt, anne dentur methodi, quae in caſibus illis, qui ſecundum hactenus expoſita phaenomena, Veſicatoria admittunt, vel et flagitant, aeque efficaces, eadem fiducia, magnaque ſimul ſecuritate, in vſum vocari queant? Id ſane mihi experto videtur. Aſſerit PRINGLIVS [a]), in magna debilitate cum delirio, ſaepe ſinapiſmos, plantis pedum admotos, in excitando pulſu, et leuando capite maiores effectus praeſtitiſſe, quam Veſicatorium. Nonne, ſi non maiores, ſaltem aequos praeſtarent lateri affecto admoti, quam illud? Semen ſinapi, ad vegetabilia alcaleſcentia pertinens, ſua natura acerrimum eſt corroſiuum, rubefaciens, partemque, cui in pultem contritum imponitur, exulcerat, et, ſi hoc ſaepius repeta-

a) p. 151.

b) *in materia medica.*
c) *hiſtoria plantar. p. 426. 427.*
d) *l. c.*
e) *Comment. II. p. 31.*
f) *de morb. infant. pag. 380. edit. vlt.*
g) *Comment. III. p 43.*
h) *diſſ. de ſaponis vſu medico.*

petatur, gangraenam facit: cf. CRANTZ et VOGEL[b]); et BOERHAAVE[c]). Interim, quando fermento panis excipitur puluis, et ſal atque acetum additur, duo haec antiſeptica vim eius ſepticam moderantur, ita quidem, vt deinde tutius eiuſmodi ſinapiſmi, ſatis efficaces, Veſicatorio tamen mitius irritantes, admoueri queant. Conſtat quippe, ſemen ſinapi, interne aſſumtum, quod ideo BOERHAAVIVS[d]), in omni morbo, vbi inertia aquoſa phlegmatica dominatur, laudat, valde ſtimulare villos muſculoſos, et nerueos; vrinam mouere; ad venerem incitare, non tamen ad mictum ſanguinis et priapiſmum vſque; iuſto tempore et iuſtis ſubiectis exhibitum, non raro multum prodeſſe, neque facile necare, niſi nimia copia ſumatur, id, quod ruſtico, a SWIETENIO[e]) commemorato, accidit, qui, pro febre intermittente curanda, magna copia, in ſpiritu vini iuniperino, ſemen ſinapi ſumſit, a quo in ardentiſſimam febrem, tertia die interimentem, incidit. Cel. ROSEN[f]), quando pleuriticus Veſicatorium horret, ſinapiſmum ſubſtituendum conſulit, neſcio, an aequam virtutem inde exſpectans.

Ill. *van* SWIETEN[g]), frequenter ſe vſum dicit ſapone veneto, in aquae et lactis partibus aequalibus, vel in decocto emolliente, ſoluto, quod remedii genus deinde cum pannis laneis applicari fecit. Non memini, me eiuſmodi fotum ſaponatum alibi commendatum inuenire. Eruditiſſimus SCHVLTZIVS[h]), vt erat antiquitatum medicarum peritiſſimus, ex *Aretaeo* et *Paulo Aegineta* ad elephantiaſin ſaponem adhibitum probat; deinde noſtris moribus in ſpiritu vini ſolutum, vel in emplaſtro, rheumaticis arthriticiſque doloribus deſtinatum fuiſſe, notat; imo vero hypochondriacis, iecoris et ſplenis obſtructione laborantibus, in emplaſtris applicatum probat, ſed de pleuritico dolore nil adfert. Chronicorum malorum ſummum praeſidium ſapo eſt, interne exhibitus, nequaquam autem acutorum, eaque propter magnus eius ceteroquin

quin encomiaſtes, BOERHAAVIVS [i]), peſſimum eius vſum declarat, vbi vitae timetur a putredine diſſoluente. Extollit ſaponem, vt remedium aperiens, attenuans, reſoluens, diſſolvens, vniuerſale, in corpore humano, quoties a cauſſis, a ſe memoratis, laborat, quas inter certe phlogiſticus lentor referri nequibat. Interea in ſeriam deliberationem venire debet, an ſaponis externus vſus inflammatoriae pleuritidi conueniat, quod, experientia propria edoctus, *Swietenius* aſſerit. De doloris lenimine dubitandum non eſt. „Conſpicuus eſt, „inquit cl. SCHVLTZIVS [k]), qui plerumque ſatis cito percipi„tur, effectus mitigatorius, priſtinorum dolorum, cuius qui„dem beneficii aliquam partem tribuere licet rigidarum fibra„rum relaxationi, a pingui pariter ac humido allatae, ſed ma„ximam deberi exiſtimo ſublatae moleſtiarum cauſſae.“ Hic vero *Schultzius* de rheumaticis et arthriticis doloribus agit, non de inflammatoriis, acuta febre ſtipatis.

Cel. HEISTERVS [l]), dum de inflammationis externae reſolutione, et topicis, pro ea impetranda, remediis differit, ſubiecta in calidiora et frigidiora diſtinguit. Si his cum Chirurgo res ſit, inter alia ſaponem venetum, in ſpiritu vini ſolutum, laudat. Videtur ergo in illis ipſum adeo tutum haud habuiſſe. Certum eſt, ſal alcali, cuti applicatum, vt id ibi maneat fixum, ſolutum, perſpirabili humore, atque agitatum calore naturali hominis, facere pruritum, calorem, rubedinem, dolorem, vt ab igne, tenſionem reſplendentem, inflammationem veram gangraenoſam, duram, nigram eſcharam, in ima corporis vſque, ita vt vere agat, in corporis humani ſolidas partes, inſtar ignis [m]). En denuo rationem, cur a ſale volatili cantharidum, nullo alcalino mitiore, omnes hos memoratos effectus edente, et agente in partes inſtar ignis, nil boni in reſoluenda obſtructione phlogiſtica exſpectandum ſit. At aliter comparatum eſt cum ſale alcalino, per oleum mitigato, et cum eo in ſaponem verſo, in

i) *Chem. Tom. II.*

k) §. 21.

l) *in Inſtit. Chir. p. 275.*

m) *Boerh. Chem. II. p. 48.*

quo per oleum illius acrimonia ita obtuſa eſt, vt miteſcat, exuta ſua vi rodente. De hoc ſapone igitur *Boerhaauius* monet merito, eum tuto id efficere, quod alcalia cum periculo efficiunt. Quanta ergo ſoluentiſſimus ſapo, intuitu rodentium ignearumque cantharidum, reſoluendi fine admotarum, in pleuritidis medela gaudet praerogatiua! cui in decocto emolliente ſoluto, profundior, per laxatos poros cutis, aditus ad ipſam molem obſtruentem permittitur. Hanc attenuatam et ſolutam, dum oleum ſtrictas vaſorum fibras laxat, ſtimulusque, in eo latens, eas leuiter vellicat et excitat, vis circuli, a tergo appellens, deinde in motum abripere poterit, vt tandem ille bonus effectus producatur, quem Ill. *van Swieten* obſeruauit.

§. LX.

Quorum plura recenſentur.

Eiuſmodi autem fomenta ſaponacea, quorum vſus auctoritate ſummi huius viri, et rationibus praegnantibus, ſuffulcitur, ex propria experientia, commendare nequeo. Alia tamen habeo, quae non raro pulcherrimos praeſtitiſſe fructus, magna cum voluptate obſeruaui. Cum pleuritis vera ſit inflammatio, a multis iam annis miratus ſum, cur lateri affecto ſapientiſſimi viri ſaltem ſimpliciter emollientia et relaxantia fomenta, non vero illa ipſa antiphlogiſtica et antiſeptica applicanda duxerint, quae in phlegmone applicantur. Habet haec ſuam ſedem ſub cute in panniculo adipoſo; pleuritis vero in muſculis intercoſtalibus internis et externis, huic immediate ſubiacentibus. Iam, quando vis fomenti antiphlogiſtici per cutem penetrare apta eſt in membranam adipoſam, phlegmone laborantem, poterit etiam penetrare vſque ad muſculos intercoſtales, maxime apud illos, quibus textus cellulosus parco oleo repletur, vt apud omnes, ſtricto corporis habitu praeditos, ideoque ad pleuritidem, prae aliis, diſpoſitos. Certa hac ſpe freto, a multis annis invſu mihi fuit, aquae, cum ſpecie-

ſpeciebus emollientibus coctae, adiicere acetum, nitrum, ſal ammoniacum, atque hunc liquorem calidum cum pannis laneis iugiter applicare. Is tepida exhalatione potuit relaxare fibras, atque non ſaltem ſoluere impactum, ſed et condire liquida, et gangraenoſae corruptioni obicem ponere, dum interim venaeſectionibus et internis remediis, vt decet, pugnabatur. Eapropter, quo magis vehementior febris et calor hanc minabantur, eo citius ad nobile hoc topicum confugi, ſine inflammatione inducta, ſine putredine liquidis illata, quod inflammantes et ſepticae cantharides faciunt, inflammationi, per reſolutionem tollendae, et infauſtis eius effectibus praecavendis, aptiſſimum.

Quodſi poſt venaeſectiones iteratas, vel ſine his, ex epidemiae forte natura, citius pulſus ſubſideret, omniſque motus circulatorius, perſeuerante dolore, languens deprehenderetur, ad internum vſum antiphlogiſticae et antiſepticae camphorae, cum, vel ſine nitro, ſane ſub his circumſtantiis indicatiſſimum, confugi, topicumque meum pertinax continuari iuſſi. Didiceram, iuuenis adhuc, eximiam huius pharmaci virtutem a fidiſſimo praeceptore, immortali HOFFMANNO[a]), Sed et ſciebam, docuiſſe *Bagliuum*[b]): „Quando in pleuritide „viget indicatio diſſoluendi, camphoram, et ex ea parata re„media, pro ſecreto fere hanc indicationem abſoluere, prae„ſertim ſi pleuritis fuerit epidemica.“ Deſperate decumbentibus hoc morbo, pulueribus, ex nitro et camphora, fortiſſimis inflammationis debellatoribus, auxilium attulit celebris olim apud nos medicus, *Godofredus* KLAVNIGIVS[c]). Illuſtris WERLHOFIVS[d]), virginem pleuriticam, inſtante menſium tempore, inſignem doloris exacerbationem perpeſſam, et ſenem octuagenarium, cuius morbus iam in peripneumoniam degenerabat, emulſione camphorata cum nitro ſe ſanaſſe, refert. Scripſeram nouitius medicinae Doctor immaturum libellum, *de virtute camphorae refrigerante, incendiis corporis humani internis*

a) *diſſ. de camphora §. 15. et Med. Syſt. III. p. 579. et IV. p. 434.*

b) *p. 55.*

c) *noſoc. charit. obſ. 17.*

d) *in comm. litt. norimb. 1734. hebd. 35. 47.*

ternis reſtinguendis aptiſſima, quem, ſuo diſcipulo indulgens, praeceptor, *Hoffmannus*, praefatione comitari dignatus eſt. Dedit tamen hoc opuſculum *Werlhofio* occaſionem, vt laudatas obſeruationes publici iuris faceret et *Iohanni Samueli* nob. domino *de* BERGER, vt ad *Werlhofium* ſcriberet [e]): *Legi et probaui obſeruationes tuas de camphora. Ipſe hoc remedium, praecipue in pleuritide, maiori etiam doſi, quam quae abs te commendatur, ſaepiſſime et feliciſſime vſurpo.* In epidemica pleuritide camphoram cum nitro aegris bene ceſſiſſe, etiam vidit HVXHAM [f]). Eapropter valde etiam conueniet, fomentis laudatis adieciſſe camphoram, aut eam, oleo amygd. dulci ſolutam, inſtar linimenti applicauiſſe. Sane quando, pulſu exiſtente paruo et debili, et venaeſectione ſic prohibita, externa et interna mouentia indicantur, multis modis praeferendum duco linimentum camphoratum, antiſepticum ſummum, ſeptico emplaſtro Veſicatorio, quod, ſi in peſſima pleuritide gangraena ante fores fuerit, hanc inuitat, dum illud eidem potentiſſime reſiſtit. Mirari haud deſino, cel. *Pringlium*, qui camphorae alibi mentionem iniicit, eius tamen in pleuritide obliuiſci.

e) *comm. litt. norimb. an 1735. hebd 4.*

f) *II. p. 229.*

§. LXI.

Inter ea cucurbitae laudantur.

Superſunt cucurbitae cum ſcarificatione, lateri dolenti admouendae, quando venaeſectiones, cum aliis remediis, fruſtraneae fuere. Rationi omnino reſpondet hoc remedii genus, videturque, dum verum ſanguinem ex affecta parte educit, ac ſtagnanti cruori, vt promoueri poſſit, quaſi viam monſtrat, et parat, ſine inſigni irritatione, praeferri debere Veſicatorio inflammanti, ſerumque ſaltem rodente ſtimulo attrahenti et extrahenti, non ſanguinem ipſum, niſi, eum huius vi ſolutum amoueri, ſtatuere velimus. Satis antiqua haec Chirurgia eſt. CELSVS [a]), „confugiendum ad cucurbitulas, ait, ante ſumma „inciſa cute.“ ARETAEVS autem [b]), ſic praecipit: *Admouendae*

a) *cap. de laterum dolore.*

b) *lib. I. c. 10.*

dae etiam cucurbitae occaſio adeſt, ſed hoc poſt 7. diem facere optimum fuerit, ante ne feſtines. Eſto autem magna, omni ex parte lata, dolentem locum ambire valens. At flamma ſub cucurbita multa eſto. Extincto igne ſcarificandum eſt, tantumque ſanguinis, quantum vires permittunt, detrahendum, multo vero plus eſto, quam ſi alia de cauſa de praecordiis ſanguinem tires. Nam maxime perſpicuum eſt, quod in lateris morbo vexatis a cucurbita percipitur adiumentum. Inter recentiores RIVERIVS [c]), in declinatione, poſt febrem valde imminutam, ſi dolor perſeueret, admoueri ſuadet, ipſi parti dolenti, cucurbitulam, cum ſcarificatione, imo et ſequenti die iterum applicari, ad ſanguinem denuo extrahendum. Poteſt etiam ad eius mentem applicari ante declinationem, poſt iteratam phlebotomiam, bis aut ter. Et ſi dolor augeatur, vel redeat poſt aliquod tempus, iterum ſecabitur vena, et poſt iterum cucurbita applicabitur. Ad *Riuerium* prouocat WILLISIVS [d]), „Quodſi, inquiens, phlebotomia ob pulſum debilem, et functionis animalis languorem, nec primo celebrari, neque, „dolore licet plurimum vrgente, iterari debeat, huius vicem „cucurbitulae, cum ſcarificatione, loco dolenti applicatae, bene ſupplent.“ *Riuerius* et *Zacutus Luſitanus* notabilia curationum, hoc remedio effectarum, exempla citarunt. Et quidem haec praxis rationi ſatis firmae inniti videtur, nam ſanguine, e latere affecto detracto, qui in vaſis vicinis aggeſtus morbi cauſſa coniuncta eſt, commouetur, et partim extrahitur, partimque circulationi redditur.

c) *lib. VII. c. 2. p. 251.*

d) *Pharm. rat. II. p. 106.*

LANCISIVS [e]), venaeſectionem admodum laeſiſſe imbecilliores pleuriticos, memorat, ſanguinis autem e dolente latere, ſcarificatis cucurbitulis, extractionem nonnullis feliciter ceſſiſſe.

e) *de remani caeli qualitatibus p. 142. in hiſtoria Romanae epidemiae.*

Elegans ſane locus eſt, qui habetur apud Cel. MORGAGNI [f]), qui, licet prolixus, totus huc transſcribi meretur. „Id certe exploratum et compertum eſt, nonnullas pleuritides

f) *aduerſ. anat. V. p. 83.*

„ab externis ad internos, nonnullos contra ab internis ad exter-„nos intercoſtales muſculos, quandoque per metaſtaſin trans-„ferri, imo vero, vt ipſe bis vidi, in externum ſubcutaneum tu-„morem abſcedere. Nimirum quia, vt minimae quaedam pro-„pagines venae ſine pari, ab adipoſa membrana, perforatis ex-„ternis muſculis, intro feruntur, perque eas humor pleuri-„cus ab externis in interna ſpatia poteſt recurrere, obicemque „ponere ſanguini, ab aliis exiguis interioribus venis refluxu-„ro; ita arteriae intercoſtales (forſitan etiam per ipſa membra-„narum interſtitia diſtenta ampliataque) facilem aditum, pa-„ratumque iter eidem humori, cum fluxilior redditus fuerit, „ab interioribus in exteriores partes munire valent. Propter-„ea factum eſt, vt in pleuritide notha, in qua vehemens ad „tactum etiam dolor vrget, poſt ſectam ſemel aut iterum, pro „febris viriumque magnitudine, venam, nullum praeſtantius „auxilium inuenerim, affixis duobus cucurbitulis, inciſa prius „cute ſupra dolentem partem. Incantamenti ſiquidem, vt „aiunt, euulſo eductoque ſanguineo ſtimulo, ceſſauit dolor „ac febris. Quod ſane remedii genus etiam in pleuritide in-„terna, modo pulmones non ſimul afficiantur et *ſputum* cri-„tice non erumpat, optimum praeſidium poſt phlebotomiam, „interdum expertus ſum.“

Ex his omnibus, accurate conſideratis, clarum redditur, in eo conuenire celeberrimorum horum virorum ſententias, venaeſectionibus et reliquis antipleuriticis remediis, decenter adhibitis, nulla apparente criſi; ſtaſi autem ſanguinis in muſculorum intercoſtalium et pleurae vaſculis non reſoluta, ſed pertinaciter fixa manente, et doloris ſenſum ſuſtentante, hoſtem, in ipſa ſua ſede, vulnuſculis inflictis oppugnandum; eoque adigendum eſſe, vt loco cedere cogatur. Operae pretium omnino foret, crebrius, quam hactenus factum eſt, ad fere neglectam ſcarificationem affecti lateris recurrere, quae ſine dubio, ſine reſpectu ad venam ſine pari, etiam ſi alterum

ſatus afficiatur, aut alia thoracis regio, ſeſe egregiò fructu commendatura foret, atque palmam Veſicanti praereptura.

Sane Cl. BALL [g]), vt vidimus, venaeſectione non amplius ob aegri debilitatem locum habente, antequam ad Veſicatorium veniat, cucurbitas ſcarificatas praemittit, manifeſto documento, has ſat efficaces et tutiores ipſum iudicare Veſicante, deinde autem, ſi et hae non iuuerint, ad id accedere, et ſcarificato loco applicare. Recenſet Ill. HVXHAM [h]), ſaeuiſſimam pleuritidem, in qua incaſſum adhibita erant omnia, tandem loci ſcarificatione facta, leniterque cucurbitulis extracto cruore, Veſicatorium fuit ſuperimpoſitum, poſtea intra perpaucas horas euanuit dolor, vlcuſcula autem paullo difficilius fuere ſanata. Videtur Veſicatorium vim aliquam, cucurbitulis ſuperiorem, hic aperte commonſtraſſe, cum id praeſtaret, quod hae ſine eo praeſtare nequibant. Verum conſiderandum eſt, leuem tantum ſcarificationem factam eſſe, cruoremque cucurbitulis ſaltem leniter fuiſſe extractum. Huius ergo operationis effectus leuior ſubſtitit in cute, atque altius haud penetrauit; profunda ſatis debebant eſſe inflicta vulnuſcula, atque cruor fortius erat extrahendus. Ita forte impetratum fuiſſet, vt non intra perpaucas horas, ſed, quod *Morgagni* obſeruauit, ſtatim et incantamenti inſtar, euulſo et educto ſanguineo ſtimulo, febris et dolor ceſſauiſſent, tuncque Veſicante plane non fuiſſet opus. Alio quidem tempore HVXHAM [i]), poſt omnem apparatum antiphlogiſticum exhauſtum, tandem parti ipſi ſcarificatas imponebat cucurbitulas, haud ſubiuncto Veſicante, verum fruſtra. Oleum et opera erant perdita, dolor enim quotidie augebatur, neque vlla res, praeter opiata repetita, leuamen vllum, aut ſomnum afferebant. Verum notandum eſt, aegrum hunc hecticum iam fuiſſe, cum *Huxhamus* eum, vt pleuriticum curandum, ſuſciperet, et in parte affecta formatum iam abſceſſum fuiſſe, quo licet

g) *de febribus ed. germ. p.* 234.

h) *Tom. I. p.* 81.

i) *II. p.* 222.

cet

cet rite inciſo et magnam puris copiam fundente, coſtis duabus iam exeſis et carioſis, mortuus eſt.

Fuere, qui loco dolenti hirudines apponendas laudarent; quarum quinque vel ſex ipſi deſtinat cel. ROSE'N [k]). ZACVTVS LVSITANVS [l]) locis ſcarificatis, detracta cucurbitula, hirudines 6. admouit, felici ſucceſſu, vt ipſe teſtatur. Efficaciſſimum et imitatione digniſſimum mihi videtur duplex hoc auxilium, ſi haud ſufficiat ſola ſcarificatio; aequum emolumentum cum ea, ſi non maius, hirudines promittunt aegro, quam ſi ſcarificato loco Veſicatorium applicetur, longe maiores moleſtias faceſſens, quam ſuctio hirudinum. Quando poſt leuem ſcarificationem, enata ab applicato Veſicatorio vlcuſcula, HVXHAMO [m]) obſeruatore, difficulter ſanata ſunt, difficilius multo omnino ſanabuntur, ſi locus profunde fuerit ſcarificatus, quod tamen neceſſarium eſt, per ideam morbi, et eius ſedis verae, ſi iuuamen ſperare voluerimus.

k) *de morb. infantum edit. II. p. 308. et in pharmacop. domeſt. p. 65.*

l) *Prax. admirand: lib. I. obſ. 102.*

m) *Tom. I. p. 88.*

§. LXII.

Symptoma vrgens in pleuritide annotatur, Veſicantia poſcens.

Reſtat, cuius obliuiſci neutiquam debeo, vrgentiſſimum interdum apud pleuriticos ſymptoma, in quo leuando Veſicatoriis carere non poſſumus, non vero lateri, ſed brachiis, vel et tibiis ſine dilatione, applicandis. Primus vere iis tunc cum ſucceſſu vſus eſt BAGLIVVS [a]) ſcribens: *Obſeruaui in pleuritide, vtut praeceſſerit, vel non praeceſſerit ſanguinis miſſio, quandoque circa quintum, vel ſeptimum, vel aliis intermediis diebus apparere magnam ſpirandi et expectorandi difficultatem, quae patientem in ſummum vitae periculum coniiciebat. Irritis aliis, duo Veſicantia tibiis, vel cruribus admota non ſolum expectorationem, quae primaria criſis eſt morborum pectoris, fere ad ſtuporem ſtatim promouebant, verum etiam ſpirandi difficultatem leniebant, cum mutatione morbi in melius. Maiora dico, Quacunque die in pleuriticis ſpirandi et exſcreandi ſputi difficultas ſucceſſerit, ſtatim applicanda ſunt duo veſicantia tibiis, prout etiam ſentit Hippocrates lib. I. Progn. 67,* dicens:

a) *Diſſ. de Veſicantibus Cap. III. §. 1.*

dicens: *In pulmoniis quicunque tumores fiunt ad crura bonum, nec poteſt aliud quicquam melius accidere, praeſertim ſi mutato ſputo ſic appareant.* Sancte deinde fatetur *Baglivus,* ex centenis aegrotantibus, vix pauciſſimos obiiſſe, qui praefata methodo tractati fuerunt, a doctiſſimo quodam medico, in celebri xenodochio; idque potiſſimum ſe anno 1694. Romae hiemali tempore obſeruauiſſe refert, quo pleuritides epidemicae copioſe graſſabantur, ob intenſiſſimum illius tempeſtatis frigus, a copioſis niuibus et gelu productum. Tradit deinde aetiologiam, cur Veſicantia proſint, his verbis: „Introducto acri cantharidum ſale in ſanguinis maſſam, et mox in pulmones, in quibus ſtagnatio metuebatur, id incipientes coagulationes ſoluebat, humoreſque priſtinae circulationi reſtituendo, et ſpirandi difficultatem imminuebat, et exitum ſputi promouebat, „cum aegrotantis leuamine." Liceat mihi ad haec *Bagliuiana* praecepta monita quaedam adiicere, quae eo omnia tendent, vt Veſicatoriis ſolis non fidamus, ſed ante eorum vſum, vel ſi hic cito expoſcatur, ſimul cum eo idonea remedia in auxilium vocemus.

Si ab intenſiſſimo frigore nata eſt pleuritis vel pleuropneumonia, vt toties vtraque ab eo naſcitur, cogitare debemus, in muſculis thoracis et pleura, et maxime in pulmone, ſanguinem frigidiſſimi aëris inſpiratione fuiſſe coagulatum, et vaſa, per quae ferri debebat, conſtrictione anguſtiora reddita; igitur in illis immobilis haeret. Quis autem non ſtatim animaduertit, adhibita venaeſectione, poſt fotus externos, multo potu calido nitrato, et mellito, diſſoluendum eſſe ſanguinem, et balneo leni vaporoſo pulmonico, adiecto aceti ſtimulo, quod immediate ad partem affectam penetrat, diſſolutionem eſſe iuuandam, et vaſa laxanda. Si hoc ipſum in ſicca pleuritide, in principio ſtatim, iugiter fiat, ſaepe haec in humidam poterit conuerti, et ſputi eiectio, ſoluto ſtagnante lentore, proritari, iuuari et ſuſtentari. Si hoc omne vel negligatur, vel

non ſatis aſſidua opera haud praeſtetur, Veſicatoria, quorum ſal verum et proprium ſpecificumque lentoris phlogiſtici diſſoluens non eſt, quamquam in ſummo anguſtiae et ſuffocationis periculo indicentur, ſola ſcopum non attingent, aut non aeque feliciter. Neque etiam reſoluente et expectorante ſummo, ſulphure antimonii aurato, et oxymelle ſquillitico, vellem carere, et in ſola Veſicantia fiduciam meam locare. Deinde etiam in morbi principio, niſi forte epidemia venaeſectioni interdiceret, ſine hac praemiſſa, vel repetita, ſine actis omnibus aliis agendis, non facile recurrerem ad Veſicatorium, niſi forte ſpirandi difficultas ſumma, omnibus armis ſimul contra ſe dimicandum eſſe iniungeret, ad quae et ipſa Veſicantia nunc pertinere iudicarentur, quoniam contra vrgens et praeſentiſſimum periculum omnia ſunt tentanda. Notabile eſt, immediate poſt Veſicantium laudes, ita pergere *Bagliuum: Adverte autem, quod praefatis pleuriticis, in quibus haec commoda* (nempe reſpirationis emendationem et ſputi promotionem) *per Veſicantia obſeruauimus, adhibitis venaeſectionibus opportunis, ſola brodia pectoralia et remedia alcalica leniter diſſoluentia* (acida vegetabilia, ſaponacea, meliora fuiſſent) *in progreſſu curationis feliciter praeſcribebantur.* En! quam clarum ſit, quod ſine his Veſicantia vix profuiſſent. Balnea pulmonica, primum in pulmone oppleto remedium, a *Boerhaauio* potiſſimum in artem introducta, bonus *Bagliuus* ignorabat.

Atque ne forte alicui lectori haec mea notata ſuperflua et otioſa videantur, conſiderare intererit, epidemiam, quae Romae 1708. et 1709. intenſiſſima illa poſt hominum memoriam hieme, graſſata eſt, et a LANCISIO, fuiſſe deſcriptam. In pleuritidibus, quae hoc anni tempore vagabantur, cum primis diebus ſiccae fuerint, non modo fomenta et emollientes vnctiones, ſed et, *Hippocratem* ſecutus, largas potiones oleoſas, diluentes, emollientes, calidas, laudat, morbi cauſſae reſiſtere aptas, nempe fluidorum coagulationi, et nimiae canalium

b) *p. 142. 143.*

nalium duritiei. Deinde notanter addit: Praeterea, quamquam Veſicantium vſus raro in febribus, quas internae inflammutiones comitantur, conducat, eorum tamen iure meritoque meminiſſe oportet, cum quotieſcumque aegrorum corpora ſucci fuerint plena, vel in eiuſmodi morbis humoris feruor lentore vincatur, phoenigmis etiam opportunus ſit locus. Sane, ſi quid video, *Lanciſius*, vrgente inflammatione et febre, et praeſente humorum feruore, cautius mercandum cum Veſicantibus inculcat, quae ad lentorem inertem glutinoſum, ſine manifeſta febre, melius quadrant, ideoque etiam in margine §. lemma legitur: *Veſicantium vſus non omnino vitandus.* Prouocat deinde *Lanciſius* ad effatum *Hippocratis*, iuxta DVRETVM [c]): *Quibus ex peripneumonia ſub auribus, vel inferis partibus, naſcuntur abſceſſus, ibique ſuppurant, et fiſtulantur, hi defunguntur morbo;* atque duos aegros peripneumonicos ſiſtit, qui cruris, affecto lateri reſpondentis, dolore, rubore, intumeſcentia, correpti cito conualuerunt. Fauent omnino hi euentus fauſti, naturae vias legere ſtudioſo, et intelligenti medico, eaque propter Veſicatoria cruribus admouenti, modo omnia morbi phoenomena, quae nunc obtinent, et praegreſſa ſunt, decenter expendantur. Differunt tamen mirum quantum, naturae medicatricis, ſibi vias inuenientis, et artis conatus. Citat conſilium *Bagliuianum* Ill. *van* SWIETEN [d]), atque poſtquam quaeſtionem mouerat, cum omne irritans, calefaciens, impetum augens damnoſum habeatur in pleuritide, quid cogitandum ſit de Veſicatoriis, ex cantharidibus paratis? reſpondet tandem: *Videtur concludi poſſe, quod cantharidum vſus minime tutus ſit, vbi valida febris, calor magnus, et putredinis metuendae ſigna adſint.* Interea tamen in methodo medendi, militibus deſtinata [e]), in qua de Veſicante lateri pleuritico applicando ne ſyllaba exſtat, ſi poſt repetitas venaeſectiones dolor non multum remittat, et ſtrepitus in pectore, ac paucitas ſputi commonſtret, pulmonem obrui,

vtri-

c) *diuiſ. in Coac. de peripneum. no. 22.*

d) *Comment. III. p. 46. 47.*

e) *p. 19. et 22. edit. germ.*

vtrique ſurae Veſicatorium applicari iubet. Magnificus L. B. de STOERCK [f]): *Si ſtertoroſa* inquit, *tuſſis monſtret, multum muci praeſens eſſe, expectoratio tamen difficulter ſuccedat, oxymel ſcilliticum et Kermes minerale exhibendum. Si haec vero iuuent et ob copiam materiae collectae reſpiratio laborioſior reddatur, Veſicatoria ſuris applicanda ſunt et balneum vaporoſum pulmonicum ex calida aqua et aceto adhibendum.* Idem prorſus conſilium ſuppeditat Cel. TISSOT [g]): *poſt ſufficientes VSes*, ait, *Veſicatoria medentur oppreſſioni, et anguſtiae pectoris, pulmonique a viſcida materia obruto, quando incipiunt operari, reſpiratio et expectoratio fit liberior. Bagliuum* quoque, ſed non, niſi venaeſectionibus aliquoties praemiſſis, ſecutus eſt eruditiſſimus TRILLERVS [h]): *Si VSibus iam aliquoties repetitis,* inquit, *adhuc reſtat ſpirandi difficultas, vel magis exaugetur, tum duo veſicantia vel femoribus, vel tibiis applicanda ex Bagliui conſilio, deriuationis cauſa. Tum enim ſputorum fluxum ſtatim promoueri, ſpirandi moleſtiam leuari et alui quoque profluuium ſi adfuerit feliciter ſiſtibis aut ſex poſt Bagliuum obſeruauimus, licet non ſemper ex voto ſucceſſerit, vt ingenue fateor.* Eidem quoque ſcopo inſeruiunt cucurbitulae ſiccae, ex mente *Hippocratis*, et qui eum iure ſequuntur. Interim tamen aegram in ipſis mortis faucibus haerentem, et ab omnibus derelictam, hoc medicationis genere in vitam reuocauit [h]). Neque annuentem fortunam, dum ita procedebat, ſemper expertus eſt HVXHAMVS [i]): „In morbis ſeueris pulmonum, inquit, vt humores balneis tepidis, Veſicatoriis cet. ad pedes „deriuentur, rationi conſentaneum eſſe videtur, et re ipſa pro„fecto haec bono cum ſucceſſu fuere adhibita.“ Pulchre haec ſonant, ſed limites ſuos habet bonus hic ſucceſſus. Pergit quippe paucis interiectis *Huxham:* „Quando Veſicatoria, in „pulmonum morbis adhibita, ſeuerius ſuppurant, plerumque „magnum afferunt leuamen, ſaepe vero ſanantur difficillime, „quod inprimis annis 1740. 1741. 1746. 1747. notatu erat di„gnum. Ego vero tunc, ſi Veſicatoriorum exulceratorum „ſubito

f) *in egregio libro: Unterricht vor die Feld- u. Landwundaerzte I. Theil. Von dem Seitenſtich p. 108.*

g) *Lettre à Mr. Zimmermann p. 24. et 92. 93.*

h) *comment. de pleurit. Cap. IV. p. 54.*

i) *vide p. 75. 76.*

k) *Operum II. pag. 187. 188.*

„ſubito ſupprimebatur euacuatio, non tuſſim ſolum, atque
„ſpirandi difficultatem reuertiſſe, ſed quoque interdum inſi-
„gnes alui deiectiones, et interdum profuſiores mox acceſſiſſe
„ſudores, obſeruaui; ita vt non paucis in caſibus, vel do-
„lore, et ingenti Veſicatoriorum euacuatione proſterneretur,
„vel diarrhoea aut ſudore colliquatiuo deperderetur aeger,
„quam ſcenam mortiferam frequenter terminabant aphtae ter-
„ribiles, quae probabiliter ab acrimonia maiore ſeri et lym-
„phae oriebantur, a febre praegreſſa in gelatinam mutatae, et
„nunc diſſolutae in putridi ichoris ſpeciem.“ Simus aequi, et agnoſcamus, in luſa tragica hac ſcena, ſi non principem, certe tamen non vltimam perſonam egiſſe Veſicatoria. Concedamus, ad hanc putridi ichoris geneſin multum contuliſſe cantharides, earumque ſales, ſeſe ſanguini ſero et lymphae immiſcentes, quae ſuapte totam liquidorum animalium maſſam colliquant, benignam et blandam eius craſin peruertunt, atque in putridum ichorem abire faciunt. Igitur, ſi forte etiam vita ad tempus in memoratis caſibus per Veſicatoria protrahi videatur, tamen incertum ſemper manet, an aeger ad ſanitatem ſit rediturus, an in mala chronica illapſurus; variiſque miſeriis exhauſtus et confectus, ad plures ſit migraturus. Praeſtat, ſi fieri queat, prona via, per aſperam arteriam, ſolutos humores e pulmonibus ſcreatu expellere, hiſque a premente onere liberatis, et reſpirationis integritate reſtituta, morbum breui totum auferre, quam eoſdem humores, Veſicatoriis pedibus applicatis, primo in omnem illorum oceanum vocare, deinde longo itinere ad pedes ducere, labe ſimul toti maſſae affricata. Quodſi enim aliqua huius portio, etiam per artificialia vlcera eliminetur, tamen vita nondum ſalua praeſtatur, vtpote ſaepe fluxum illorum diuturnum non ſemper ſine damno ferens.

§. LXIII.

§. LXIII.

An et quousque in Angina Veſicantia conueniant, inquiritur. Sunt qui de illis tacent.

Poſt diffuſam ſatis tractationem de pleuritide, in qua nil, pro me, et contra ſecus ſentientes faciens, mihi omittendum erat, tranſeo ad *Anginam*, quae vero breuiore dilucidatione, ob antea iam dicta, indigebit. Certum eſt, per multa ſecula eius ſanationem ſuſceptam fuiſſe a ſummis Medicis, ſine veſicantibus, atque recentiore aetate, ex quo nempe mos inualuit parti affectae et loco dolenti in morbis inflammatoriis ea admouere, ſaltem in Anginae principio, a multis, qui ad illa tandem recurrendum eſſe putarunt, ipſa non fuiſſe adhibita. De Sinapiſmis haud loquor. SYDENHAMVS [k]) VSi repetitae, catharticis repetitis, clyſmatibus, gargariſmatibus lenientibus, emulſionibus, omnia tribuens, apponi vult ceruici epiſpaſticum amplum ac forte, poſt primam VSem. Non autem vna ſemper anginae facies eſt, quare BOERHAAVIVS, pro propriis ſibi in rebus medicis explicandis ordine, et accuratione, Anginam diſpeſcit in *aquoſam*, *inflammatoriam* varias partes in faucibus, larynge, pharinge, occupantem, *ſcirrhoſam*, *ſuppuratoriam*, *gangraenoſam*, *conuulſiuam*. In ſuppuratoria, gangraenoſa, ſcirrhoſa, cancroſa et conuulſiua angina, non videntur vllum locum habere poſſe veſicantia, quid enim horum actio ingenio memoratarum harum Anginarum detraheret, quae ab eadem potius omnes exacerbarentur. Aquoſae, oedematoſae, catarrhoſae medelam explicans Vir ſummus [l]), indici remediorum inſerit veſicantia, quae omnino conueniunt, quia omnia remedia nota commendat, quae vim circulationis augere apta ſint, inter quae certe eminentem locum cantharides obtinent. Quodſi vero eapropter ad hanc anginae ſpeciem bene quadrant Veſicantia, per rerum naturam clarum redditur, ea ad ſanandam anginam inflammatoriam, omne irritans, mouens et circulum augens excludentem, facere non poſſe. Aquae equidem contrariatur ignis, ignis autem igne non extinguitur. Igitur in *inflammatoria*

k) *pag. 737. 738.*

l) *aph. 796.*

Angina,

Angina, laudat conſuetam methodum antiphlogiſticam *Boerhaauius*, citam, magnam, repetitam VSem, validam alui ſubductionem, victum tenuem, lenem, nitrum; vaporem humidum mollem tepidum aſſiduo ore hauſtum, fomenta externa, deriuantia epiſpaſtica, cucurbitas, ſinapiſmos collo et pectori appoſitos, excluſis veſicantibus. Illuſtris Commentator [c]) in angina aquoſa, Veſicatoria nuchae, collo, et pone aures applicari vult, quia epidermidem in veſicas lympha plenas attollunt, ſicque eiusdem copiam minuunt, ſimulque irritando partes locis affectis vicinas, impetum ab iiſdem aliorſum auertunt. In inflammatoria autem [d]) poſt VSem et alui ductionem repetitam, praeter interna congrua remedia, diluentia, et attenuantia, vapores emollientes aquoſos, ore hauriendos, fomenta externe applicata, *Hippocratem* imitatus, qui ſpongias aqua calida plenas genis et maxillis apponi voluit, commendat. Praeter illa, ſummi vſus in hoc morbo eſſe dicit omnia, quae collo et pectori applicata, irritando acribus ſtimulis, impetum et copiam humorum verſus exteriora deriuant, ac inſuper hac ratione efficiunt, vt materialis cauſa locum mutet, et in alias partes tranſeat, cum vix vllus morbus acutus magis volubilis ſit. Iam dum ipſas has artes Veteribus pulchre exercitas fuiſſe, monſtrat, aliquis Lector expectaret, vt prona conſequentia veſicatoria ſit commendaturus. Sed mitiora longe irritantia quam cauſtica illa laudat. Si cataplaſmati ex emollientibus herbis parato, miſceantur ſinapi contriti ſemina, raphani ruſticani radix, ranunculi pratenſis contrita folia, vel ſimilia, habetur inquit, optimum ad hanc indicationem remedium, quod fouendo et laxando externas colli et pectoris partes, ſimulque irritando eas acribus ſtimulis efficit, vt fortunata in his morbis metaſtaſis verſus exteriora fiat. Sed et haec, demum antea agendis probe actis, in vſum trahi debent. Videamus adhuc methodum medendi morbis militum ab eximio hoc Viro promulgatam [e]) pro angi-

c) *Tom. II. p. 643.*

d) *pag. 677. 678.*

e) *Heilungs-*

art der Krankheiten, welche am oefterſten im Feldlager beobachtet werden. p. 9.

noſis. Conſiſtit illa in larga et repetita VSe, in cucurbitulis ſiccis toti collo et ceruici admotis, quae ſaepe in momento aegro leuamen adferant, in purgationibus antiphlogiſticis, cataplaſmatibus emollientibus, noctes atque dies calide admotis, decoctis talibus cum nitro, vaporibus relaxantibus calidis ore hauſtis, clyſmatibus lacteis, hordeaceis, ſi aeger deglutire nequeat, remediis ſaponaceis, gargariſmatibus, victu tenuiſſimo. De Veſicatoriis, etiam apud Viros duro de robore ſatos et minus ſenſibiles, altum ſilentium. Operae pretium erit indagare, qua ratione HOFFMANNVS [f]) Anginae, quam truculentum malum merito appellat, obuiam eundum velit. Omnia eius conſilia abſoluuntur in his, vt Hippocrate monitore ſanguis detrahatur, et aluus inferne ſubducatur, vt febrilis aeſtus temperetur; compactus ſanguis diſſoluatur, tam internis quam externis remediis, inter quae nequaquam aeſtum febrilem augentia Veſicatoria, ſed cataplaſmata emollientiſſima, emplaſtra lenientia, et mollientia collo et ceruici applicanda, gargariſmata et collutoria demulcentiſſima memorantur. *Vitio mihi vertendum omnino foret, ſi,* quid Viro Summo Cel. TISSOTO [g]), poſt tot cumulatas experientias, circa rationem medendi Anginae probetur, haud inquirerem. Omnes ſpecies Anginae inflammatoriae ſiſtens, et vniuscuiusque methodum adaptans, vniuerſaliter commendat poſt iuſtum regimen 4. 5. et plures VSes per interualla paucarum horarum, decoctum hordei cum nitro, aut cremore tartari, in defectu deglutitionis, crebra emollientia clyſmata, alta pediluuia, cucurbitas ſcarificatas circa collum, cataplaſmata emollientia, gargariſmata, vapores aquae calidae, lenes iniectiones per ſyringam in fauces. De Veſicantibus, quaſi non exiſterent, nil legitur. Cel. HEISTERVS [h]) purgantia, VSes repetitas, etiam in iugulo, clyſmata refrigerantia, cucurbitas, potus antiphlogiſticos, cataplaſmata emollientia, pediluuia et ſinapiſmos habet, nulla Veſicantia. Ipſe adeo HVXHAMVS i)

qui,

f) *Med. Syſt. IV. Part. I. p. 395. ſeq.*

g) *Avis au Peuple. Maux de Gorge.*

h) *in Comp. med. pract. cap VII. §. 21.*

i) *I. p. 212. 213.*

qui, vt alio loco videbimus, multum dat veſicantibus, dum aliis acribus in inflammatoria Angina non fauet, eo ipſo etiam haec diſſuadere videtur. En propria eius verba: *Eſt quaedam Anginae ſpecies, vbi gargariſmata et acria valent plurimum, a deſtillatione ſalſa et pituitoſa in fauces, quae muco plurimo obductae tument, febris modica adeſt, reſpiratio autem et deglutitio difficilis. In tali caſu, non multa VSe opus eſt, ſed epiſpaſticis et catharticis. Suadet Aretaeus elaterium, ſed habemus multo mitiora, at ſatis efficacia. Sinapi ex mulſo et aceto coctum idoneum facit gargariſma, et perutilem vaporem, quod mire elicit colluuiem. Attamen fugienda ſunt omnino haecce, vbi magna ſubeſt inflammatio, decoctum ficuum ex aqua et lacte cum nitro, melius multo eſt, et tutius.* Summos Viros in medium produxi hactenus, qui ſine veſicantibus felices fuerunt, in curatione multorum anginoſorum, quod nemo facile in dubium vocauerit. Iam alios non minus claros Viros in arte, iis maxime confiſos, plurimos tamen tantum, ſub certis morbi decurrentis ſtadiis, et conditionibus, videamus.

§. LXIV.

RIVERIVS [a]) iteratas equidem venarum, et inter eas iugularium ſectiones et purgationes repetitas ſuadet, vt et alia remedia ſelecta, et ad reuulſionem cucurbitulas ſcarificatas, ceruici et ſcapulis admotas, ligaturas partium inferiorum, lotiones pedum, ex aqua calida, quae omnia plurimum conferre ipſe dicit, tamen potentius adhuc reuellere a capite putat veſicatorium poſteriori parti ceruicis, ſtatim poſt primam VSem admouendum. Non aliter Cel. ROSEN [b]) in Angina, et quidem illi loco, vbi inflammatio eſt maxima, veſicatorium applicari vult, ſimulque VSes ſufficientes et cataplaſmata ex mica panis laudat. PRINGLE [c]), a quo ſumma elogia pro Veſicatorio expectaſſem, praefert tamen illi aliud externum remedium. Suffocationis imminens periculum commonſtrare ait, neceſſitatem largae VSis, purgantium et veſicantium. Pro-

Sunt, qui ea laudant, quibus vero argumenta ſolida opponuntur.

a) *Operum p. 242.*

b) *Haus- und Reiſeapotheke p. 46. qui exiguae molis liber iuſſu regio conſcriptus multa egregia quaſi in nuce complectitur.*

c) *pag. 58. 59.*

 vocat

vocat deinde ad *Sydenhami* praecepta, atque pannum laneum, cui linimentum volatile illitum fuit, tanquam efficaciſſimum remedium extollit, vel aequas partes olei et ſpiritus cornu cerui, ſi cutis ferat, circum totum collum ſingulis 4. vel 5. horis ponendum. Hoc facto collum, et interdum totum corpus, ſudore perfundi, et VSe inſtituta inflammationem vel tolli, vel minui, affirmat. *Celſum* ſimul allegat, qui ſpongiam cum calido oleo, melius quam aqua imbutam, vel ſacculum ſale repletum ſuperimponi iuſſit, atque quibusdam conſueta ſtercora animalium ſalium volatilium vſum commonſtrare, notat. Fateor ingenue, me nec *Riuerii*, nec Viri ſummi *Roſenii*, nec *Pringlii* veſtigiis inceſſiſſe. Impoſſibile eſt, vt ſtatim in principio aeſtuanti collo applicatum veſicans, ſanguinem ad partes affectas non magis alliciat, febrem non augeat, aliorum indicatiſſimorum remediorum lenientium et refrigerantium vires non infringat, VSis reiterandae neceſſitatem non maiorem reddat. Multo lubentius applicari aegris meis feci, fermentum panis, cum aceto, puluere ſinapi, nitro et ſale ammoniaco, vel fotum cum pannis laneis, ex aqua et aceto, cum his ſalibus, qui quoque rubefacit, extrorſum trahit, et ſimul vere antiphlogiſticus eſt. Linimentum volatile aut ex aequis partibus olei et ſpiritus cornu cerui paratum, melius quadrat ad tumores lentos et frigidos, ſine febre, ſoluendos et diſcutiendos, quam ad inflammatorios. Nemini hodie in mentem venit, interne exhibere febribus inflammatoriis laborantibus, ſales volatiles. Hos cultior medicina omnes reiicit. Quomodo igitur immediate parti inflammatae admoti congruerent, licet oleum vel largius vel parcius ipſis additum noxas, quas ſoli inducerent, moderetur? Habet HVXHAM [d]) caſum vehementiſſimae Anginae, in cuius curatione ſelectiſſima remedia exhauſit, tandemque cucurbitis humeris, et ceruici affixis, ſanguinem extraxit, locisque ſcarificatis veſicantia applicauit, ne ſic quidem leuato malo, aegro deinde poſt

d) *l. p.* 210. 211.

36.

36. horas a primo inſultu mortuo. Mihi quidem, ſi vnquam alibi, ex hac hiſtoria videtur elucеſcere, prae aliis remediis externis conuenientiſſimis, nullam praerogatiuam efficaciae illis decerni potuiſſe. Nihilominus deinde, quando dolet, euaneſcente ſubito Angina, et faucium tumore, aucta ſpirandi difficultate, plerumque cum funeſto euentu ſubito ſaepe, malum ſerpere ad pulmonem atque ante 7. diem occidere, omni ope nitendum eſſe inculcat, vt ad extra tumor vergat, admotis acribus cataplaſmatibus, imo acerrimo ad collum exterius veſicante applicato, quod quidem etſi haud vſitatum, tutum tamen et valde efficax auxilium eſſe dicit. Miror valde: nam paucis paginis interiectis e), poſtquam de angina mucoſa egerat, acria indicante et permittente, haecce fugienda omnino eſſe dicit, vbi magna ſubeſt inflammatio, vt §o. antecedente notaui. Nolim magnum Virum contradictionis inſimulare, id ſaltem noto, ſi nullis externis ſignis inflammationis in faucibus praeſentibus fixam ſedem haec nacta ſit, in muſculo albo glottidis, et carnoſis ei claudendae inſeruientibus, voce acutiſſima et ſtridula, ac anxietate ſumma, vt alia remedia omnia exhauſta, ita etiam veſicatorium, licet magna ſpe attractionis ad exteriora admotum, citam ſtrangulationem, et ſuffocationem, via aeri inſpirando et exſpirando interclusa, haud praepedituram fore. In curabili Angina inflammatoria magis mihi arrident conſilia Ill. STOERCK f) circa veſicantium adhibitionem. Hic ſi Venaeſectiones largiſſimae, breui tempore ſaepe repetitae, pediluuia, epiſpaſtica ſuris applicata, decocta lenientiſſima et gargariſmata cum nitro, vapores aquae bullientis continuo ore hauriendi, linctus molles, cataplaſmata emollientiſſima ad collum, purgantia tandem, quibus omnibus peſſimum malum ſe ſaepenumero feliciter debellaſſe affirmat, quandoque non iuuerint, aut inconſtans leuamen attulerint, factis debitis euacuationibus, tum demum veſicans latum et acre illi plagae colli, vbi intus morbus haerebat,

e) *pag. 212. 213.*

f) *Anno Med. II. p. 138. 139. 145. 146.*

g) *de curandis febribus et inflammationibus p. 229. ſeq.*

bat, applicari iuſſit optimo effectu. Excell. QVARIN g) VSes repetitas, cum *Swietenio* monitore praeſtet, vt exhauſtus aeger langueat aliquamdiu, quam vt miſerrime ſuffocetur, purgantia, pediluuia, cataplaſmata emollientia ad ceruicem, et collum, in caſu grauiore ſemen ſinapi illis additum commendat, et tunc demum inter vſum vaporum et gargariſmatum, vbi haec omnia leuamen non afferunt, factis depletionibus, ad veſicantia collo, brachiis, apponenda recurrendum vult. Ita lente feſtinandum eſt, cum hoc remedio violenter irritante, quod febre bonam partem mitigata, ſecurius in vſum trahitur, quod vero, vt vigente inflammatione, ita et eadem in gangraenam vergente, non poſſet non anceps valde et noxium, quin et lethiferum euadere. Recenſet Clariſſimus Vir h) caſum Aegrae grauidae, angina laborantis, cui ob ſummam irritabilitatem (quot vero foemellae dantur ad hanc claſſem referendae!) et intenſum calorem, veſicantia non potuiſſent apponi, quae in ſimilibus caſibus merito improbat *Wintringham.* Haec deſperate decumbens tamen ſine his fuit ſanata. Atque in debita illa obſeruatione iuuantium, et non iuuantium, indicatorum et non indicatorum, conſiſtit illa magni adeo momenti Praxeos medicae Ἐυκαιρία, de qua elegantiſſimam diſſertationem conſcripſit *Hoffmannus.*

h) *p. 256.*

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non iuſto tempore, vina nocent.

De Angina inflammatoria agens Cl. *Caſimir Medicus,* cuius ſummam violentiam ſaepe ſe, cum inſtante ſuffocationis periculo, vidiſſe dicit, in vno pede largam VSem inſtituit et ſtatim largum Veſicatorium nuchae applicat, propinata ſimul emulſione refrigerante. Si poſt applicatum veſicans pulſus adhuc fortis ſit et plenus in grauibus his caſibus, non dubitauit in altero pede VSem inſtituere, et ſimul reuulſionem per clyſma refrigerans intendere. Si veſicatoria ita comparata fuerint, vt

ſuffi-

ſufficienter potuerint operari, aegros qui antea ſuffocationi erant proximi, remoto veſicante et obligata plaga, ſibi viſos eſſe plenam libertatem deglutiendi obtinuiſſe, narrat; Nil tum amplius fuiſſe metuendum affirmat, ſi ſaltem plaga illa per determinatum tempus aperta ſeruata fuerit. Metuit interea *Medicus*, ne laudibus veſicatorio decretis multum decedat obiectione, a VSe larga et clyſteribus tantum certe et forte plus emolumenti obtentum fuiſſe, quam a Veſicantibus, gratis ergo ipſis potiorem effectum tribui. Sed regerit, ſenſibiliores aegros permiſiſſe quidem clyſmata et VSes, non vero veſicantia, hos autem non adeo prompte reſtitutos fuiſſe, alios ſine illis malo adaucto eſſe mortuos; neminem vnquam angina inflammatoria periiſſe, qui methodo tradita fuerit tractatus.

Adeo confidenter, ſuis experientiis nixus, Veſicantium anginoſo collo cito applicandorum vſui patrocinatur *Medicus*, vt parum abſit, quin lectores ad ſuam ſententiam amplectendam pelliceat. Si poſt applicationem pulſus adhuc ſit plenus, et fortis, ſe ad ſecundam VSem accedere, et reuulſionem clyſteribus praeſtare dicit. An credibile erat, praeſente febre vere inflammatoria, poſt veſicatorium, et a veſicatorio, febrem ſano homini inducente, pulſum molliorem et minus febrilem reddi debuiſſe, et potuiſſe? id quod a ſecunda VSe, omiſſo Veſicatorio, obtentum iri ſperari poterat. Si febris, ante eius applicationem arſerit, ardebit ab vrente veſicatorio adiuta magis, aduocatoque ad ventrem ſupremum copioſiore ſanguine, inflammatio non minuetur, ſed augebitur; ergo ſecunda VSe pro ea minuenda tanto magis opus, quando in malo moderatiore ea forte non opus fuiſſet. Sique nouum applicaretur veſicans, aut plaga denuo irritaretur, tertia certius erit opus. Si Angina ſine veſicantibus tractata multas VSes requirat, requiret adhuc plures applicato veſicante, cor et arterias indeſinenter ad frequentiores ictus exſtimulante.

Praeterea id vices neceſſariarum VSum nequaquam poterit ſubire, et ſuſtinere. Iuuant hae, euacuando, reuellendo et vim circuli minuendo, omnes autem nominatae dotes veſicanti ſunt negatae. Euacuatio pauxilli ſeri, intuitu Venaeſectionum ſanguinem ad libras euacuantium, eſt pene nulla. Veſicante vis circuli augetur, quam Venaeſectiones minuunt. Reuulſio per has obtenta longe praeſtantior, quam proritata a Veſicante; multo enim maior copia ſanguinis phlogiſtici ab inflammatis faucibus ruit ad brachium et pedem, cuius vena fuit ſecta, et quidem protinus breuiſſimoque temporis interuallo, quam ſeri ad ceruicis et colli cutem veſicante tectam, cum ad hunc adeo effectum obtinendum plures horae requirantur.

Pace Cl. *Medici* adhuc dixerim, in eius methodo quaedam ſumma remedia deſiderari, quibus dextre adhibitis fere abeſſe potuiſſent veſicantia. Bona fuit intentio reuellendi per clyſmata, ſed dum illa interdum inteſtina non niſi eluunt, eaque humectant, et faeces eliminant, quando non ſatis diu retinentur, multo potentius reuellunt valida purgantia antiphlogiſtica, raptum humorum a ſuperioribus verſus inferiora efficaciter auocando. Incredibile dictu eſt, et ſoli experti hoc norunt, quantum hac reuulſione boni praeſtetur. Deſunt in methodo Cl. *Medici* vapores aquae calidae, quibus tantum quantum aeger fert aceti admiſtum eſt, continuo inſpirandi. Hi immediate alluunt locum affectum, humores incarceratos ſoluunt, et attenuant, maxime ſi acceſſerint frequentia collutoria ex ſyrupis horaeorum et nitro, decocto hordeaceo admiſta, deſunt pediluuia. Deſunt tandem, quia locum ipſis iure debitum immerito occupant veſicantia, cataplaſmata emollientia, noctes atque dies circum collum ponenda, addito puluere ſeminis ſinapi aceto macerati, aut fomenta ex aqua cum aceto, nitro et ſale ammoniaco. Haec vero antiphlogiſtica ſi ſe altius inſinuent, quod intentioni medici reſpondet, inflammationi ſunt contraria gangraenamque praeuertunt, et inhibent,

bent, cum cantharidum atomi phlogiſtici, ipſum locum affe-ctum attingentes, phlogoſin eius ſua natura augere et intende-re, nequaquam minuere valeant. Haec autem praeſidia, quae, vbi aliquod auxilium locum habet, mirifice iuuant, vt ſaepe ſaepius obſeruaui, ſibi inuicem iungenda ſunt, nullumque eo-rum praecipue in caſu grauiore omittendum, antequam manca et inſufficiens medela, a praeſtantiſſimis Viris propoſita et feliciter exercita, haberi queat, atque antequam opus ſit, de nouis artibus, ancipitibus minimum, et ſobriae theoriae re-pugnantibus, cogitare. Largitur deinde Clariſſimus *Medicus*, non omnes anginae ſpecies adeo periculoſas eſſe, vt opus ſit, aegros deſcripta remediorum vehementia aggredi, ſe vero ſemper amaſſe profitetur Veſicatorium, et in quauis angina, id ſtatim poſt Venaeſectionem applicauiſſe, quia nulli morbo minus fidendum ſit, quam huic, adeo cito ſaepe cum ſuffo-cationis periculo inualeſcenti, has ſequelas autem egregie veſi-catorio auerti poſſe. Si ſumma malitia non ingruat angina, ſique inſuper mediocri vi inuadat, ſub methodo rationali non adeo increſcet, vt id periculum metui queat et debeat. Inter gradum mali, et virtutem remediorum ei opponendorum, de-bet eſſe iuſta proportio. Omittendo et committendo pecca-tur in Medicina. Non raro a tumultuaria multorum heroi-corum remediorum, ſine ratione praeſcripta, permiſtione et confuſione, morbos in toto ſuo decurſu turbatos et grauiores redditos vidi, qui ſimpliciore via certius et citius ſanabiles fu-turi erant. Nunquam oblitus ſum regulae mihi Nouello Me-dico olim a Sene Medico inculcatae: Cauendum eſſe Praxin feliciter exercituro, ne nimio affectu feratur in aliquod reme-dium, idque vbique fere ſine matura deliberatione in vſum ducat; ne aliud quandoque magis indicatum omittat, et prae-ter rem iners, vel nimis debile habeat et negligat. Illam re-gulam nunc ipſe Senex, contra quam non paucos peccaſſe ob-ſeruaui, iunioribus Medicis ſincere commendatam velim.

i) *Operum Tom. II. p.* 23.

Aut nullam attentionem merentur Verba HVXHAMI [i]), circa medelam febrium acutarum, quae tamen ſumma, opinor, cum cura perpendenda ſunt: *Quam ſaepe in Praxi conſueta videmus aegrotis larga ſatis copia ſanguinem mitti, et veſicatoria applicari, quod quidem ſic cum ratione conuenit, ac ſi quis partem magni incendii prius ſupprimere velit et mox poſtea reſiduam partem extinguere moliretur adiecto puluere pyrio et vini ſpiritu, aut ac ſi equo aſpero flagella et calcaria addere velis, quem demulcere cupias, quod ſane fieri ſolet cum veſicatoriis, vbi vis vaſorum oſcillatoria nimia, et fluidorum motus obſeruatur rapidior:* Aut, inquam, verba haec obiter et nullius momenti habenda ſunt, aut abſtinendum ab his emplaſtris, in principio inflammatoriarum febrium, quomodocunque etiam depraedicentur.

Loquitur adhuc Cl. *Medicus* de aliis remediis externis in Angina, et mentionem primo facit ſinapiſmorum, quos multas moleſtias ſecum ferre dicit (ſane hercle minores, quam naſcentes ex applicatione veſicantium), ſed eos debiliores eſſe in ſua actione, nec adeo efficaces affirmat, vt adeo in anginis leuioribus tantum locum habere queant. Satis credo monſtraui, quo grauior angina inflammatoria, quo fortior febris, qua ſtipatur, eo magis veſicantia nocere, cum in leuioribus et in grauioribus anginis ſinapiſmi iuuare queant et nocere nunquam. Dicit deinde, ſe vſum quoque eſſe a *Pringlio* laudato oleo cum ſale volatili, cui interdum minuta huius quantitate parcam quantitatem laudani liquidi Sydenh. addiderit. De hoc linimento egi in antecedentibus. Opium calidum largiore, vel minuta doſi in febribus inflammatoriis, nec interne nec externe conuenire, monſtraui euidenter, in libro meo *de vſu opii, ſalubri et noxio, in morborum medela.*

k) *p.* 335.

Meminit tandem [k]) ſcarificationum in collo et dorſo, a *Lazerne*, *Heiſtero* et aliis commendatarum, Veteribus iam notarum et ab *Aretaeo* laudatarum. Magnum certe hoc remedium haberi debet, ipſum ſanguinem eliciens, affluxum a loco

intus

intus inflammato auertens et reuellens, febrem nequaquam augens, ſed minuens. Cum vero ardente ſuo affectu in veſicantia feratur *Medicus*, Cel. *Sieuerts*, ea in Angina magnifacientem, ſequi, hisque prae omnibus topicis palmam decernere, miſſis ſcarificationibus, maluit.

Supereſt illa *Angina maligna*, de qua doctiſſimam Commentationem conſcripſit HVXHAM [l]). Rubor ſumme floridus primo apparuit in vuula, tonſillis, velo palatino, quandoque in atrum vergens, maculae albae cinereae partes has obſidebant, ſpiritus emittebatur foetidus, de hora in horam peior, ipſis aegris intolerabilis, mucus ex ore et naribus inflammatis et exulceratis excernebatur, acris, foetens et purulentus [m]). Hanc malignam anginam magis ab humorum acrimonia et abundantia, quam inflammationis violentia deducit HVXHAM [n]), quae aut peripneumonia aut comate et delirio necavit [o]). VS. non profuit, ſanguis, qui ſecunda et tertia vice perperam emittebatur, totus erat ſanioſus cruor [p]), in merum liquamen putridum conuerſus, licet primus glutinoſus eſſet. Methodus medendi erat, vt in malignis febribus. Profuit cortex, camphora, acetum, Elixirium vitrioli. Iam, quod poſt haec praemiſſa vix expectaſſem, non tantum pro iuuando tumore, ex parte critico, parotidum caeterarumque glandularum colli, ſed variis aliis morbi temporibus, collo ab aure ad aurem ſe applicauiſſe maximo cum ſucceſſu Veſicantia dicit. Horum applicationem in angina conſueta vtilem habet, et multo magis in hac, vbi humores adeo acres ſunt et maligni. Haec poſtquam ediſſeruerat, febrem hanc ex genere malignarum peſtilentialium fuiſſe declarat, paucis horis effluuia peſtilentialia in vera peſte, in ſaniſſimis hominibus reſolutionem putridam et procliuitatem ſanguinis in gangraenam excitare contendens, profecto autem hanc anginam malignam parum

l) *Operum Tom. III.*

m) *p. 101. 102. 103.*

n) *p. 104.*

o) *p. 106.*

p) *p. 109.*

ab illa peſtilentiali virulentia diuerſam fuiſſe, affirmat, cum non tantum fauces, ſed pulmones, inteſtina, coeteraque in diſſectionibus corporum gangraenoſa, et tota ſanguinis maſſa in merum putridum cruorem mutata apparuerit. Nunc, vt morbi, de quo ipſi ſermo eſt, aetiologiam tradat, volatilia alcalina ſalina, cum ſanguine ſub circulationis actione commixta, eum ſoluere putredinemque eius in ſummo gradu certiſſime accelerare, aeſtumque, ſpiritum foetentem, vrinamque malo olentem efficere aſſeuerat [q]). Deinde effectus putrefacientis acrimoniae in angina hac maligna, cum effectibus ſalium volatilium comparat, hosque illis exacte ſimiles eſſe affirmat, idque omne fuſius illuſtrat. Alio autem loco aliaque occaſione diſertis verbis ſcripſerat [r]): *cantharidum ſalia, ſimili fere ratione, vt ſalia volatilia vim ſuam exerere, et profecto diſſolutionem, indeque ſanguinis putredinem promouere.* Fatear ingenue, me prorſus ignorare, quomodo e diametro ſibi oppoſita haec et illa effata, inuicem concilianda ſint, quomodo putredinem inducens veſicatorium febri, diſſolutum et putridum ſanguinem in vaſis circumagenti, obicem ponere queat et debeat. Non bene intelligo, quomodo eodem tempore, quando acida vegetabilia, et mineralia ſumme neceſſaria, pro ſaluando aegro habentur; quando dominante in faucibus gangraenoſa corruptione, linctus et gargariſmi ſpiritu ſalis et vitrioli largiter inpraegnati, contra putredinem adhibentur; quando eapropter vapores ex aceto vini, myrrha et camphora imbuto, inſpirantur, quae remedia interna omnia ſuadet *Huxham*, ſimul externe, vt ſalia volatilia ſanguinem in acre putridum ſoluentia veſicatoria, cum ratione applicari queant. Nonne magis expediebat foris etiam vera antiſeptica, fermentum panis cum aceto, ſale ammoniaco, camphora applicauiſſe? quae bibulis venis excepta, et ad fauces transmiſſa, aequa vi cum modo citatis gargariſmatibus, linctubus et vaporibus anginam malignam impugnare poterunt. Veſicatorium certe deſpe-

q) p. 119. 120.

r) Operum Tom. II. p. 115.

deſperatum in tali caſu remedium eſt, ſi non malo praeſente peius, tamen aeque malum. Eiusmodi malignam Anginam deſcribit Ill. *de* STÖRK [s]), Huxhamianae ſimillimam, cum deglutitione admodum difficili, quae nec Venaeſectioni nec euacuantibus locum dabat. Vires debiles debebant erigi, putredo et gangraena ſupprimi. Factum hoc linctu ex Melle roſarum ſyr. Viol. cum ſpiritu ſalis, cataplaſmate emollientiſſimo, ſolutione extract. cortic. peruu. in aqua et vino auſtriaco, addito ſpiritu ſulph. per campanam, gargariſmate cum melle roſarum. His tres aegri ſine veſicantibus ſanati, quarto mortuo. Non reticere volo aliis applicata haec emplaſtra fuiſſe, ſed in aliis ſpeciebus Anginae inflammatoriae praecipue. Vena bis ter quater ſecta, aluo nitroſis et nitratis antea fluxili reddita, toto collo cataplaſmatibus et fomentis inuoluto, vaporibus aquae ebullientis continuo ore hauſtis. Quando hic, pulſu molliore facto, deglutio tamen et reſpiratio difficilis permanſit, extremo remedio opus erat, quare totum collum veſicante circumdatum fuit, cum fructu, quem ita laudat STÖRCKIVS [t]), vt ſcribat, a ſolo igitur vuſicante (non ſtatim in principio principii, ſed debito tempore applicato) ſalus alicuius aegri pependit. Cel. QVARIN [u]) rarius ſe vidiſſe notat Anginam malignam, qualem *Huxhamus* deſcribit, ſi obuenerit, methodo ab illo tradita, fuit tractata. Eiusmodi Anginam mali moris ſine febre habet etiam *van* SWIETEN [x]), cuius faciem ſatis tetram pingit. Hanc tamen ſi ſtatim ei cito obuiam eatur ſimplici medela, Melle roſarum cum ſpir. ſalis marini, et gargariſmate ex fl. ſamb. infuſoque florum horum calide hauſto, feliciter curari, neglectam autem in veram gangraenam abire dicit. Notat tamen alibi [y]), Anginam vere inflammatoriam magna febre ſtipatam, ſi in gangraenam abeat, vix medelam capere; idem edixerat *Boerhaauius*.

s) *Anno Med. II. p. 141. ſeq.*

t) *p. 146.*

u) *p. 247. ſeq.*

x) *von Feldkrankheiten, p. 10. 11. 12.*

y) *ad aph. 816.*

§. LXV.

§. LXV.

Mentio iniicitur Phrenitidis, Dyſenteriae, inflammationis ventriculi et inteſtinorum, vt et Ilei.

Iam cum ſecundum quorundam Celebrium Virorum ſententiam, Veſicantia in omnibus ſine exceptione febribus inflammatoriis ſint congrua et indicata remedia, reliquas inflammationes hactenus nondum tactas ſeorſim conſiderationi ſubiicere, et ex principiis a me ſtabilitis, contrarium demonſtrare deberem. Verum crambem toties coctam Lectoribus apponerem, pulchre praeterea perſuaſus ſum, ſi ad ſtuporem flagrantem amorem in veſicantia nonnullorum Medicorum, non moderentur et paululum frigefaciant hactenus a me prolata argumenta, repetitionem horum iteratam illas parum moturam fore.

Quam male Phrenitidi ſanandae reſpondeant Veſicantia, iam explicaui, vbi de delirio febrili, ſemper ſi vrſerit et increuerit, phrenitidem veram minitante, verba feci, quae omnia denuo legi et expendi velim. Addo tamen illis adhuc ſequentia. Cel. PRINGLE [a]) largas et repetitas Venaeſectiones, praecipue iugularium, hirudines temporibus admouendas, laudat, reliquam curationem conſiſtere dicit, in adhibitione veſicantium, et aliorum conſuetorum remediorum, inter quae camphoram et nitrum refert. Miror purgantia antiphlogiſtica, ad lenem diarrhoeam vſque, non memorari, abſolute neceſſaria omnibusque veſicantibus, cum maiorem reuulſionem praeſtent, febremque non intendant, ſed imminuant, ſuperiora. Allegaui de delirio febrili agens §. 32. praeſtantiſſimos Practicos, qui Veſicantibus in hoc morborum genere ſeſe opponunt, iungo his nunc BOERHAAVIVM [b]), qui in apparatu ſelectiſſimo remediorum contra phrenitidem, epiſpaſtica leuia ad inferiora plantis pedum, cruribus, poplitibus applicanda habet, ſed ex fermento, ſale, aceto et ſemine ſinapi [c]). Talia etiam tantum commendat Commentator *van Swieten,* cauendum ſimul monens, ne non tantum non capiti, ſed nec inferioribus corporis partibus applicentur talia, quae motum humorum acriore ſtimulo

a) *p. 154. 155.*

b) *aph. 781.*

c) *in Comm. proprio.*

mulo per totum corpus incitare poſſent. Quid clarius eſt, quam eo ipſo illum a Veſicantibus dehortari. Ill. QVARIN [d]) ſequens conſilium ſuppeditat: Epiſpaſtica acriora (ſed nulla alia, quam ex farina ſecali, pulu. ſem. ſinapi et aceto), in phrenitide ad plantas pedum conueniunt, abſtinendum a Veſicantibus. Vidi, addit, praecipue in ſubiectis valde ſenſibilibus, peſſimos effectus, dum abraſis capillis veſicantia capiti applicabantur. Iam liberum relinquo Lectoribus meis, an *Pringlii*, et quem in ſuperioribus adduxi §. 32. Cl. *Medici* aliorumque pro veſicantibus militantium, an *Boerhaauii*, *Hoffmanni*, *Swietenii*, *Quarini* methodum, quam efficacem et tutum non raro expertus ſum, ſequi maluerint.

d) *de curandis febribus et inflammationibus p. 218.*

* * *

De *Dyſenteria* egi alibi [e]) monſtrauique, me non capere contradictiones, quae illis merito imputantur, qui veſicantia laudant, et tamen omnia alia acria qualiacunque diſſuadent, a quibus omnes practici Scriptores ſine exceptione dehortantur. *Calida Carminatiua*, inquit PRINGLIVS [f]), *nequaquam valent ad tormina lenienda, et flatus propellendos, cum vtrumque moleſtiam potius augeant.* Et tamen paucis interiectis pergit: *Si dolores pertinacius ſuam ſedem occupauerint et fomentationibus non ceſſerint, veſicantia loco dolenti applicata leuamen afferebant.* Quis calidiſſimis carminatiuis non calidiores haberet cantharides? ſi illa malum augeant, an hae id poterunt minuere? In Victu adeo dyſentericorum abeſſe vult omnia calida acria, aromatica, ſalſa et ſales Cl. DEGNER [g]), ſed maiorem attentionem meretur, quod dyſentericum et arſenicale venenum ſimiles ſibi effectus edere dicat et probet [h]). Nullum nempe Venenum ſibi notum eſſe affirmat, ad quod effectus et ſymptomata veneni corroſiui, et putrefacientis dyſenterici, gangraena et mortificatione necantis, propius accedant, quam ad arſenicum, quod iisdem ſymptomatibus et eadem ratione necat, quare etiam

e) *Sect. III. de vſu et abuſu Opii.*

f) *p. 264. 265.*

g) *de dyſenteria bilioſa p. 139.*

h) *c. II. §. 55. ſeq.*

non dubitat, acri venenoſo dyſenterico arſenicalem naturam et indolem adſcribere [i]). Nunc per Deum immortalem oro omnes cordatos, vt conſiderent, an hoc acre cauſticum ſepticum virus dyſentericum, cantharidibus acribus, cauſticis, ſepticis queat corrigi? Forte autem virus cantharidum dyſentericum virus ad exteriora trahet et inteſtina ab eo liberabit? Sed id, doloribus fixam ſuam ſedem pertinaciter occupantibus, dolentibus locis firmiter adhaeret. An ſi veſicatorium id extrahere poſſet, eroſioni et exulcerationi, quam intus inteſtina patiuntur, effectibus acris dyſenterici, medebitur? Mira res eſt, interne pro lenimine eroſarum et exulceratarum partium exhibentur oleum, gummi arabicum, radix ſalab, vno verbo omnia demulcentiſſima, et eodem tempore externe applicatur rodens, vrens, inflammans emplaſtrum veſicatorium. Vix credibile foret, praeiudicia adeo late, tantaque fertilitate ſeſe poſſe propagare, niſi eiusmodi conſilia in publicum emiſſa, a Magnis Viris legerentur. Sed certum omnino eſt, ex vno errore ſequi infinitos. Perpendi vero attentius debet, vim veſicantis abdomini admoti per cutem, membranam adipoſam, muſculos, peritonaeum, non facile penetraturam ad internam ſuperficiem inteſtinorum, libere in cauo abdominis fluctuantium, niſi abſorptae cantharidum atomi humoribus miſtae lege circuli eo perueniant. Sed vae locis eroſis et exulceratis! ſenſibiliſſimis futuris et aetneos ardores paſſuris, ſi tale quid eueniat. Iam miſero ſatis in ſtatu verſatur aeger, quod latum veſicans abdomini applicatum febrem dyſentericam augeat, eiusque effectus ad gangraenam vſque promoueat, ſi etiam in locum affectum non agat.

i) *c. II. §. 56. 57. 58.*

* * *

His omnibus tamen non bene conſideratis, *in Ventriculi adeo et inteſtinorum inflammatione* ipſoque *Ileo* Cel. PRINGLE [k]) Veſicatoria ſuadet felicem ſucceſſum ſibi viſus obſeruaſſe. Nullas

k) *p. 168.*

Nullas malas ſequelas inde euenisſe affirmat, ſi etiam mox poſt Venaeſectionem, applicata fuerint. Speciatim in *Ileo* ea vtilia declarat, viderique ea in doloribus inteſtinorum fixis aeque prodeſſe, ſiue ab inflammatoria, ſiue flatulenta cauſa proveniant. Comparemus cum hoc conſilio praecepta Baerhaaviana. In inflammatione Ventriculi iniungit vir ſummus [l]), cauendum ſummopere eſſe, ab omni acri, atque in inteſtinorum inflammatione [m]), caute cauendum vult, ab omni acri impetum faciente. Aut ergo haec conſilia communis totius Europae in Medicina Praeceptoris, omnia imaginaria, inania, et in ipſa natura morbi male fundata ſunt, aut ſtatuendum eſt, peſſime facere illos, qui neceſſariis et vnice valentibus remediis, Venaeſectionibus largis, et repetitis, clyſmatibus diluentibus relaxantibus antiphlogiſticis, mulcentibus, lubricantibus, oleoſis, potui perpetuo calido talium, fomentis emollientiſſimis, linimentis oleoſis, toti abdomini applicatis, prorſus ſua actione contrariantia veſicatoria iungunt, vel quod peius eſt, illis bonam partem omiſſis, ad haec praecipue magno aegrorum damno confugiunt. Non impugnabo conſilium BRÜCKNERI, qui in *diſſertatione de Colica pictonum*, emplaſtrum cum cantharidibus paratum ad locum Ventris pluri-mum dolentem applicatum actione in neruos Pareſin praecavere air, HAENIO, colicam pictonicam potiſſimum opio, purgantibus et oleo perfici affirmanti [n]), quae ſane methodus Brücknerianae e diametro contrariatur. Quid dicam ſeorſim de *Ileo*, an veſicantibus vlla vis eſt, dolorem ſummum, vomitum, pertinacem obſtructionem alui, quibus Ileus abſolvitur, et ſine quibus tempeſtiue remotis morbus non curatur, impugnandi? De his momentis tacens Ill. *de* HAEN vſui non contrariatur [o]), ad pleuritidem prouocans, et Autores, qui acria et veſicantia in Ileo morbo tantopere laudant; addit tamen, quod notari volo, poſtquam vt in pleuritide conſueta artis adminicula incaſſum fuerint adhibita. Nullum tamen

l) *aph. 954.*

m) *aph. 964.*

n) *rat. Med. X. p. 109. ſeq.*

o) *Tom XI. p. 203.*

etiam ſub his conditionibus fauſtae applicatonis exemplum habet, ſed in varia ilei natura confore exiſtimat. An apta ſunt veſicantia, vt motum periſtalticum inuerſum naturalem reddant? quod adeo feliciter immiſſus fumus tabaci immediate in inteſtina agens praeſtare ſolet. Summum remedium in Ileo balneum eſt tepidum, ex furfuribus, ſapone raſo, et lacte, quo dolor ſemper, licet interdum ad tempus tantum, minuitur, quo tamen aſſidue adhibito toties vincitur. An, dum fibras ſumme relaxans hoc remedium iuuat, etiam iuuabit ſumme irritans, et fibras ad contractionem ſollicitans? An, dum Ileus ſi necet, Gangraena necat, adeoque pro aegri ſalute febris moderamen clamat, illam veſicante augere et ex calida aeſtuantem reddere conſultum erit? An, dum anodyna caute danda aliis agendis actis indicantur, vt ſpasmi dolorifici minuantur, irritantiſſimis cantharidibus eos excitare et intendere iuuabit? Melius certe et conuenientius aget, qui, monente MEADIO [p]), coeteroquin magno Veſicantium Patrono, hic tamen de iis tacente, ſi corpore toto balneo tepido immerſo nondum diſcuſſus dolor ſit, cucurbitulas circa vmbilicum cum leuibus inciſionibus defigere fecerit. Veritati practicae apprime congrua ſunt, quae ſcripſit BAGLIVVS [q]): Iliacae paſſioni quo fortiora adhibueris remedia, ſiue purgantia, ſiue clyſmata magis irritantia, eo magis obſtruetur aluus, ob auctam fibrarum inteſtinalium criſpaturam et contractionem. Conferunt magis anodyna, emollientia et diſſoluentia. Satis clarum eſt, Magnum Virum Veſicantibus calculum ſuum non adiecturum fuiſſe. Plura dicam. Obſeruante illo, ſi ileo ſuperueniat ſtranguria, vrinae ſuppreſſio etc., malum erit lethale. Vellemusne Veſicatorio, quod toties nuchae, brachiis ſuris admotum ſtranguriam parit, abdomini applicato lethalitatem certius accerſere, morbumque, qui ſine eo forte lethalis haud futurus erat, data opera lethalem efficere.

p) *Monit. Med. p. 73.*

q) *Operum p. 139. 140.*

Saepe

Saepe miratus ſum, dum Cel. PRINGLE cum ſuis ſectatoribus, in omnibus inflammationibus adeo confidenter Veſicantia applicari vult, cur non earum laudes et efficaciam, quam tantam ſtatuit, quamque in hepatitide commendare non oblitus eſt [r]), etiam ad *Nephritidem* non extenderit. At vero ſi ſatis audax fuiſſet, in applicando lumbis nephriticorum veſicatorio, contradiceret ipſi merito Cl. CVLLEN [s]), diſerte affirmans, quod Veſicantia in nephritide vix locum habere queant, ſed magnam circumſpectionem poſtulent, ne cantharidum notabilis abſorptio fiat. De hac, de eius effectibus in humorum maſſam, deque febre inde mota, licet res ſummi momenti ſit, omnes illi, quod mirari non deſino, plane non cogitarunt, qui adeo faciles et liberales pro medela febrium et inflammationum in applicatione horum emplaſtrorum, ſeſe exhibuerunt, nil prorſus mali ab iis metuentes.

r) *p. 168.*

s) *in primis lineis Medicinae pract. traductis a Beerenbrock. p. 189.*

Ego autem nunc vela mea contraho, finioque bono cum Deo cogitata mea de Veſicantibus, magis minusque in illis morbis, quibus haud conueniunt, noxiis futuris, ſi in emplaſtris maior minorque fuerit cantharidum quantitas, aut haec adhuc puluere muſcarum harum conſpergantur, tumque vel breuiore vel longiore temporis interuallo in loco, cui appoſita ſunt, relinquantur. Si nimis rigidas et duras meas animaduerſiones eſſe, quidam Medicorum, in paradoxis ſibi placentium, et omnia nouiter ebuccinata, omnia generoſe, fortiter et vehementer in humanum corpus agentia, ſine examine circumſtantiarum, ſine praeuia matura deliberatione, in vſum vocantium, cauſſentur, videant illi, ne Venenum, quo in artis exercitiis carere haud poſſumus, nimis innocens et, vbi vere noxium eſt, in aegrorum damna ſalutiferum habeant. Si feſſo, membrisque aetate et morbis fractis, corporisque

§. XXXVII. Vlterior eius dilucidatio 158
§. XXXVIII. Experientiae, pro vſu Veſicantium in febribus malignis allegatae, ad ſalutarem adhibitionem adſtruendam non ſufficiunt 164
§. XXXIX. Cl. Aepli methodus medendi febribus malignis expenditur 169
§. XL. Vberior ſententiae meae dilucidatio circa curationem malignarum 173
§. XLI. Cel. Aepli mihi factis obiectionibus reſpondetur 180
§. XLII. Cl. Forſten ſententia de vſu Veſicantium in malignis expenditur 191
§. XLIII. Autoris denuo Methodus medendi malignis febribus proponitur, cui egregie reſpondet methodus Cel. Strack, inertiam et vanitatem veſicantium aperte monſtrans 196
§. XLIV. Eximius Vir interea ob nonnulla modeſte notatur 199
§. XLV. De camphora correctrice cantharidum habita animaduerſiones 202
§. XLVI. Ab omni aeuo per multa ſecula Pleuritis ſanata eſt ſine veſicantibus 211
§. XLVII. Veſicatoria non quadrant Pleuritidi, ob pulſus duritiem, et febrem, nec ſubiectis ſenſibilioribus 216
§. XLVIII. Veſicatoria repugnant ideae de vera morbi ſede 219
§. XLIX. Veſicatoria repugnant ideae doloris in genere 221
§. L. Maxime autem, ſi dolor ſit inflammatorius 224
§. LI. Veſicatoria in pleuritide remedio principi venaeſectioni contrariantur et criſes turbant 226
§. LII. At his omnibus non obſtantibus, laudantur Veſicatoria, loco dolenti admouenda, a Mayernio, et Meadio 230
§. LIII. Tum et praecipue a Cl. Pringlio, cuius methodus conſideratur 233
§. LIV. Quae vlterius expenditur 237
§. LV. Et adhuc fuſius, vbi ſimul Cl. Cloſſius adducitur 240
§. LVI. Defenſor vſus Veſicantium in Pleuritide, Cl. Forſten, modeſte refutatur 245
§. LVII. Placita Cel. Medici modeſte examinantur 255
§. LVIII. Experientiis modo citatorum virorum in laudes Veſicatorii adductis, aliae contrarium loquentes opponuntur 271
§. LIX. Sub quibus circumſtantiis pleuritidi veſicatoria conferant, docetur 276
§. LIX b. Aliorum topicorum potentium mentio iniicitur 283
§. LX. Quorum plura recenſentur 286
§. LXI. Inter ea cucurbitae laudantur 288
§. LXII. Symptoma vrgens in pleuritide annotatur, Veſicantia poſcens 292
§. LXIII. An et quouſque in Angina Veſicantia conueniant, inquiritur. Sunt, qui de illis tacent 298
§. LXIV. Sunt qui ea laudant, quibus vero argumenta ſolida opponuntur 301
§. LXV. Mentio iniicitur Phrenitidis, Dyſenteriae, inflammationis ventriculi et inteſtinorum, vt et Ilei 312

VSVS
VESICANTIVM
SALVBRIS ET NOXIVS,
IN MORBORVM MEDELA,
SOLIDIS ET CERTIS PRINCIPIIS SVPERSTRVCTVS,

A

BALTHASARE LVDOVICO TRALLES,

MEDICO VRATISL. SEREN. DVCIS SAXO-GOTHANI CONSILIARIO ET ARCHIATRO, ACADEM. CAESAR. NAT. CVR. ADIVNCTO, ET ELECT. BOICAE SCIENTIARVM SOCIO.

SECTIO POSTERIOR.

VRATISLAVIAE,

SVMPTIBVS IOANNIS ERNESTI MEYERI.

MDCCLXXXIII.

PRAEFATIO.

Citius in publicum prodire facio, quam ſperaueram, ſectionem poſteriorem huius operis. Otium vero, licet minime gratum, mihi fecit, quae me iam a multis annis duro ſuo et tremendo iugo ſubiecit, Regina illa dolorum, Podagra. Poſtquam per ſeptimanas lectulo me affixerat, eoque exire tandem permiſerat, reliquit tamen in pedibus, primo, inſignem tumorem, deinde hoc diſcuſſo, maciem, moleſtum

membranarum tendinumque rigorem, ambulandi difficultatem et in toto corpore magnam debilitatem. Huius viribus fractis, ſenſi tamen, per ſingularem DEI gratiam, virium mentis plenam integritatem, vt illam in vigore aetatis meae ſenſi. Cum igitur in publicum prodire nequirem, obliuioni datus a plurimis Vratislauienſium meorum, quibus antea non infelix opem praeſtiteram, vacuas a ſcribendis litteris et conſultationibus ad exteros aegros quosdam transmittendis, horulas, telae huic, quam texere inceperam, pertexendae optime impendi poſſe credidi, ne forte Autor operis *imperfecti* morerer. Nondum ſcio, quomodo prior ſectio excepta ſit a Medicis doctis, et in arte peritis, aequisque arbitris, ſpero tamen, illam non prorſus diſplicuiſſe, cum praemiſſam, ante tres annos, commentationem de Veſicantibus, benigne exceperint, calculoque ſuo adiiciendo dignati ſint haud pauci. In hac poſteriore ampliorem locum feci his emplaſtris, quam feceram in illa; vt adeo cadat obiectio iniuſti cuiusdam *iudicis*,

me

me illa pene ex arte eiecta velle. Cenſuras, quibus me expono, non curabo, intimo ſenſu conuictus, quod ſine omni lucro, ab impenſo labore capiendo et expectando, nullum alium ſcopum mihi fixerim, quam Medicinam in hoc articulo fidei eius, magis, ſi ita loqui liceat, orthodoxam praeſtandi, experientiam caſtam et firmam reddendi, rationis acceſſu artis exercitia a praeiudiciis liberandi, ſalutemque publicam promouendi. Piaculum foret, ſi cum immortali SYDENHAMO, a cuius doctrina et meritis immortalibus mirum quantum remotus ſum, tenuitatem meam vlla ratione comparare auderem. Licebit mihi interea, cum ſimile fatum cum illo, ex Arbitrio ſummi rerum humanarum Directoris, ſubire debuerim, verba ipſius, paucis mutatis, mea facere, quibus tractatui ſuo de Podagra finem impoſuit: *Si ſaeuiſſimi illi cruciatus, impotentia ad motum, coeteraque corporis mala, quae ego per maximam vitae meae partem, ſum perpeſſus, (vna cum damno rei familiaris, quod ſuſtinui, a Medicina facienda toties aduerſa*

valetudine auocatus,) alienis aegris, diuerſis a meo, morbis laborantibus, emolumentum aliquod poſſint comparare, *erit, vnde me fructum aliquem miſeriarum, quas hac vita toleraui, in aliam migrans, percepiſſe exiſtimabo.* Scribebam Vratislaviae, die 4. Febr. MDCCLXXXIII.

CONSPE-

CONSPECTVS.

§. I. *Regulae generales, circa vſum veſicantium in priore ſectione obſeruatae, et in hac poſteriore conſtanter obſeruandae* pag. 1
§. II. *Cephalalgia* 6
§. III. *Apoplexia* 18
§. IV. *Paralyſis, praecipue Hemiplexia* 40
§. V. *Epilepſia* 65
§. VI. *Vertigo* 74
§. VII. *Mania* 80
§. VIII. *Ophthalmia* 89
§. IX. *Cataracta* 99
§. X. *Amauroſis* 103
§. XI. *Odontalgia* 107

§. XII.

§. XII. *Morbi aurium* pag. 111
§. XIII. *Rheumatiſmus* 115
§. XIV. *Malum iſchiadicum* 121
§. XV. *Dolor arthriticus verus, Podagra* 128
§. XVI. *Aſthma* 141
§. XVII. *Tuſſis* 150
§. XVIII. *An Infantibus conferant Veſicantia* 153
§. XIX. *De Cortice Mezerei nonnulla* 161
Addenda 163

---

§. I.

Non multum honoris reliquiſſe videor Veſicantibus, in tota quam edidi, ſectione priore, de vſu et abuſu eorundem. Interim non facile reuocarem a me dicta et probata, certus quippe ſum, et conuictus, emplaſtra haec, paucis conditionibus, quas ſedulo indicaui, exceptis, a febrium medela penitus abeſſe debere, quicquid hactenus de magno eorum vſu tradiderint Celeberrimi quidam Viri. Factum eapropter eſt, vt in Bibliotheca germanica berolinenſi durius paulisper notatus ſim, ac ſi omnem veſicantium vſum in praxi medica abrogatum, et ex ea eliminatum vellem. Quanquam vero abuſui nimis familiari, quantum potui, contraniti allaborauerim, longe tamen abſum, vt faciam cum FABRICIO *ab Aquapendente* [a]), qui ſtultum eſſe pronunciauit, adhibere veſicatorium ex cantharidibus paratum, cum alia et tutiora ſuppetant. Conuictiſſimus potius ſum, Medicinam veſicantibus carere neutiquam poſſe, atque ipſe ego, et mihi aliquando, et aegris meis ſat ſaepe ea applicari feci, et de obtento fructu gauiſus ſum. Non poſſum ergo non iam curatius oſtendere, in quibus morbis, praecipue ex natura ſua, et actionis ſuae in

Regulae generales, circa vſum Veſicantium, in priore ſectione obſeruatae, et in hac poſteriore conſtanter obſeruandae.

a) *Chirurg. Part. II. c. 14.*

corpus humanum vera indole, eadem locum habere queant, et debeant, atque fauſtum effectum promittant. Stabiliam et praemittam generales aliquot regulas, Magnorum Virorum conſenſu ſuffultus, aegritudinumque ipſarum conſiderationem et medelam illis ſuperſtruam. Regulae hae, vt in ſectione priore a me conſtanter et exacte obſeruatae ſunt, iam dicta ibidem Lectoribus in memoriam reuocaturae, ita et hac poſteriore nunquam negligentur et obiter habebuntur.

I. *In illis morbis proſunt Veſicantia, qui ex languore et imbecillitate motus oriuntur; vbi ſtimulo et incitamento opus eſt* [b]), *vbi ſyſtole arteriarum augenda, et vniuerſa ſanguinis et humorum maſſa celerius mouenda eſt* [c]); *vbi vis vitae debilior eſt, quam vt morbum coquat* [d]).

Facile igitur per contraria iuxta ſe poſita conſtat, in morbis, qui ex exceſſu motus, huiusque impetu oriuntur; vbi fraeno potius, quam incitamento opus eſt; vbi ſyſtole arteriarum et celeritas in vniuerſa ſanguinis et humorum maſſa minuenda; vbi vis vitae vehemens et fortis eſt; veſicatoria obeſſe debere. Hoc credo, in tota ſectione priore euidenter commenſtraui.

II. *Proſunt Veſicatoria in morbis a colluuie pituitoſa et ſeroſa, corporibus temperamenti et naturae ſegnioris, phlegmaticis, ſpongioſis, obeſis* [e]), *ad humidum inclinantibus, pinguibus; in diatheſi ſanguinis viſcida, craſſa, atque eapropter ad coagulationes et ſtagnationes ſeſe diſponente* [f]); *namque acri cantharidum ſale humores diſgreguntur, et ſoluuntur. Eapropter in omnibus morbis frigidis veſicatoriorum ſucceſſus eſt magnus* [g]). *Agunt nempe ratione ſtimuli, quo languentem motum ſanguinis excitant; et vi fundente, qua pituitoſum iners diuidunt et attenuant, hinc in omnibus languidis et frigidis morbis tanti ſunt vſus* [h]). *Eatenus ſcilicet bonum effectum praeſtant veſicatoria, quod acres eorum particulae cohaerentia liquida ſoluant, fluida*

b) *Hoffm. diſſ. de Veſic. ſ. 6.*
c) *Hoffm. Med. Syſt. Tom. II. p. 284.*
d) *de Haen rat. med. VIII. p. 168.*
e) *Hoffm. l. c.*
f) *Bagliv. p. 66.*
g) *Boerh. Comment. ad aph. 75. veſicatoria.*
h) *van Swieten in Comment. Tom. I. p. 108. in fine.*

fluida reddant, *et vim circumpulſiuam canalium ſtimulo augeant* [i])

Quodſi nunc haec omnia ita ſeſe habeant, oberunt neceſſario in morbis, a copia ſanguinis boni, denſi, phlogiſtici, in corporibus exercitatis, cholericis, macilentis, gracilibus [k]), eapropter in omnibus morbis calidis ſucceſſus erit malus, in quibus, quia motus circumpulſiuus iam auctior eſt, eum in damna aegri magis excitabunt. Reprehendit quidem Veteres eapropter FREIND [l]), quod cantharidum vſus iis ſane perrarus fuerit, vtpote qui non niſi in frigidis humoribus locum haberet. Sane ſi in his locum habeat, vt vere habet, in calidis eum ſimpliciter habere nequit. Aut in frigida et lenta conſtitutione vſus valere poteſt, aut in calida quae illi opponitur, in vtraque nullo modo. Inconcuſſae veritatis eſt axioma practicum, contraria contrariis tolli. Pulcherrime Veterum medendi rationem tuitus eſt BAGLIVVS [m]), *Primi* inquiens *Veſicantium Inventores nunquam iis vtebantur, niſi ad excitandos ſoporoſos et a morbo refrigeratos. Vbi vel ſoporoſos excitare, vel morbo frigefactos calefacere non opus erat, ab vſu veſicantium prorſus abſtinebant.* Male egerunt, dum non ita ſeſe geſſerunt, ſubſequentium aetatum Medici.

III. *Conuenit Veſicatoriorum applicatio in regionibus ſeptentrioni vicinis, frigidis, humidis et praecipue tempore hyemali* [n]). *Cauendum ab ea eſt, in conſtitutione anni calida et ſicca, in ſimilibus pariter temperamentis, regionibus, victus generibus, aetate iuuenili* [o]).

Qualecunque autem tempus anni adfuerit, in quacunque regione aeger decumbat, quando, ſi ita loqui liceat, nunc per morbi naturam, in eius corpore ardet Sirius, aut is ex temperata zona ſibi naturali, in torridam praeter naturam delatus ſit, a veſicantibus certe leuamen incommodorum, quae patitur, nullum, ſed certiſſimum augmentum experietur.

i) *Lanciſ. de palud. p. 166. 169.*

k) *Bagliv. p. 652.*

l) *p. 59. in Comment.*

m) *Operum p. 655.*

n) *Hoffm. diſſ. de veſicantibus §. 6. Bagliv. p. 655.*

o) *Bagliv. p. 652.*

IV. *Conueniunt Veſicatoria, quando intentio eſt, certam corporis partem ſic irritare, vt in eadem maior calor, rubor, dolor excitetur, humorumque ſic aduocetur et acceleretur affluxus, quo demum illa pars, quae a morbo praecipue afficiebatur, eo minus humorum accipiat, multaque vis morbi ex reliquis corporis partibus, ad vnum veluti deriuetur.*

p) *ration. med. VIII. p. 108.*

Ita eleganter exhibet Illuſtris *de* HAEN p) ideam reuulſionis, quam Medici ſaepius, nec ſine fructu intendunt per veſicantia, ac impetrant; quia lege microcoſmica ſancitum eſt, vt ad locum dolentem fiat vberior humorum cum ſanguine affluxus. Facile autem capitur, irritationem dolorem excitaturam, tum ſaltem conuenire et fieri debere, quando ob eam vt particularem, ſtatim ſecutura irritatio vniuerſalis, quae motum omnem ſolidorum, et humorum circuitum auget, nil quod medelae aduerſetur, poſt ſe trahere poteſt. Eueniet bonus effectus, ſi dum applicatur veſicatorium, pulſu naturali exiſtente, febris per eius ſtimulum inducta, ſiue fortior, ſanitati recuperandae ſit indifferens, aut pro hac impetranda ſimul illa opus ſit. Malus autem effectus eueniet neceſſario, ſi corpus ſit ſanguine diues, ſenſibile, mobile, febrisque iam praeſens ſit, namque tunc ſub optima reuellendi intentione, omnia mala augebuntur, quae a circulo aucto iam aderant, et adhuc augendo metuenda erant. Scilicet licet quaedam quantitas humorum ab ea parte, quae a morbo praecipue patiebatur, ad illam, cui appoſitum eſt veſicatorium, determinetur, ob auctum circulum, quem id ſimul excitat, alii humores in partem quae morbi ſedes eſt, ruent, maiorique forte copia, quam ante appoſitum veſicatorium. Praeſtant ergo in his caſibus, ſemper omnia illa reuellentia, quae circulum non intendere apta ſunt. Nolo ſilentio praeterire conſiderationem, ſi humores quos reuellere volumus, parti affectae fuerint tenacius infixi, nondumque mobiles redditi, aut mobiles reddi

nequeant,

nequeant, fiet omnino, vt hi minime, ſed illi ſaltem, qui libere circulantur maiori quantitate ad locum, cui veſicatorium impoſitum eſt, alliciantur, aliique circulo aucto ad impactos ſimul proiiciantur.

V. *Conueniunt Veſicatoria, quando topicus dolor coeteris auxiliis immoriger, irritandus eo fine eſt, vt qua doleat, materies attenuetur, diſcutiatur, et foras extrahatur.* HAEN *rat. med. VIII. p. 169.*

Sed tum attendendum, an dolor ſecum coniunctum habeat impetum febrilem, an non; an cauſa haerens in loco dolente, ſit ſeroſa et pituitoſa, aut ſanguinea et phlogiſtica. In prioribus caſibus optime cedet irritatio, in poſterioribus peſſime.

VI. *In morbis neruorum, a ſola ataxia ſpirituum, ad ſtylum Sydenhami pendentium, caute cum veſicantibus agendum.*

Cum cantharides ſat valido ſtimulo agant, non in illos neruos ſaltem, quos immediate attingunt, ſed vniuerſum neruorum ſyſtema commoueant, et concutiant, facile patet, illa corpora, quae per fabricae teneritudinem valde ſenſibilia ſunt, et irritabilia, ad heteroclitos motus ex leui animi pathemate, ex leui aurae frigidiuſculae afflatu, admodum pronas, vim ſtimuli difficulter ferre, ſed in inſignes motuum anomalias facile abripi. Foemellas hyſtericas in hunc cenſum venire, facile clarum eſt; quo magis autem hae ex paſſionibus animi, aut ex irritante acrimonia multo mitius agente, quam ſal cantharidum, facile ſpaſmodicis et conuulſiuis affectibus ſubiectae ſunt, eo magis probe perpendendum eſt, an bene conueniat his, vel aliis aegritudinibus, quibus affliguntur, veſicatorium. Memori mente tenenda reor HOFFMANNI [q]) monita: *Si corpus,* inquientis, *acutioris ſenſus eſt; ſi aeger a leviſſima cauſa animo mouetur, magnaſque facile in corpore experitur mutationes, aetas iuuenilis, habitus corporis ſtrictior, et macilentus; morbus etiam in paroxyſmo et impetu conſtitutus,*

q) *diſſ. de Veſicat. vſu* §. 14.

tus,

tus, *vel locus cui veſicatorium apponi debet*, *admodum nervoſus*, *longe maior motuum exacerbatio cum praſentaneo damno inde expectanda*, *eapropter ab iis abſtinere conſultius eſt.*

VII. *Vbi tenuis acrimonia internis et praecipue ſenſibilibus et nobilibus partibus inſidet et inhaeret*, *grauia ibidem damna illatura*, *atque ob vim vitae debilem non ad externas partes corporisque ſuperficiem ablegari poteſt*; *aut ſi poſtquam hanc occuparat*, *malis artibus*, *aut regimine minus bene obſeruato*, *aere forte frigido admiſſo*, *retropulſa fuerit*, *veſicatoria eandem ad externum corporis habitum alliciendo*, *multum boni efficere queunt.* Id in morbis exanthematicis obſeruaſſe multum valet.

Qui has regulas omnes mente tenet, et rite applicare in Praxi nouit, ſcopulos periculoſos felix euitabit, et multis morbis bene medebitur. Iam ſpeciatim eas conſiderauiſſe, et ad varios affectus applicauiſſe, operae pretium erit.

§. II.

Cephalalgia. Ordiar a *Cephalalgia*, in qua ſananda, inter praecipua remedia, quae commendari merentur, tot Autores practici Veſicatoria referunt. *Marc. Aurel.* SEVERINVS [a]) in dolore capitis habituali, et contumaciſſima cephalalgia frequentiſſime ea applicanda ſuadet, ita quidem, vt capillitio deraſo, vel parti tantum dolenti, vel toti capiti, in forma cucuphae imponantur. *Ludouicus* SEPTALIVS [b]) totidem verbis in contumaciſſima cephalalgia, deraſo capillitio, vel parti ſolum dolenti, aut etiam toti capiti forma cucuphae impoſita Veſicatoria commendat. *Lazarus* RIVERIVS [c]) *in omni dolore capitis*, inquit, *a quacunque cauſa fiat*, *ſi aliis remediis non ceſſerit*, *et doloris atrocitas ad extrema confugere cogat*, *veſicatorium toti capiti admotum deraſo capillitio curationem abſoluere poterit*; quod exemplo virginis per multos menſes dolore tali cruciatae, et hoc remedio liberatae confirmat [d]), copia magna

a) *Pyrotechn. chir. lib. II. c. 8.*

b) *Animadv. et Caut. med. lib. VI. caut. 18. et 55.*

c) *Prax. med. lib. II. cap. 16. in fine.*

d) Cent. I. obſ. 77.

ſeroſi

ſeroſi liquoris effluente. HOLLERIVS, [e]) qui in Gallia vſum veſicantium introduxit, ope veſicarum, quas cantharides excitant, vt alios, ita et cephalicos et hemicranicos dolores ſaepenumero releuari aſſerit. MICHELOTTI [f]) in cephalalgia contumaciſſima, ſine febre tamen, laudat Veſicatoria, aperta ſervanda, donec dolor ceſſauerit. Cel. WEPFERVS in opere de morbis capitis dum de cephalalgia, cephalaea et hemicrania agit, inter numeroſus obſeruationes, vix vnam habet, in qua Veſicantia non commendet, vbique ob ſeri copiam et acrimoniam; omittuntur tantum, quando fonticulus et ſetaceum conſulitur. Id interea memoratu dignum eſt, quod ſcribit laudatus Autor [g]): *Veſicatoria loco diſtantiori applicata potentius reuellunt, quam vicino affixa, nam haec attrahunt potius, et dolorem augent,* quare communiter cubitum, locum poſt olecranum, carpos, et ſuras pro applicatione ſuadet. [h]) Notent hanc veritatem ſibi illi, qui in cephalalgia, toties cervici veſicantia applicant, vbi teſte ipſo WEPFERO, *nullo modo reuellunt.* [i]) Miror ſaltem quod Vir optimus nihilominus in hemicrania ſaeua, toti capiti raſo tale emplaſtrum applicandum voluerit, [k]) quod ſane ſatis valide ad caput debet attrahere.

e) *in inſtit. chirurg. lib. III. c. 5.*

f) *Act. phyſ. med. Nat. Cur. Vol. I. obſ. 103.*

g) *Obſ. 34. p. 78.*

h) *pag. 77. 78. 96. 133. 139.*

i) *pag. 77.*

k) *obſ. 150.*

* * *

Sponte autem credo innoteſcit, quia rationalis medela, ſi nullo ambiguo et incerto euentui commiſſa eſſe debeat, cauſae proximae morbi remotionem poſcit, haecque in cephalalgia non ſemper vna eademque eſt, ſed varia, optimaque huius doloris ſedandi ratio, vt expreſſe CHESNAU loquitur, [l]) in ablatione cauſae conſiſtit, exactam cognitionem, quae et qualis haec ſit, tantum determinare poſſe, an ipſi tollendae veſicatorium poſſit inſeruire, an minus, quod promiſcue applicauiſſe, inconſultum et temerarium eſt. Nunquam igitur ſatis mirari potui, *Archibaldum* PITCARNIVM [m]), tantum Virum, vniuerſalem cephalalgiae qualicunque, ſine exce-

l) *obſ. Med. pag. 2.*

m) *Elem. Med. lib. II. §. 8.*

exceptione medendi methodum propoſuiſſe, eidemque etiam Veſicatoria inſeruiſſe. *Practici*, inquit, *hic mirum in modum ſeſe excruciant, vt tradere videantur diſtinctum curandi modum, in hoc morbo, et tamen ſe lectoreſque ſuos confundunt. Nos dicimus, in omni capitis dolore conuenire VSem, et quidem in vena iugulari, qualem vires ferre poſſunt, hac enim celebrata minuetur impetus. Deinde Vomitorium ſemper erit vtile, quia ſic prohibetur continuatio doloris ex cibi particulis in ventriculo minus comminutis, ſanguinemque igitur craſſum efficientibus.* Hic ſane ſcopus, non niſi poſt aliquod tempus elapſum impetrari poteſt, reſtituta virtute digerente Ventriculi, dum interea eodem momento, quo agit vomitorium, impetum illum ſanguinis ad caput, quem minuere debebat VS., haec ſua actione, certiſſime excitat. Suadet deinde *Pitcarnius*, *Veſicantia nuchae applicanda, cui quoque fonticuli conueniant, aluo ſemper libera et ſoluta ſeruata.* Aluum liberam in omni ſpecie cephalalgiae vtilem eſſe, nemo facile dubitauerit, veſicatorium autem non omni prodeſſe poſſe, in ſequentibus ſatis apparebit, idque vbi vere indicatur, remotiori loco quam nuchae conſultius admoueri, diſcere licet a modo allegato *Wepfero*. Quomodo autem his peractis quae deinceps adhiberi vult, *ſiue ſanguis ſit tenuis, ſiue craſſus, ſiue vt Medici loquuntur, morbus ſit a cauſa calida, vel frigida, decocta ſudorifera ex lignis guaiaci et ſaſſafras perinde neceſſaria et vtilia* eſſe queant, non bene capitur, cum ad priorem cauſam vnice quadrent, licet dicat *Pitcarnius*, craſſum ſanguinem ea dividere, vt per canales omnes poſſit tranſire ac penetrare, et nimis tenuem per diaphoreſin expellere. Nemo bonus Medicus hodie doctiſſimi coeteroquin Viri, Praeceptoris Boerhaavii, cui tantum Medicina coeteroquin debet, praecepta facile in hiſce ſequetur, ſed conuictus credet, differentis cauſae reſpectu, cephalalgiae differentibus remediis occurrendum eſſe. Id quidem certo reſpectu verum eſt, *congeneres eſſe pleroſque*

capitis

capitis morbos, quod dicit MEAD,[n]) *et a repletione vt plurimum ortum trahere*, quare inter eos et cephalalgia fere ſemper euacuantia poſcit, cuiuis tamen ſpeciei nihilominus ſpecialis debetur therapia.

n) *Monit. med. p. 35.*

De *Sede doloris* in cephalalgia, et de ea, vt ſymptomate febrium acutarum, in priore ſectione ex inſtituto egi, monſtrauique euidenter, conſilium de applicando ceruicis regioni veſicatorio, quamuis a Viris clariſſimis ſuppeditetur, totiesque in actum deducatur, minus ſalutare eſſe, cum certo certius ſanguinem iam ad ventrem ſupremum impetuoſe vi febris ruentem, magis adhuc alliciat. Expreſſis verbis HOFFMANNVS[o]), ſi dolor capitis ceu ſymptoma febrilibus commotionibus ſuperueniat, a veſicatoriis abſtinendum eſſe, dicit. Sapienter quoque Ill. STÖRCK[p]), in cephalalgia ſymptomate acutarum febrium elegantiſſimum methodum tradens, de veſicantibus prorſus tacet, ac vt plantis pedum, vel ſimplex fermentum panis, vel id cum puluere ſinapi et aceto admoueatur, reuellendi fine, tantum ſuadet. Sed prorſus etiam abſente febre, ſi dolor capitis a ſola ſanguinis copia et raptu eius ad ſuperiora corporis ſuos natales habeat, veſicatoria nequaquam ad illum leuandum locum habere poſſe, ipſa geneſis doloris huius clariſſime commonſtrat. Si nempe maior copia ſanguinis, vt verba HOFFMANNI[q]) mea faciam, ad caput feratur, quam ipſae venae eadem celeritate reducere poſſunt, vaſa arterioſa, et inter haec praecipue minima et capillaria, a congeſto ſanguine valde diſtenduntur, et ipſae membranae inſigniter tenduntur, qua ratione triſtis illa ſenſatio exoritur. Ipſam hanc demonſtrationem illuſtrat textu quodam *Hippocratico*[r]) quem huc tranſcribere nolo. Ponamus nunc, id quod ſaepe ſaepius vere euenit, malum hoc oriri in corpore iuuenili, vel etiam aetatis conſiſtentis, plethorico, ſanguine et ſuccis referto, ab haemorrhagia narium ſueta

o) *diſſ. de Veſicantibus* §. 17.

p) *in egregio, omnibusque Practicis vtiliſſimo libro, Medicinſch-practiſcher Unterricht, vor die Feld- u. Land-Wundärzte. I. p. 23.*

q) *Med. Syſt. Tom. IV. part. II. p. 190.*

r) *lib. de flatibus* §. 13.

ſueta emanente, aut ſanguinis aliis excretionibus ſuppreſſis, veluti haemorrhoidibus et menſibus, ab ingurgitatione potuum ſpirituoſorum, ab aeſtu humorum, a motu muſculari nimio, equitatione, vel curſu inducto; a cauſa calida, ad ſtylum Veterum; a raptu ſanguinis ad caput, vaſisque eius omnibus eo impletis et diductis, quod id calens totum caput, rubore perfuſa et inflata facies, ac pulſantes temporales arteriae manifeſte docent. Sane tunc applicauiſſe Veſicatorium remotiori etiam parti, nil aliud eſt, quam febrem, quae bona fortuna abeſt, cephalalgiae iunctam velle. Sique id applicetur nuchae, nil aliud eſt, quam ſuppetias cauſae ſimul tuliſſe, maioremque cruoris affluxum proritauiſſe; qui per ipſum excitatum dolorem et ruborem inflammatorium ad locum dolentem, totumque ideo caput maiori vi ac antea ruit, veramque cauſam ſic iuuat et confirmat, tantum abeſt vt minuat, et oppugnet. Hic effectus a Veſicatorio, phyſica neceſſitate expectandus, contrariatur omnino et ingenio morbi, formatis veris indicationibus, et ſecundum has omnibus remediis prudenter praeſcriptis, VS. in brachio, pede, iugulo; hirudinibus et cucurbitulis, poſt aures et tempora applicatis; purgationibus antiphlogiſticis; clyſmatibus emollientibus, nitratis, remediis ſubacidis, ſuccis et ſyrupis ex fructibus horaeis, emulſionibus diacodiatis, epithematibus ex aceto, aqua frigida diluto, fronti et temporibus applicatis, potui aquoſo, pediluuiis, quibus omnibus orgaſmum delinitam, et affluxum auerſum volumus. Eapropter ipſe ego ſat ſaepe eiusmodi ſanguineam cephalalgiam non leuatum, ſed acerbatam, et ſine ratione per longum tempus extenſam a veſicante obſervaui, niſi modo dictorum fructus noxae ab hoc inductae praeponderarent. Nocent adeo interdum ad tempora, et pone aures applicatae hirudines, quae toties apud nos cito et liberaliter admouentur, niſi euacuationes generales reuellendi ſimul fine adornandae praeceſſerint, et malum antea nonnihil

miti-

mitigauerint. Eiusmodi medicamentoſo apparatu, quem deſcripſi, miſſis veſicantibus, quorum loco ſinapismi conſultius adhibentur, pulcherrimas curationes perfeciſſe Ill. HOFFMANNVM, vel ſolae capiti de cephalalgia annexae obſeruationes docent [s]), quem ſaepe feliciter ſecutus ſum.

s) *praecipue III. V. et IX.*

Si haemorrhoidum et menſium ſuppreſſio in culpa fuerit, eaque propter capitis vaſa ſanguine congeſto onerentur, et diducantur, ſicque dolorem excludant, primaria remedia erunt VS. in pede, alui ſolutio, clyſmata, pediluuia, cum illis pharmacis, quae circuli vim moderantur, adhibitis deinde iis, quae ſpecifica virtute haemorrhoides et menſes mouent, taliaque vnice indicabuntur. Non ergo bene capio, quando video, Ill. WHYTT [t]) in cephalalgia ab obſtructione menſium enata conandum eſſe conſulere, vt fluxus hic reſtituatur, ſi vero hoc non fieri poſſit VSes in pede inſtituendas, atque veſicatoria capiti et collo applicanda, diuque aperta ſeruanda, tum et fonticulos commendare. An autem hae euacuationes, tanquam ſolennis menſtruae vicariae conſiderari queunt? an non potius ſtatuendum erit, his ipſis in ſuperiori corporis regione inſtitutis, humores a vaſis vterinis certo auocari? menſiumque obſtructionem ſic pertinaciorem reddi? Melius certe ſe gerent, quas idem WHYTT laudat, purgationes per aluum, quae aloes, myrrhae, hellebori adiectione ſimul emmenagogae reddi poſſunt, quibus pediluuia, balnea, fotus iungi vellem.

t) *von Nervenkrankheiten p. 190.*

Quo magis autem Veſicatoria obſunt cephalalgiae ſanguineae, eo magis conferunt in ſubiectis cacochymicis, cachecticis, pituitoſis, a cauſa ſic dicta frigida, colluuie viſcida, ſeroſa, pericranium et muſculorum membranas grauante, oriundae. Huic dicatae tantum eſſe poſſunt cucuphae ex emplaſtro cantharidibus referto formatae, quas perperam in omni cephalalgia ſine diſcrimine commendarunt citati in antecedentibus

SEVERINVS, SEPTALIVS, RIVERIVS et alii, quos ſecutus eſt WEPFERVS, qui in Cephalgia eiusmodi a colluvie ſeroſa, talem cucupham capillatae capitis parti, antea raſorio abraſae admouendam, ſed relinquendam ad ſummum per 8. horas, ne dyſuriam pariat, commendauit. Huius conſilio adeo ſuffragatus HOFFMANNVS videtur [n]), qui tamen poſt pilulas ex purgantibus gummi-reſinis et Mercurio dulci compoſitas, aliaque remedia, in vſu ſe habere memorat emplaſtrum de meliloto, cuius vnciae vni admiſcuit drachmam vnam pulueris cantharidum, cum aliquot granis camphorae, nuchae, magnitudine thaleri applicandum, et per longum tempus continuandum, quod ſine vllo incommodo ingentem ſeroſi humoris copiam fundat. In ſanata cephalalgia pertinaci, quam obſ. II. deſcribit, cum oculorum ardente et dolorifica defluxione, in perſona, quae a prima ſtatim infantia potui vini dedita fuerat, fonti ſelterano et acidulis egranis plus tribuo, quam veſicatorio temperato nuchae applicato, namque in ipſa epicriſi ad hunc caſum verba offendo: *in morbis, qui a dyſcraſia calida ſanguinis oriuntur, aquea diluentia, acidulae, imo ipſa aqua ſimplex loco potus ordinarii magno ſunt praeſidio.* An autem dyſcraſiae calidae contrariatur vrens veſicatorium, quod dum acerrimos atomos humoribus inſinuat, vere calidam dyſcraſiam illis inducit. Imo vero ſi tale permittat, et velit, a frigida ſeroſa et phlegmatica dyſcraſia pendens cephalalgia, de qua nunc verba facio, lubentius id applicarem monitore WEPFERO ſuris, aut ad minimum brachiis, quam ceruici. Omnia autem poſſibilia agerem antea, quam ſalutari habitae torturae per cucupham ex emplaſtro veſicatorio effectam, aegrum meum ſubiicerem, quod eiulanti et clamanti per multos dies, nil profuiſſe noui.

n) *diſſ. de Veſicant.* §.17. *et Med. Syſt. IV. Part. II.* p. 158.

* * *

Aliquando *materia acris, rheumatica, arthritica* ſtimulat et rodit fibrillas nerueas muſculorum capitis, et pericranii,

cranii, tumque praeter remedia, quae illam corrigunt aptamque reddunt vt perſpiret, prodeſt ſubinde locum, quem occupare debebat, veſicante irritare, vt ad illum inuitetur, maxime ſi admiſſo frigore vel mala arte ex eodem incongrue repreſſa fuerit. Cephalaeam grauem ab arthritide, ſtato tempore inuadere ſolita nunc emanente, quatuor veſicatoriis in malleolorum regione applicatis ſanatam memorant *Miſcellanea Nat. Cur.* v).

v) *Dec. III, Anno V. et VI. obſ. 14.*

* * *

Datur deinde alia ſpecies cephalalgiae, eademque haud infrequens, quae vnice delicatulae conſtitutioni, ſummaeque debilitati et irritabilitati ſyſtematis neruoſi debetur, interdum congenitae, interdum largis euacuationibus ſanguinis aliorumque humorum inductae, apud foemellas potiſſimum, quas hyſtericas dicimus, imo et mares, illas compagis ſolidorum teneritudine referentes. His aeris viciſſitudines, afflatus frigidioris aurae, ſuppreſſio perſpirationis, animi pathemata, maxime moeror diuturnus, mentis vires nimis intenſae, lucubrationes, vires corporis defagitionibus nimis exhauſtae, facillime capitis dolores vel vniuerſales, vel hemicranicos inducunt. Facile clarum eſt, in ſimilibus caſibus, vt ab omnibus vel lenius irritantibus, ita praecipue veſicatoriis abſtinendum, et antiſpaſticis ac antihyſtericis ſelectis tantum vtendum, atque vt crebriores recidiuae arceantur, illa quae generi neruoſo corroborando inſeruiunt, corticem, martialia, aquas medicatas ferratas in ſubſidium vocari debere. Talibus aegris extra paroxyſmum lauare caput cum aqua frigida expedit.

Virus venereum ſi in culpa fuerit, ſuis ſpecificis corrigendum et expellendum eſt.

 Notiſſi-

Notiſſimum praeterea per experientiam practicam habetur, veriſſime ſcripſiſſe BAGLIVVM,[w]) *dolores capitis* maxima ex parre *a ſtomacho* eſſe, cuius ſympathia cum illo toties clariſſime ſeſe manifeſtat. In medela cruditatum ſtabulantium indoli accommodanda, eam et corrigentia et euacuantia adhibenda ſunt, quibus ſub iuſto diaetae regimine, ſtomachica roborantia ſubiungi debent.

Nolo ſilentio praeterire *cephalalgiam periodicam*, cuius aetiologia aeque difficulter ſuppeditatur, ac periodicarum febrium ratio. Vt vero harum, ita et illius cauſa ſaepe latet in Ventriculo, et viſceribus aliis imi Ventris, his ergo congruis remediis proſpiciendum. Aliis irritis, poſt euacuationes conducit Cortex peruuianus, qui in cephalalgia per interualla redeunte ad aliquot vncias ſenſim datas in *actis phyſ. med. Nat. Cur.* laudatur.[x]) Eiusmodi hemicraniam periodicam ipſe paſſus eſt Richardus MORTON,[y]) quam in aliis, poſt repetitam VSem, veſicantia, cucurbitas, fotus, cathartica, emetica rebellem expertus, cortice fugauit. Bene memini, me MORTONVM ſecutum eodem viro et foeminae nobilibus, tali hemicrania laborantibus, cum de veſicantibus ſermo iam iniiceretur, pulchre profuiſſe.

Commemoraui hactenus varias cephalalgiarum ſpecies, quae a veſicantibus nil leuaminis ſibi promittere poſſunt. Supereſt tamen adhuc alia, quae ſubinde eorum applicatu egregie minuitur, tolliturque. Haeret ſcilicet interdum in aliquo loco capitis *circumſcriptus et fixus dolor*, ſine febre, a materia tenaci vel acri, minutiſſimis vaſculis impacta oriundus, maiores ſubinde moleſtias faceſſens, ac ſi latiorem plagam occuparet. Hanc vel diſcutere vel extrahere aptae ſunt cantharides.

w) *operum p. 145.*

x) *Vol. I. obſ. 89.*

y) *vide eius Exercit. I. cap. 9. de febris intermittentis proteiformi Genio hiſt. 27.*

rides. Harum tamen loco HOFFMANNVS[z]) ſal volatile ſalis ammoniaci cum puluere ſem. ſinapi adhibuit, ſimul ad CL. CHESNAU prouocans, qui herbae ranunculi pratenſis contuſae, quae maſticata acrimonia ſua linguam mordet, in affecta parte ſupra emplaſtrum perforatum applicationem, multum depraedicat. Hac ſi dolor ſit in modum hemicraniae, et paruum circumſcriptumque locum occupet, nil praeſtantius ſe inueniſſe dicit, dum ſic ad miraculum dolor tollatur, etiamſi febris adſit continua,[a]) qua praeſente, ego quidem cautius cum hoc topico agendum eſſe crediderim. Habet CHESNAU duas obſeruationes,[b]) huius methodi fructum confirmantes. Vir acerrimo dolore corripiebatur in vno temporum, anxius erat cum febre continua, et vigil, applicabatur ſtatim hoc remedium, altera die homo inuentus eſt ſine dolore, parte in tumorem ſolum eleuata, febris tamen permanſerat, quae adhibitis auxiliis ſanata eſt. Grauior haec ſine dubio futura erat, ſi loco ranunculi veſicatorium eo fortius omnino agens fuiſſet admotum. Alius aeger, qui dolore capitis, ſed maxime in vno crotaphite, ſimulque febre continua periculo non vacante corripiebatur, eodem modo conualuit. An ante huius remedii vſum febri, cui certe ranunculus mederi non poterat, ſimul congruis remediis proſpectum fuerit, et ea mitigata, aut mitigari incipiente, ad id demum peruentum ſit, quod prudentia medica omnino requirebat, non additur. Sine febre laborabat ille vir 20. annorum, cuius hiſtoriam deſcribit MUYS,[c]) dolore capitis atrociſſimo, circa tempus vnius lateris, ab humore acri ibi ſatis profunde deliteſcente, et ſtagnante. Impoſuit parti affectae puluerem cantharidum, cum propria ſaliva efformatum in veſicatorium circa veſperam, et per noctem reliquit. Sequenti die aderat ingens veſica, dolorque prorſus ceſſarat. Immanibus doloribus capitis diuexabatur ille Pellio, cuius meminit ALBINVS.[d]) VS. ſudorifera, camphora, opiata, et alia reiteratis vicibus fruſtra in vſum voca-

z) *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. p. 198.*

a) *in Obſ. lib. I. c. I. p. 5. et 11.*

b) *pag. 14. 15.*

c) *Pr. medi. chir. dec. I. obſ. 2.*

d) *diſſ. de canthar. §. 16.*

ta fuerant, tandem veſicatorio lateri dolenti appoſito, ſubito leuatus conualuit. Pulchre ego reminiſcor nobilis Foeminae, per longum tempus dolore fixo in regione oſſis pomi pertinacem ſedem nacto, ſubinde mirum quantum exacerbato, afflictae. Variorum Medicorum conſilia fruſtranea fuerant, tandem irritis omnibus, a me et doctiſſimo quodam Collega proponebatur veſicatorium temperatum loco affecto admouendum, a quo, ob caſus ſimiles locales in quibus profuerat, multum boni ſperari potuiſſe videbatur. Dolebamus autem vterque, nulla ratione ipſi perſuaderi potuiſſe, vt annueret, omnem formae dignitatem inde in facie perituram eſſe, fruſtra metuens. Ad fixos capitis dolores ſeorſim adhuc pertinet, ſic dictus clauus, vertici pertinaciter quandoque, quaſi infixus clauus inhaerens, foemellis hyſtericis maxime familiaris, ſenſu frigoris in loco dolente ſtipatus. Hunc SYDENHAMVS[e]) liquore poſſetico affatim hauſto et per vomitionem reddito, vt ſaburra vitioſorum humorum in ventriculo contentorum reiiciatur, laudano curandum vult, praemiſſa in ſanguine plenis VSe. Valet haec methodus in clauo ſymptomatico, ſed interdum in ipſo loco latet idiopathici mali cauſa. Talem clauum aliquoties praemiſſis praemittendis ſinapiſmo raſae parti dolenti admoto, admodum leuatum expertus ſum. Notauit noſter olim Cl. KLAVNIGIVS, [f]) clauam VSi, topicis, clyſmatibus, aluum laxantibus, nitratis ſaepe parum auſcultare, ceu herculeum autem remedium laudat hirudinem, loco dolenti applicatam, quam vix ſugere ait, quin dolor ceu euulſo clauo ceſſet.

e) *pag.* 762.

f) *Act. phyſ. med. Nat. Cur. Vol. II. obſ.* 14.

Quae de hemicrania ſeparatim dicenda eſſent magnam partem iam tetigi. Cauſam eius a ſtomachi vitio frequentius oriri HOFFMANNVS aſſeruit, [g]) cruditatibus autem per aluum excluſis, et roborantibus ventriculum vſurpatis ceſſare.

g) *Med. Syſt. Tom. IV. part. II. p.* 193. 194. 206.

A

A vitio hypochondriorum, et a variis cauſis aliis excluſas hemicranias in ſuis de morbis capitis obſeruationibus exhibet WEPFERVS, quibus curandis inter alia auxilia etiam veſicatoria deſtinauit. Non inquiram, an ſemper ſatis appoſite an minus, neque enim in tanta remediorum vtilium et inutilium farragine, quam praeſcripſit Vir optimus, ſi aeger ſanatus eſt, facile determinare licet, quae vere iuuerint prae coeteris. Laudari tamen debet, quod reuulſioni ſtudens emplaſtra veſicantia non niſi locis a capite remotioribus, in vtroque carpo aut poſt olecranum, et in vtriusque femoris interna parte, admoueri voluerit, vnico caſu excepto [h]) de quo in antecedentibus egi. *Vratislauienſes noſtri*, vbi in paroxyſmis hemicraniarum indicia aderant, materiam peccantem extra cranium haerere, non omiſſis VSibus, pediluuiis, errhinis, nitratis, anodynis, topicis, in forma cataplaſmatis, linimenti, emplaſtri, interdum applicarunt veſicantia plantis pedum vero rubefacientia [i]). Siſtunt haec omnem paene apparatum remediorum pro Hemicraniis, non vero regulas pro ſingularum applicatione, quas ex hactenus a me diſputatis depromi poſſe autumo.

h) *obſ. 50.*

i) *Hiſt. Morb. Vratisl. 1699. pag. 82. 85.*

Inter dolores fixos, de quibus verba feci, referre adhuc debeo illum ſingularem, tendentem, obtuſum, prementem, grauantem, in ipſa fronte, a muco viſcido, et tenaci, cui forte acrimonia immiſta eſt, ſinubus frontalibus agglutinato, oriundum. Huic ſane veſicatorium vbicunque applicatum nil detrahet. Si coryzae vel grauedini iungatur, leuis eſt, et tranſitorius, interim ſi diutius perduret, et nimias moleſtias creet, ſal anglicanum naribus admouendum et errhinii pulverem lenem ſternutationem proritantem, laudat HOFFMANNVS [k]). Ego autem hic chronicum potiſſimum loquor, per ſeptimanas ab eadem cauſa affligentem. Talem ſuſtuli ſpongia, quae aqua calida, cui acetum rutaceum vel aliud aromaticum immiſtum erat madida erat, naribus temporibusque

k) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 199.*

ſaepius admota, vt vapor ſeſe inſinuans ad interiora pergeret. Datum deinde ſpecificnm errhinum HOFFMANNI, quod in obſeruationibus phyſico-chymicis habet, ex reſina Guaiaci, idque effecit, vt magna quantitas ſordium viſcidarum per nares excerneretur, cum praeſentaneo leuamine.

* * *

Capitis dolor aliquando ad eam ſaeuitiam aſſurgit, vt omnem humanam patientiam vincere videatur, atque tum grauiſſima, ſeque peiora mala, vigilias, conuulſiones, febrem, inflammationem, mentis alienationem, apoplecticum ſoporem poſt ſe trahere queat. His in caſibus, plangente et leuamen noctes atque dies anhelante aegro, Medici communiter ad generoſa remedia confugiendum eſſe arbitrantur, eaque ſibi omnia iungenda eſſe autumant. Atque ab hac tumultuaria Praxi, veſicatoria abeſſe omnino nequeunt, quae tamen ſaepe aeque male cedunt, ac indicatiſſima habita opiata. Species doloris cephalici, et cauſa eius nunc obtinens, antea ſciri debet, ſiue ille lenior ſit, ſiue grauiſſimus, quam determinari queat, quae ex remediorum apparatu prudenter in vſum vocari debeant. Cum in omni dolore capitis, ſui ipſius et ſequelarum metuendarum reſpectu, efficere expediat, vt vaſa interna et externa nulla plenitudine laborent, euacuantia et reuellentia ſemper emolumentum praeſtabunt. Si corpus ſanguine turgeat, pulſusque plenius et fortius vibret, a quacunque demum radice malum pendeat, ſemper nocebunt Veſicantia, dum illum intendendo et augendo, ſanguinem magis ad caput propellant etiamſi remotioribus partibus egregio reuellendi fine applicentur.

§. III.

Apoplexia. Progredior prona via ad *Apoplexiam*, quam inter alia incommoda, non raro capitis dolor et grauitas, breui adfuturam diſpoſitis ad illam praenunciant. Tunc autem vere

prae-

praeſens eſt Apoplexia, quando homini ſubito omnes ſenſus externi et interni, omnesque motus voluntatis imperio ſubiecti ceſſant, motu ſanguinis circulatorio ſuperſtite, pulſu teſte, qui plerumque naturali fortior eſt, reſpiratione exiſtente difficili, anxia, et ſtertoroſa. Obſeruationibus certiſſimis et perpetuis conſtat, vt irritatis medulla cerebri et ſpinali oriuntur conuulſiones, ita iisdem compreſſis, partes illas corporis motu ſenſuque priuari, quarum nerui ad eas excurrentes, a compreſſa plaga originem ſuam habent, hancque priuationem modo magis vniuerſalem modo magis particularem exiſtere, pro plagae compreſſae ambitu, locique compreſſi diverſitate. Cum in Apoplexia omnes ſenſus et omnes motus voluntarii ſint aboliti, cauſam eius in maioris alicuius partis medullae cerebri compreſſione, a qua nerui omnibus ſenſibus et omnibus his motibus famulantes egrediuntur, fundari oportet. Compreſſio haec ab impedito, retardato, et turbato ſanguinis per vaſa cerebri et meningum, ſolenni circuitu, praecipue exoritur. Nempe a ſanguine hoc, non decenter iugiterque ſed tardius adhuc quam ex naturali lege fieri conſueuit moto et promoto ac fere ſtagnante, dum vi cordis maior eius quantitas maiore nixu et impetu aggeritur, neque reditus verſus cor per venas et ſinus venoſos rite procedit, latera arteriarum ita intumeſcunt, implentur et diſtenduntur, vt omnis earum vis renitens pereat, ſicque vel nimis dilatata ſubiectos ſibi tubulos medullares grauant, vel dum plane disrumpuntur, elapſo et effuſo cruore comprimunt: Vtraque ratione ſecretio fluidi neruoſi ingreſſusque et fluxus eius in neruos intercipitur, et ceſſat. Eadem autem prorſus ratione abolitio ſenſuum et motuum emergit, ſiue ſanguis hic ſit natura optimus plethoricus, ſiue phlogiſticus, ſiue phlegmaticus, pituitoſus, cacochymicus, ſiue ſeroſus, ſiue atrabilarius, ſiue polypoſus; ſufficit ſi is per vaſa encephalica non libere tranſeat, ſed moras nectens coaceruetur, eaque

 diducat

diducat atque vel intra eorum alueos adhuc conſtitutus, vel extra eos effuſus, neruorum principia ſuo pondere grauet et premat, atque ſic ad functiones ſuas obeundas inhabilia reddat.

Notandum hoc diligenter eſt contra eos, qui apoplexiam non niſi in ſanguineam et phlegmaticam diſtinguunt, quam quidem diſtinctionem BOERHAAVIVS[a]) admittit, ſed imperfectam habet, cum et ſeroſa, atrabilaria, polypoſa apoplexia detur et alia, cui prorſus adſtipulatur MORGAGNI, [b]) qui Epiſtolam anatomico - medicam tertiam de apoplexia ſanguinea, quartam de ſeroſa, quintam de ea quae neque a ſanguine, neque a ſero eſt, conſcripſit. Non ignoro diſtinctionem inter ſanguineam, et ſeroſam vel pituitoſam, puerilem haberi a MALPIGHIO, [c]) atque etiam explodi a BERGERO, [d]) cum apoplexia omnis ſit ſanguinea, hoc eſt ab humoribus in vaſis ſanguineis ſiue ſanguine proficiſcatur. Vtique certiſſimum eſt, ſanguinem qualemcunque vel naturali conſtitutione donatum, vel praeternaturali diatheſi et mixtione laborantem, ſi in vaſis coaceruatus, et non libere motus ea plus iuſto impleat et diſtendat, tantoque periculoſius, ſi ex iis crepantibus elapſus ſit, vna ratione ſibi ſubiectam medullam ſuo pondere ſemper grauare, et premere. Attamen temperies aegri diuerſa, quoad ſolidorum et fluidorum habitum, curationem ſi non in omnibus, tamen in multis diuerſam ſibi depoſcit, eaque propter diſtinctiones propoſitae in Medicina retinendae videntur, etiam contra PITCARNIVM, qui nullam diuiſionem vtilem habet, quam intra vaſa, et extra vaſa.

a) *aph. 1012.*

b) *de ſedibus et cauſis morborum.*

c) *in Operibus poſthumis pag. 85.*

d) *diſſ. de apopl. §. 13.*

Hanc vero ſuppeditatam theoriam apoplexiae, quae ſola compreſſione cerebri nititur, veram et rationalem eſſe, probant euidenter apoplexia demortuorum, et encephali praecipue eorum ſectiones. His enim ſuſceptis, conſpectui ſeſe obtulerunt ſinus craſſis polypoſis vermiformibus concretionibus ſangui-

ſanguinis obſtructi, et obſeſſi, inprimis circa torcular Herophili; vaſa ſanguifera quae per duram et piam matrem, atque ipſum corticem cerebri excurrunt, ſanguine atro, concreto, fluido diſtenta, et turgida, atque veluti aneuryſmatica et varicoſa, aut quaſi per iniectiones cera rubra referta; tota dura meninx ſubnigra, a vaſorum plenitudine, tum et cerebrum ſubliuidum. Alio tempore ruptura vaſorum facta, ſanguis inter cranium et duram matrem, modo inter hanc et piam matrem, modo inter hanc et ipſum cerebrum, in huius anfractibus et gyris, vel in ventriculos, nunc in baſin cerebri euaſatus et delapſus, concretus, et fluidus repertus eſt. Alio iterum tempore cruoris loco liquor magis ſeroſus nunc limpidus, nunc rubellus, ſubcruentus, nunc pituitoſus, inter meninges cerebri et ſpinalis medullae, in ceruicalium vertebrarum tubo, in vaſis cerebri, maxime autem in ventriculis inventus fuit, qui et aliquando et membranas, et totam compagem cerebri inundauit; in plexu choroideo ſubinde hydatides animaduerſae. Legi de his omnibus obſeruatis merentur FRACASSATVS *in diſſ. epiſtolari de cerebro* ad MALPIGHIVM, WEPFERVS in *hyſtoria apoplecticorum*, BONETVS *in Sepulchreto*, LANCISIVS *de mortibus ſubitaneis*, MORGAGNI *de ſedibus et cauſis morborum epiſtola III. IV. et V.* HAEN *rat. med. Part. IV. c. 5.* atque praeter hos adhuc *Marcellus* DONATVS *lib. II. hiſt. med. mirab.* COLVMBVS *Anat. c. 15.* TVLPIVS *lib. I. obſ. c. 3.* FERNELIVS *de abditis morborum cauſis lib. III. c. 15.* PLATERVS *Pract. lib. I. c.* 2. vt alios taceam.

* * *

Nemo autem exiſtimet, diuerſam hanc cerebri apoplexia enectorum faciem, quae modo ſanguinem ſtagnantem, in vaſis ſuis, vel ex diſruptis effuſum; modo loco eius, potius ſeri aquoſi colluuiem anatomicis inquiſitionibus exhibuit, adſtruere,

ſtruere, et ratam habere diſtinctionem vulgo receptam, inter apoplexiam ſanguineam et ſeroſam, quaſi in illa ſanguis ſtricte ſic dictus, in hac is neutiquam, ſed vnice ſerum accuſari vt proxima cauſa debeat. Certum potius eſt, turbato ſanguinis per vaſa cerebrina circulo, et intercepto eius in venas regreſſu, ipſum intra arterias extenſas et diductas ſenſim colligi et coaceruari, tuncque ſerum, quod cum eodem maiori minorique copia aduehitur, ab eo ſecedens tranſudare, et vel intra meninges, vel in ventriculis accumulari, vel ad baſin cerebri deſcendere, ibidemque ſtagnare. Atque hoc ipſum ita euenire, probatur facile noto experimento Loweriano. Nempe, quando vena iugularis, vel cruralis, vel caua infra diaphragma ligatura conſtringitur, hydrops vel capitis, vel cruris, vel abdominis exoritur, quia ſerum, quod ex arteriis cum ſanguine in venas abiturum fuiſſet, nunc ab eo ſecedit vaſa lymphatica turgida reddit, et crepare facit. Hanc rem eadem ratione apud apoplecticos euenire egregie intellexit LANCISIVS [e]): *Ex coacto,* inquiens, *intra cerebri vaſa ſanguine, magna interdum ſeri copia violenter extenditur, et in eius cauitatibus colligitur, hinc frequens erroris cauſa, apud minus in arte peritos, qui lympham in ſinubus cerebri inuenientes, illam apoplexiae cauſam accuſare ſolent cum plerumque duntaxat fuerit effectus.* Aſſenſum ſuum quoque praebet MORGAGNI [f]) iis, qui aquae effuſionem malunt nunquam apoplexiae cauſam eſſe, ſed effectum eius cauſae, quae apoplexiam facit, ſanguinis puta in vaſis quae in cerebro, vel circa cerebrum ſunt reſtitantis. Digna ſunt Doctiſſimi Viri verba, quae dum geneſin apoplexiae clariſſime illuſtrant, excerpta hic legantur: *Si ſanguis effuſus cerebrum premendo apoplexiam facit, etiam aqua effuſa pro rata portione eam facere poterit, aut certe ad quamcunque aliam cauſam, quae ſola facere non poſſet, adiuncta pertinere; vt ſi forte ſanguini nec dum in vaſis adeo reſtitanti, vt inferre valeat apoplexiam, effuſa interim aqua accedat,*

e) *de Mortibus ſubit. lib. I. c. 7. pag. 18.*

f) *lib. I. Epiſt. anat. IV. §. 33.*

dat, *erit haec effuſio*, *ſi ita vis*, *effectus illius retardationis*, *ſed compreſſio*, *quae ab effuſa aqua addetur*, *cauſa erit vltima apoplexiae.* Interea tamen, ne plus aquae tribuiſſe videatur quam par ſit, hiſtoriam adiicit, in qua multum in cranio aquae inuenit, etſi nulla apoplexia fuerat. Tales certe ſimiles hiſtoriae apud Autores, VESALIVM, [g]) TVLPIVM et alios habentur.

g) *lib. I. de fabrica corporis humani.*

Omnia quae hactenus expoſui, curatius ediſſerenda et praemittenda erant, vt *an*, et *quando, et quousque, Veſicantia* in Apoplexiae rationali medela, locum inueniant, explicari poſſet. Agam primo de ea, quae ſine omni contradictione, proprie, et maximo ſuo iure, ſanguinea appellari et haberi meretur. Ponamus nobis ante oculos apoplecticum, aetate nondum profectum, qui hactenus omnia ſigna plethorae, calidaeque temperiei exhibuerat, victu lauto potubusque ſpirituoſis delectatum, iracundis commotionibus abreptum, haemorrhagias ſolemnes ſibique hucusque ſalutares ſuppreſſias expertum, capite magno, collo breuiore inſtructum, violentis exercitiis corporis, vel nimiae quieti adſuetum, aciem ſummam ingenii et iudicii in negotiis, quae ipſi incumbebant, ſaepe intendere iusſum, de grauante dolore capitis, vertigine, tinnitu aurium, de pulſatione arteriarum temporalium antea conqueſtum, nunc vbi ſideratus iacet, inflationem intenſumque ruborem vultus, oculos protuberantes, pulſum fortem, durum, plenum exhibentem anxieque reſpirantem. An talis aegri nuchae, brachiis, cruribus, applicare decet larga veſicantia? vt nempe rudibus his et multiplicibus ſtimulis, ſomno altiſſimo merſus, excitetur. Ita plerumque agere ſolet communis et triuialis Praxis, ſed et Medici paulo ſagaciores interdum ita ſeſe gerunt, allegandosque etiam habent Graues et doctiſſimos Viros, quorum conſilia ſequantur. RIVERIVS [h]) certe, licet

h) *lib. I. c. 2. p. 167.*

Nemo autem obſecro, vere incitatum a cantharidibus pulſum, atque adeo ad febrilem vſque euectum, indifferentem habeat, vt reformidandus non ſit; imo vero potius Hippocratis Patris aſſertis fiſus, bonum declaret, cum ad ſolutionem morbi facere queat. Aſſeruit noui Optimus Senex: *Quibus ſanis dolores derepente fiunt in capite, et ſtatim muti fiunt, ac ſtertunt, in 7 diebus pereunt, niſi febris apprehenderit* [s]); et alibi: *in Sideratis ſi febris accedat ſolutio fit?* [t]) At vero tenendum eſt, DVRETVM aſſerere non dubitauiſſe, hanc prognoſin non eſſe Hippocraticae Veritatis. HOLLERIVS quoque, dum locum hunc in commentariis ſuis illuſtrat, nil boni a febre ſe ſperare innuit. Ill. noſter *de* HELWICH [u]) inter plurima apoplexiae exempla, nunquam aliquem vidit per febrem liberatum, licet multoties, ſtatim poſt inſultum apoplecticum deprehenderit pulſum vere febrilem. Certe non raro, adeo ad finem vitae vſque apoplecticis arteriae ictubus plenis et fortibus, ſine iuuamine, vibrant. Notatu digniſſima ſunt quae huc facientia habet Ill. MORGAGNI [v]): *Nec profuit, quamuis ſtatim ab initio ſe prodens pulſus febrilis et fortaſſe febris; imo vehementer obfuit, ſanguine videlicet magis ac valentius agitato, impulſoque, vt inter multa et varia, quae ab Hippocratis interpretibus, aliisque cum antiquis, tum recentioribus Medicis, de febre apoplexiae ſuperueniente tradita ſunt, quam per ipſam quidem rariſſime ſolui, affirmat Experientiſſimus* WERLHOFIVS [w]), *hic illud imprimis locum habere videatur, quamuis in ſeroſa proſit, aliquando, in ſanguinea potius obeſſe.* Prorſus etiam egregie de hoc argumento Cl. TISSOT [x]) *Praeiudicata* inquit *opinio eſt, de vtilitate febris, et viam errori pandit, male intellecta ſententia Parentis. Tunc prodeſt febris, cum iam onere ſuo liberata vaſa, et ſublata plethora; leuis enim inſurgens febris obſtructiones, ſi alicubi remanent, reſerare poteſt. Quamdiu vero turgent*

omnia

s) *lib. VI. aph. 51.*

t) *Coac. praenot. §. 479.*

u) *Hiſt. Morb. Vratisl. 1702. p. 20.*

v) *de ſedibus et cauſis morborum lib. I. epiſt. 2. p. 12.*

w) *Commerc. litt. Norimb. anno 1734. hebd. 49. in fine.*

x) *in epiſt. pag. 285.*

omnia vaſa, lethale eſſet, nouum febrile momentum vi ſanguinis additum. Superata ergo cauſa apoplexiae ſanguineae, aliquoties forſan profuit febris, nunquam citius, ipſi enim morbo aduerſa eſt. Foeminae ſexagenariae ſanguineae, polyſarcae, apoplexia correptae, poſt VSem enemata, purgantia, aliaque haud prorſus imperite geſta, ceruici apponebantur cantharides. Vix niſi ſpectator credidiſſet TISSOTVS, totius inde dorſi phlogoſis, angina, acuta febris, auctus ſopor, qui iam diſcedebat, ſaeui dolores, crudelis anxietas, horrenda mors [y]. Parum laudis ex his accedere puto febri, in ſananda apoplexia. Quis ergo imprudenter veſicatorio, vel veſicatoriis pluribus ſtudio eam vellet inducere? Sole meridiano clarius redditur, ſi apoplexia, nondum facta vaſorum ruptura, fuerit curabilis, vnice eo allaborandum eſſe Medico, vt quantocyus libertas circuli per cerebrum reſtituatur, eaque propter vaſorum eius oppletio et diductio, ſanguinisque congeſtio ad caput, pulſu ad iuſtum moderamen reducto, debilioreque reddito, minuatur, ſicque ruptura nondum facta, quam impetus minatur, mature praepediatur. Id autem vnice VSibus potiſſimum, vtpote velocitatem et magnitudinem circuli inhibentibus, variis in locis inſtitutis, et reiteratis cucurbitulis, hirudinibus, purgantibus blandis, antiphlogiſticis, clyſmatibus talibus, ſoluentibus, attenuantibus, pediluuiis tepidis, quae omnia cerebrum ab onere liberant, et humorum affluxum reuellunt, ſicque itum reditumque ſanguinis per vaſa cerebrina facilitant, poteſt effici. Euitanda ſimul omnia ſic dicta neruina calefacientia irritantia, quae flumen humorum commouere vlla ratione queunt, et inter ea praecipue Veſicantia.

y) *Epiſt. med. pract. Lauſannae 1770 p. 225.*

Atque hac via inceſſerunt peritiſſimi quidam Viri, quorum praeeuntium veſtigia in ſalutem aegrorum legere, operae

pretium erit. Cel. HOFFMANNVS[a]) in apoplexia ſanguinea, quae ſpaſmis imi ventris, pulſu intenſo, et reſpiratione auctiore ſtipatur, veſicatoria exulare vult. De haemorrhagia cerebri agens[b]) ſcribit: *Notae ſunt frictiones aſperiores cum pannis, aut excutia inſtitutae, nota quoque veſicatoria, et cauteria.* Nota nimis cum illis haec ſunt, et nimis ſaepe incongrue adhibentur; a frictionibus crurum adeo augeri vidit TISSOT,[c]) ruborem faciei, vim et frequentiam pulſus, atque ſtertorem. Nec mirum, frictiones enim vnice valent, quando languentem circulationem auctiorem et fortiorem volumus, non vbi iam nimis aucta et fortis eſt, atque debilitari debet. Tunc quoque omnino etiam abeſſe debent veſicatoria, male cum frictionibus pro excitando aegro adhiberi ſolitia. Sed nec his nec illis vſus eſt ipſe HOFFMANNVS, nec ſuaſor adhibitionis vnquam exſtitit. In eiusmodi vere ſanguinea apoplexia BOERHAAVIVS[d]) laudat largam repetitamque VSem, purgantia antiphlogiſtica, et clyſmata, medicamenta diluentia, reuellentia fortia, victum potumque tenuiſſimum. Nemo credat ſub reuellentium fortium nomine eum admiſiſſe Veſicatoria. Cum enim ſimul inculcet cauendum eſſe ab omni valido ſtimulante, mouente, calefaciente, ſatis apparet, dum reuellentia fortia vult, ſub quibus tantum ſine dubio perpetua pediluuia, et ſinapiſmos ad ſummum intellexit, quod ſtimulantia, mouentia calefacientia veſicantia abeſſe voluerit. Dum ad hunc aphoriſmum commentatur *van* SVIETEN de reuellentibus ſapienter ſcribit: *In hoc caſu illa conueniunt, quae dum preſſionem auertunt a capite, ſimul tamen motum humorum non augent, vt balnea pedum molleſque frictiones.* Poterant et hae, quod tanti Viri pace dixerim, abeſſe, cum pro auertendo motu humorum a capite, haud indicentur, molles frictiones leniter tamen augent circulum, primo in parte, dein in toto, quem rudiores manifeſte augent. Addit cucurbitas et lenia epiſpaſtica, *ſed pergit* deinde:

a) *diſſ. de Veſicantibus §. 18.*

b) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 176.*

c) *in epiſt. p. 286.*

d) *aph. 1030.*

de: *Veſicatoria autem, cum acri ſtimulo motum augeant ſaepe in toto corpore, hic minus commendantur, vel ſi applicarentur, hoc tantum fieri poſſet poſt euacuationes ſufficientes.* Forte autem tum omnia bona, quae ab euacuationibus impetrata fuerant, illa iterum perderent. Cel. *de* HAEN [e]) de apoplexia et neruorum morbis agens reuellentem methodum a magno BOERHAAVIO commendatam vnicum fere eſſe merito aſſerit, quod in Apoplexia a plethora prodeſſe poſſit, ſed ſimul ex contemplatione cauſae proximae patere dicit, nil pernicioſius eſſe emeticis (vtinam auctoritate Sydenhami non fultis,) cum vi humorum per actionem earum verſus caput aucta, cauſa illa augeatur, et fere inſuperabilis reddatur. Qua ratione vero de noxa eorum, quae actionem verſus caput augent, conuictus HAENIVS veſicatoria, quae alioquin non odit, in hoc caſu potuiſſet commendare? Aeque certe nociua ſunt ac emetica. Venerabilis STÖRCK [f]) venaeſectionem in pede largam, donec pulſus mollior et debilior, vultus rubore minuto pallidior fiat, eandemque ſi pulſus plenus, fortis et tenuis maneat, intra duas horas, et porro repetitam, clyſmata, purgationes antiphlogiſticas, medicamenta attenuantia, refrigerantia, fermentum panis cum ſale communi, puluere ſemi ſinapi et aceto in paſtam redactum plantis pedum apponendum laudat. Si omnes hae euacuationes nil profecerint, aut poſt impetratum leuamen, denuo obnubilatio ſenſuum, torpor et ſomnolentia inſequantur, tum demum veſicantia plura raſo capiti epithemata diſcutientia, lauationem faciei cum aqua frigida, poſt aures hirudines humeris brachiis cucurbitulas ſiccas vel ſcarificatas ſuadet. Si omnia haec medicamenta nil iuuerint, actum eſſe de vita hominis dicit, niſi bona fortuna haemorrhagia narium, diarrhoea ingens aut haemorrhoidum fluxus eueniat, quibus contra ſpem aeger reſtituatur. Patet ſic, rebus omnibus deſperatis, vnicam naturae viam per euacuationes reuulſorias illum in vado locare interdum, ſed ſimul

e) *Rat. med. IV. c. 5. §. 179.*

f) *in egregio prorſus libro: Unterricht vor die Feld- und Wundärzte Tom. I. p. 318. ſeq.*

patere debet, viae illi contrariari in totum plura veſicantia, vrgendo ſanguinem ad caput, et nequaquam eum reuellendo, quare donec viuere pergit aeger, illa prorſus abeſſe debent, ne forte contra molimina naturae medicatricis adhuc ſperanda peccetur. Aliter veſicantia permitti nequeunt, niſi tandem eius vires prorſus concidant, facies palleſcat, pulſus fiat debilis, paruus et vacillans, ſub quibus conditionibus ſolis remedia aliquantiſper calefacientia ſtimulantia et mouentia ſuadere poteſt et ſuadet STÖRCKIVS, a quibus, quamdiu pulſus adhuc viribus pollet, vtpote nocentiſſimis, non poteſt non ſerio dehortari. Patet exinde, ſub quibus arctiſſimis reſtrictionibus, etiam ſecundum praecepta STÖRCKIANA, locum inueniant, ſumme ſtimulantia et calefacientia veſicatoria, nempe in eo morbi ſtadio tantum, quando apoplexia ſanguinea, vtut perdurent eius ſequelae, talis eſſe deſinit, et aliam prorſus faciem priori oppoſitam induit.

Verum non ſatis hic laudare poſſum ſimpliciſſimam, ſed ſimul exquiſitiſſimam methodum Ill. TISSOTI. [g]) Vtinam haec vnicum eſſet Practicorum exemplar faciendorum et fugiendorum, vt tandem melius ſuperent, et de erroribus ſuis, quos pro generoſis auſibus habent, non gloriarentur, ſed eos acerbe dolerent. Abſoluitur methodus haec, VSe bis, ter, quater, repetita; enematibus emollientibus cum nitro et melle; aluum laxantibus ex crem. tartari, manna, tamarindis, nitro; potu aquoſo cum nitro, ſucco citri et oxymelle; ſitu erecto, ligaturis ſupra genu, ne ſyllabam habet TISSOTVS de veſicantibus. Taxat Vir eximius damnoſum errorem, aegrum laceſſendi variis ſtimulis, non enim deficere dicit motum cordis, quem his excitare tantum poſſumus, ſed deficere poteſtatem ſentiendi, et artus mouendi, quae vnice reſtituenda ſit, compreſſionem cerebri minuendo, ad hanc vero minuendam vnam eſſe methodum, vitales motus et plethoram reſcindendo. Hinc dehortatus ab omni concuſſione, volutatione, frictione, contra vulgarem methodum; ab omni aromatico

g) *in epiſtolis, de variolis apoplexia et hydrope pag. 283. ſeq. et Avis au peuple Part. I. c. 9.*

matico, ſpirituoſo, calefaciente, circulum augente; ab omnibus emeticis, et purgantibus paulo fortioribus, vtpote mortem accelerantibus; ab omni alimento plenius nutriente, et acre quippian habente. Pulchre notat, cantharides equidem paſſim a celeberrimis Autoribus commendatas legi, prorſus autem eas in hac apoplexiae ſpecie adhibere noluit Vir integerrimus, nec abſtinuiſſe eum poenituit ab iis, apoplexiferis potius, quam apoplexifugis habendis. Tutius eſſe dicit ab iis abſtinere, et quando reuellendum eſt, poſt molles fotus; ſemen ſinapi fermento inſperſum ſuris applicare. Prorſus egregie, eadem ratione in compendio ſummam rerum complexo, theoriam et praxin Apoplexiae docet Vir Summus, Archiater ſuecicus *Roſén de* ROSENSTEIN.[h]) Omnem artem ponit in citiſſima imminutione coaceruati ſanguinis in cerebro, antequam vas aliquod rumpatur; aut antequam tempus concedatur, vt ſeroſus latex per vaſa tranſudans a ſanguine ſecedat, vel ſi hoc iam factum, vt quantocyus reſorbeatur. Hoc autem impetrari docet VSe repetita, in brachio, pede, iugulo, donec pulſus debilior et facies pallidior euadat. Si haec non ſufficiant, commendat ſcarificationem in nucha, hirudinum applicationem ad tempora et pone aures, vel ad loca haemorrhoidalia, enemata repetita, ex aqua oleo ſacharo et ſale; cremorem tartari pro aluo laxanda largius exhibendum; ſitum aegri erectum, collare remotum, admiſſum aerem frigidiuſculum; haecque omnia cito et ſine mora facienda inculcat, euitatis ſimul frictionibus et ſine exceptione omnibus irritantibus, et calefacientibus, quae circulum fortiorem reddunt, et ſanguinem ad caput vrgent, quem ab eo reuulſum volumus. Largitur libere, multas et largas euacuationes corpus debilitare, ſed praeferendam eſſe dicit temporariam debilitatem morti; hacque debilitate inducta, quae preſſionem cerebri minuit, ſanitati proprias vires reſtitui.

h) *in paruae molis, ſed eximiae vtilitatis libello Reiſeapotheke p. 95. ſeq.*

Felicem me habeo, quod a longo tempore hanc ideam de cauſa proxima Apoplexiae mihi formauerim, illique ſoli omnem medelam in praxi mea ſuperſtruxerim, cuius fructus vix ſperatos, ſi medela haec ſtatim ſub ingreſſum mali quantocyus adhiberetur, aliquoties magna voluptate perſpexi. Ex aliquot exemplis quae allegare poteram, vnicum exhibeo, cum prae omnibus reliquis id referri mereatur, quia vel ſolum probat, quantum rationalis methodus valeat. Vir vltra 60. annos natus ſanguine et ſuccis pleniſſimus, capite magno, collo breui inſtructus, largo victui adſuetus, mentis occupationibus vacare iuſſus, vitae ſedentariae addictus, dirigens in Sileſia a Rege conſtitutus Miniſter d. M., VSem toties a me vt neceſſariam inculcatam ob negotia ſemper in craſtinum diſtulerat. Aſſidebam lateri prandentis, en ſubito ſideratus e ſella cecidisſet, niſi a Vicino fuiſſet prehenſus. Exilio, collare ſuffocati faciem exhibenti remoueo, chirurgum ocyus aduocari alto clamore deſidero. Aduolat is citus, quaſi caſum praeuidiſſet, aperitur vena brachii, largiter mittitur ſanguis, vulnere occluſo oculos aperit aeger, meque bene alioquin cognitum balbutiens quaerit, quis eſſem. Immittuntur alte pedes aquae tepidae, exhibetur non ſine difficultate deglutiendi potio ex aqua laxatiua viennenſi, ſale ſeignette et cremore tartari. Hora nondum elapſa cum reddi aliquantiſper ſibi nobisque videretur, nouus paroxyſmus ingruit, pulſu ſumma velocitate plenitudine et fortitudine vibrante. Denuo in altero brachio largiter ſanguis detrahitur, clyſma emolliens cum multo nitro et melle applicatur, potio aluum laxans continuatur ad lenem diarrhoeam obtinendam, ſinapiſmus ſuris admouetur, potus aquoſus tandem et victus tenuiſſimus ex cerealibus conceditur. His per octiduum actis, ſine vlla alicuius partis paralyſi reſidua, ſanitas corporis cum mentis viribus priſtinis in integrum reſtituitur. Celerrimis eiusmodi auxiliis vnice praeueniri poteſt imminens vaſorum ruptura, qua facta, abſolute morien-

moriendum eſt, et toties apoplexiam ſequens Hemiplexia, quae miſerandam ad tempus vitam viuere ſinit. Quando polypus ſanguini iter per vaſa encephalica inhibet, aut atra bilis ea opplet, et ita agglutinata et fere accreta eſt, vt ſolui prorſus neget, facile patet omnem artem medicam fruſtra adhiberi.

✻ ✻ ✻

Venio nunc ad illam ſpeciem Apoplexiae, quando ſanguinis non plethorici, non phlogiſtici, ſed eius craſſa glutinoſa, iners, ſeroſa moles, in ſenibus frigidis, catarrhoſis, humidisque, cachecticis leucophlegmaticis ſubiectis, vaſa cerebrina opplet, et infarcit, ac principia neruorum grauat, et comprimit. In hac ſananda praeſtantiſſimi Viri vno quaſi ore commendant Veſicantia. Cel. HOFFMANNVS [i]), qui in ſanguinea vt vidimus ea abeſſe iuſſerat, vſum eorum in lenta ſeroſa, ſenibus potiſſimum a frigore externo, familiari, probat. BOERHAAVE [k]) in tali indicationes habet, vt preſſio glutinoſi a capite auertatur, lentorque in cerebro et in toto corpore attenuetur, ad vtrumque finem inter alia laudat cantharides. Ill. *van* SWIETEN eadem praecepta ſuppeditat in commentario, cantharidumque adhibitioni fauet. Non aliter STÖRCK [l]) in apoplexia frigida dicta, a ſanguine pituitoſo, ſeroſo, ſtimulantes clyſteres, purgantia, veſicatoria nuchae, ſuris, imo pluribus locis applicata laudat, aut temperata toti capiti raſo. TISSOT [m]) fortiora excitantia purgantia, cantharidesque quae ſtimulant, reuellunt et diaphoreſin mouent, collaudat, tutiores plebeiis familiari ranunculo probat, hancque methodum pro arcenda paralyſi, apoplexiae pediſſequa, valere praecipue affirmat, ſi ſudor erumpat, morbum ſoluturus, promouendum ſuadet infuſis ex herbis aromaticis. ROSEN [n]) qui non ſecus ac TISSOT in ſanguinea apoplexia de veſicatoriis prorſus tacet, enema multo ſale ſtimulans redditum, purgantia, veſicatoria ad ſuras commendat.

i) *diſſ. de Veſicatoriis* §. *18.*

k) *aph. 1024. 1025. 1027.*

l) *im Unterricht part. I. p. 315. 316.*

m) *in epiſt. p. 315. ſeq. et Avis au peuple p. 175.*

n) *libello citato p. 29.*

dat. Sudor ſi eueniat, remedio volatili illum promouendum vult; ſi febris acceſſerit, eam ex artis legibus tractandam monet. Recte etiam Cl. FORSTEN [o]) in apoplexia pituitoſa optimos effectus edere affirmat cantharidum vim reſoluentem, et ſtimulantem ad pituitoſum ſanguinis lentorem corrigendum; et reuellentem ad caput leuandum. De horum conſiliorum ad morbi naturam apprime quadrantium rectitudine ſat diu conuictus non aliter me in eius curatione geſſi, effectumque cantharidum ſaepe mecum laudaui. Neque tamen puto, et in apoplexia pituitoſa dicta, ad eas ſine praeuia deliberatione confugiendum eſſe, ſed vt emolumentum exſpectatum et ſperatum inde eueniat, ad cautiones in applicatione neceſſarias ſedulo attendendum eſſe, credo. Ac primo quidem cauendum eſt, ne quae praeſens adeſt Apoplexia pro pituitoſa et frigida perperam, praecipitanter et frigide habeatur, quando vere talis non eſt, ſed temperiei Aegri et omnium circumſtantiarum reſpectu potius ſanguinea haberi debet, quod ego quidem factum noui. Sincere hoc monitum ſuppeditauit et inculcauit LANCISIVS [p]), ad *Proſperum* MARTIANVM prouocans, qui ad aliquem textum HIPPOCRATIS *de morbis* declamans contra illos, qui in curatione apoplexiae calefacientibus vtuntur ſic ſcribit: *Videant poſteriores, quantum a Praeceptoris doctrina, et ex conſequenti a veritate recedant, dum cuiuslibet apoplexiae cauſam, aut ſaltem pro maiori parte, in pituitam frigidam et humidam referentes, curationem perpetuo calefacientibus inſtruunt, quandoquidem facta totius corporis purgatione, ſi morbus praebet inducias, ad vulgata ſua decocta, ex guajaco, ſaſſafras aliisque ſimilibus, tanquam ad columnas Herculis confugiunt, cum animaduertere deberent, ex tribus apoplexiae ſpeciebus vnicam tantum et raro contingentem in frigidos ſuccos Hippocratis conſilio referendam eſſe.* Obſeruauit quoque Illuſtr. noſter *de* HELWICH [q]) maiorem partem eorum, quos apoplexia inuadit, temperamenti ſanguinei vel ſangui-

o) *p. 178.*

p) *de mort. ſubit. lib. II. c. V. §. 14. p. 104.*

q) *Hiſt. Morb. Vratisl. 1702. p. 2.*

ſanguineo-cholerici eſſe. Forte hae conſiderationes mouerunt PITCARNIVM, vt in pituitoſa aeque ſanguinem mittendum eſſe ſtatuerit, quam in ſanguinea.

Illa interea Apoplexia omnino pro pituitoſa et frigida haberi debet, quando aegri temperies tota talis eſt, quando facies eius cum labiis potius pallet, quam rubet; quando pulſus debilis, tardus, et paruus eſt, atque extremitates corporis magis frigent quam calent. Atque rebus ſic ſeſe habentibus, abſtinendum potius erit a Venaeſectione, quam in pituitoſa apoplexia aliquid incerti ſecum ferre, atque in ſeroſa fere nocere monuerit BOERHAAVIVS [r]). Huic adſtipulatus *van* SWIETEN [s]), Nil magis, inquit, familiare eſt in Praxi, quam vt Medici illico ad VSem confugiant, vbi apoplexia metuitur, imo famae damnum incurrunt illi, apud ignarum vulgus, qui hoc remedium neglexiſſe videntur. Verum non multum boni in hoc caſu a ſanguinis miſſione expectandum eſt, motus enim ſanguinis per vaſa languet; copia eius deficit; lentum illud phlogiſticum circa anguſtias vltimas vaſorum arterioſorum haerere incipit; quod nullo modo per VSem educi poteſt, cum in venas tantum tranſeat illud, quod per vltimos fines arteriarum ire potuit. Reuulſio autem a capite tutius per alia indicata remedia impetratur. Non minus Cel. TISSOT, quoties, inquit, Apoplexia oritur in corpore nulla plethora aut phlogoſi vitioſo, ſed quod cachecticis humoribus turget, crudisque aquoſis et viſcidis, rarius ad VSem confugiendum dicit [t]), et alibi [u]): Quando Apoplexia inuadit homines minus ſanguineos, minus fortes, et minus calidae temperiei, Venae ſectio ſaepe non neceſſaria, aut non neceſſarium eſt, vt reiteretur, ſique pulſus eſt minus plenus et minus durus, noxia illa euadere poteſt.

Studio ſtatum Aegrorum apoplecticorum curatius explicaui, qui miſſionem ſanguinis excludit, eapropter, quod

r) *aph.* 1025. 1034.

s) *ad aph.* 1026.

t) *in Epiſt.* p. 215. 216.

u) *Avis au Peuple* p. 175. 176.

 vita

vita eorum debilis ſolutioni et diſcuſſioni ſtagnantis in arteriis encephalicis minus faueat, morbumque peiorem redderet, ſi VSe magis debilitaretur. Quo magis autem ſtatus hic pulſu renuente, hanc abeſſe vult, eo magis valere debent languidum nimis motum incitantia, et inter ea etiam veſicatoria. Nondum tamen omnia expoſui, quae ad prudentem et ſecuram eorum applicationem requiruntur. Nempe monente *van* SWIETEN [v]), ſi cacochymia encephalum grauet, et eius functiones turbet, atque nondum ſatis attenuati humores ſubito moueantur, haerebunt tanto pertinacius impacti anguſtiis vaſorum, et omnia mala augebunt. Hac eſt ratio, quare prius praemitti debeant aliorſum determinantia, vt preſſio a capite auertatur, ſimulque per euacuantia tollenda pars ſarcinae pituitoſae. Tunc a lenioribus ſoluentibus incipiendum, quae circulationis impetum non ſubito et vehementer augent, tumque lentore attenuato acriora, et motum humorum magis augentia tuto adhiberi poſſunt, veſicatoria autem tunc maxime vſum habent. Clarum eſt, ſi ſine praemiſſis praemittendis, veſicatoria plura, quae apoplexia pituitoſa expoſcere videbatur, ſimul fuiſſent applicata, tumultu motuum excitato, humoribus haud mobilibus exiſtentibus, omnia in peius ruere debuiſſe. Celeb. TISSOT [w]), quando purgantibus et acrioribus enematibus larga diarrhoea excitata copiam humorum ſubduxit, reuellentia adhibenda demum vult, hic autem ſaepe tam belle prodeſſe cantharides ait, quae ſimul ſtimulant et reuellunt, ſudoresque mouent, hanc enim eſſe vim veſicantium, vt totius cutis functiones reſuſcitent, licet vni parti tantum applicentur. Euacuatio illa parcioris ſeroſi laticis, quae veſicatorio applicato educitur, inter excretiones ſalutares, quae in apoplexia phlegmatica et ſeroſa proritandae ſunt, vix referri poteſt, niſi plaga diu aperta ſeruetur, vt indeſinenter magnam lymphae copiam ploret. Plus praeſtant omnino, breuiorique tempore, et euacuando et reuellendo purgantia et

clyſma-

v) *in Comment. ad aph. 1027.*

w) *in Epiſt. p. 316.*

clyſmata acria. Potior vis cantharidum in hoc morbo eſt a ſtimulo, quem inferunt neruis, quoque motum vitalem debilem incitant, vt fortius agat in pigra et quieſcentia liquida, deinde ab inſinuatione in humorum maſſam, qua tenacitas et viſciditas earum diſſoluitur. Stimulus interim etiam aliquam reuulſionem praeſtat a parte affecta, non paruula euacuatione, ſed alliciendo ad locum in quo excitat humorum circulantium maiorem affluxum. Haec ſontica mihi ratio eſt, cur in remotioribus a capite locis veſicatoria applicata praefero, admotis nuchae et toti capiti raſo; ad id enim affluxum inuitatum nulla ratione volumus. Video equidem Ill. *van* SWIETEN capiti cucuphae aut pileoli forma applicatis cantharidibus inſigne emolumentum adſcribere, atque prouocare ad WEPFERVM,[x]) qui foeminae colluuie ſeroſa, cephalalgia et aliis ſymptomatibus laboranti, a quibus apoplexia metuenda erat, commendauit tale emplaſtrum, quod notabilem ſeri copiam eduxit. At vero nec hoc, nec purgantibus, nec cura ſudatoria, nec multa farragine aliorum medicamentorum adiuta eſt aegra, ſed delirauit ſine febre, locuta multa abſurda, riſit, fleuit, et diu poſtea aegrotauit, forſan ad vitae finem vſque. Si ſerum in toto corpore luxuriet, et iam notabili mole interioribus cerebri incumbat, latum adeo veſicatorium ad irritatam ab eo partem maiorem eius affluxum eo allicere neceſſario debet. Id alio loco ipſe largitur WEPFERVS[y]) diſertis verbis ſcribens: *Veſicatoria loco diſtantiore applicata* praeſtantius reuellunt, *quam vicino affixa, nam haec attrahunt potius.* Credidit Cl. Vir memoratae foeminae ſymptomata inde pendere, quod caput eius a colluuie ſeroſa intus et foris valde inundatum fuerit, ſerumque intra cranium cumulatum profundius ſeſe immerſerit, ac medulloſam partem cerebri attigerit, quare potenter id ad exteriora voluit allicere. Sed pericranium longe lateque ruditer vellicans Veſicatorium dum omnem circulum auget, et accelerat, atque vi cordis propulſum ſanguinem per caroti-

x) *obſ.* 32.

y) *obſ.* 34. p. 78.

dum truncum allicit verſus caput, ad ramos internos aeque ac externos, excurrit eius flumen, quamuis ad hos ſtimulo magis allici debere videatur, ideoque tantum leuaminis ipſum encephalum non obtinet, quam ſi brachiis cruribusque talia emplaſtra fuiſſent applicata.

Silentio non praeterire poſſum illam Apoplexiae ſpeciem, quae a materia arthritica, vel remanente in humorum maſſa, vel retropreſſa, exoritur, cuius meminiſſe non oblitus eſt in opere ſuo *de Arthritide anomala* MVSGRAVIVS. Valent tum quammaxime veſicantia, femoribus, ſuris, circa malleolos applicata, vt materia haec a capite, in quo male hoſpitatur, lethale periculum minitans reuellatur, et ad loca dolere ſueta inuitetur. Cum vero in hiſce caſibus, vt bene explicat laudatus Auctor, [z]) ſanguis miaſmate arthritico, hoc non rite paroxyſmo expurgato ſaturatus, vel propter cerebri imbecillitatem, vel propter aliam occaſionem in id vehementius arietet, cum magno impetu partes eius tenerrimas feriat, ſicque cephalalgiam, vertiginem et ipſam apoplexiam pariat, in eadem fere omni neceſſariam VSem eſſe, nilque ea certius nil citius opitulari dicit. Neque pro reuulſione purgantia et clyſmata intermittit, ac vacuefacto corpore, emplaſtrum ex pice burgundica et terebinthina, vel cephalicum cum euphorbio, nuperrime dolenti articulo apponendum ſuadet: ſicque cerebrum magnopere leuari ait, natura praedictis auxiliis adiuta in iuſtam viam redeunte, et opus inauſpicato coeptum accuratius et felicius perficiente. Quodſi autem per haec non ſanetur aeger, vt alieni fiat euacuatio, collo poſteriori, dimidio ſyncipiti, vel capiti raſo epiſpaſticum applicari vult, vt et brachiis internis, vel ſuris, vbi chiragra vel podagra frequenter fuit. Vix puto conſultum fore, aegrum vel tot veſicatoriis ſimul adhibitis inuoluere, vel ea in vicinia capitis, multo minus

z) c. XV.

minus illi ipſi applicare, quando ad brachia et pedes materiam arthriticam allectam volumus, quod vnice requiritur; ſufficiet ergo et neceſſarium erit, his ſolis illa apponere. Tacco alia Autoris tentamina, quae niſi mōdo citata cum VSe et aluum ducentibus ſperatum effectum praeſtiterint, exceptis iis, quae ad eius ſtylum ſpiritus animales ſtimulent, dicam potius, quae humores leni ſtimulo ad peripheriam determinent, tranſpirationemque et ſudores cient.

* * *

Locutus ſum hactenus de Apoplexiis, in quibus vaſa cerebrina impleta et farta ſanguine, vel ſola copia et impetu, vel vitioſa craſi peccante, neruorum principia grauant, et influxum liquidi neruei in partes muſculoſas intercipiunt. Dantur vero etiam interdum apoplectici, in quibus ſine omni externa compreſſione neruorum a vaſis adiacentibus, influxus hic deficit, ob liquidi huius ſummam penuriam, vt adeo morbus tum apoplexia ab inanitione nominari debeat; quam non praetervidit BOERHAAVIVS [a]) HAENIVS [b]) TISSOT [c]) et STÖRCK. [d]) Haec illa eſt, quae haemorrhagiis variis aliisque euacuationibus humorum largiſſimis et ſubitaneis exhauſtos, longis morbis confectos et emaciatos, mentis laboribus curisque inſomnibus conſumtos, maraſmo ſenili ſicceſcentes, ſubito ſaepe necat. Haec veſicantium ſtimulos nil curans praecauetur magis, quam ſanatur, vltimae quippe elaborationis liquidum deficiens non adeo cito reſtituitur, quia praeuias coctiones, quae omnes nunc languidae ſunt, et nutrimenti ſufficientis aſſumtionem praeſupponit.

a) *de morbis neruorum p. 652.*
b) *rat. med. IV. p. 180.*
c) *in epiſt. p. 326.*
d) *Anno Med. II. p. 136.*

De apoplexiis, quae ab apoſtematibus, polypis, vitiis in ſolidis, tumoribus, feſtucis, a laeſionibus externis oriuntur, multa dicere nil attinet, nam illae omnes ſunt inſanabiles, exceptis his, quae chirurgica arte interdum tolluntur.

dum truncum allicit verſus caput, ad ramos internos aeque ac externos, excurrit eius flumen, quamuis ad hos ſtimulo magis allici debere videatur, ideoque tantum leuaminis ipſum encephalum non obtinet, quam ſi brachiis cruribusque talia emplaſtra fuiſſent applicata.

Silentio non praeterire poſſum illam Apoplexiae ſpeciem, quae a materia arthritica, vel remanente in humorum maſſa, vel retropreſſa, exoritur, cuius meminiſſe non oblitus eſt in opere ſuo *de Arthritide anomala* MVSGRAVIVS. Valent tum quammaxime veſicantia, femoribus, ſuris, circa malleolos applicata, vt materia haec a capite, in quo male hoſpitatur, lethale periculum minitans reuellatur, et ad loca dolere ſueta inuitetur. Cum vero in hiſce caſibus, vt bene explicat laudatus Auctor, [z]) ſanguis miaſmate arthritico, hoc non rite paroxyſmo expurgato ſaturatus, vel propter cerebri imbecillitatem, vel propter aliam occaſionem in id vehementius arietet, cum magno impetu partes eius tenerrimas feriat, ſicque cephalalgiam, vertiginem et ipſam apoplexiam pariat, in eadem fere omni neceſſariam VSem eſſe, nilque ea certius nil citius opitulari dicit. Neque pro reuulſione purgantia et clyſmata intermittit, ac vacuefacto corpore, emplaſtrum ex pice burgundica et terebinthina, vel cephalicum cum euphorbio, nuperrime dolenti articulo apponendum ſuadet: ſicque cerebrum magnopere leuari ait, natura praedictis auxiliis adiuta in iuſtam viam redeunte, et opus inauſpicato coeptum accuratius et felicius perficiente. Quodſi autem per haec non ſanetur aeger, vt alieni fiat euacuatio, collo poſteriori, dimidio ſyncipiti, vel capiti raſo epiſpaſticum applicari vult, vt et brachiis internis, vel ſuris, vbi chiragra vel podagra frequenter fuit. Vix puto conſultum fore, aegrum vel tot veſicatoriis ſimul adhibitis inuoluere, vel ea in vicinia capitis, multo minus

z) *c. XV.*

minus illi ipſi applicare, quando ad brachia et pedes materiam arthriticam allectam volumus, quod vnice requiritur; ſufficiet ergo et neceſſarium erit, his ſolis illa apponere. Taceo alia Autoris tentamina, quae niſi modo citata cum VSe et aluum ducentibus ſperatum effectum praeſtiterint, exceptis iis, quae ad eius ſtylum ſpiritus animales ſtimulent, dicam potius, quae humores leni ſtimulo ad peripheriam determinent, tranſpirationemque et ſudores cient.

Locutus ſum hactenus de Apoplexiis, in quibus vaſa cerebrina impleta et farta ſanguine, vel ſola copia et impetu, vel vitioſa craſi peccante, neruorum principia grauant, et influxum liquidi neruei in partes muſculoſas intercipiunt. Dantur vero etiam interdum apoplectici, in quibus ſine omni externa compreſſione neruorum a vaſis adiacentibus, influxus hic deficit, ob liquidi huius ſummam penuriam, vt adeo morbus tum apoplexia ab inanitione nominari debeat; quam non praetervidit BOERHAAVIVS [a]) HAENIVS [b]) TISSOT [c]) et STÖRCK. [d]) Haec illa eſt, quae haemorrhagiis variis aliisque euacuationibus humorum largiſſimis et ſubitaneis exhauſtos, longis morbis confectos et emaciatos, mentis laboribus curisque inſomnibus conſumtos, maraſmo ſenili ſicceſcentes, ſubito ſaepe necat. Haec veſicantium ſtimulos nil curans praecauetur magis, quam ſanatur, vltimae quippe elaborationis liquidum deficiens non adeo cito reſtituitur, quia praeuias coctiones, quae omnes nunc languidae ſunt, et nutrimenti ſufficientis aſſumtionem praeſupponit.

a) *de morbis neruorum p. 652.*
b) *rat. med. IV. p. 180.*
c) *in epiſt. p. 326.*
d) *Anno Med. II. p. 156.*

De apoplexiis, quae ab apoſtematibus, polypis, vitiis in ſolidis, tumoribus, feſtucis, a laeſionibus externis oriuntur, multa dicere nil attinet, nam illae omnes ſunt inſanabiles, exceptis his, quae chirurgica arte interdum tolluntur.

De

De affectibus ſoporoſis adhuc multa commentari ſuperfluum foret, ex dictis enim de Apoplexia facile intelligitur, quando illi veſicatoria expoſcant, quando iis non iuuentur, et peiores reddantur. His ſanatum lethargum habet inter alios SENNERTVS [e]) et WILLISIVS. [f]) Sed et in Viro plethorico, ab emplaſtro Veſicatorio ceruici impoſito ſoporem vidit TISSOT vix poſt 24. horas excutiendum, qui adeo in aliis, ſi a plethora foueatur, tali non cedet, ſed augebitur.

e) *Pr. lib. I. Part. II. c. 21.*

f) *Pathol. Cerebr.*

§. IV.

Paralyſis, praecipue Hemiplexia.

Apoplexiae pediſſequa et ſoboles toties eſt *Hemiplexia*, et magis particularis paralyſis, quare vt ad eius conſiderationem me conuertam, ordo dicendorum poſtulat. *In nullis morbis forſan frequentius applicantur Veſicatoria*, vt vere ſcribit FORSTEN, [a]) *quam qui a paralyſi, aut vniuerſali totius corporis, aut particulari alicuius partis, originem trahunt. Si agendi modum conſideremus, facile patebit, quantum debeat valere hoc irritamenti genus, ad neruos in his morbis affectos liberandos a cauſa obſidente, ſiue reuellendo, ſiue ſoluendo eam, ſiue euacuando, ſiue ſubtiliſſimorum vaſculorum motum intendendo, ſiue ipſos neruos ſenſibiles irritando, et aliis variis modis.* Omnes hae intentiones generatim conſideratae optimae ſunt, poteſt tamen, ſi morbi ingenio minus recte accommodatae fuerint, ſubinde magnum nocumentum adferri, id quod potiſſimum ob hanc rationem fit, quoniam multi magni Viri vt in Apoplexia, ita et in Hemiplexia et paralyſi, non attendunt ad veram et realem differentiam inter ſanguineam, pituitoſamque et ſeroſam. De prima quidem praeſtantiſſimi quidam Medici tacent penitus, quaſi illa non exiſteret, ſecundam et tertiam vnice ante oculos habentes, atque ad eas omnem medendi methodum dirigentes.

a) *p. 179.*

Ad cauſarum Paralyſeos explicationem delatus RIVERIVS [b]), omnium frequentiſſima, ait, eſt humor pituitoſus, qui neruos

b) *Operum p. 169 ſeq.*

neruos obſtruendo, comprimendo, denſando, vel refrigerando, ſpirituum animalium influxum prohibere ſolet, nullique alii humori quam bili, melancholiae et ſcorbuto inter cauſas locum relinquit, de ſanguine autem prorſus tacet, (tumores, luxationes etc. ſpinam et neruos comprimentes, cum extra artis potentiam locatae ſint, ſilentio praetereo.) Eapropter in curatione VSem vix conferre poſſe dicit, cum ſanguis non peccet, ſed pituita, hinc praetermittendam vult, aut parua manu celebrandam, et pro frigida cerebri intemperie, quam ſupponit, vt cauſa antecedente remouenda, mera aromatica et balſamica, vno verbo mera acria irritantia variis formis, et inter ea veſicantia laudat. Ita quoque PITCARNIVS[c]) neglecta VSe, ſurſum deorſumque mouentia vomitoria et purgantia, frictiones, ſudorifera, vt decoctum Guajaci, quodque miror, non veſicantia ſed fonticulos intra ſcapulas commendat. WEPFERVS in multis obſeruationibus de Hemiplegia, ſemper de ſeri euacuatione et a cerebro reuulſione loquitur, et poſt purgantia, inter varia aromatica et volatilia, multa otioſa terrea, rarius veſicantia, quod mirandum eſt, praeſcribit, fonticulum in brachio (*obſ. 156. 157.*) ſcamnum ſudoriferum (*obſ. 158.*) hoc et fonticulum aut ſetaceum in brachio (*obſ. 159*) fonticulum in brachio (*obſ. 160. 161.*) thermas (*obſ. 162.*) fonticulum ex cera viridi et cantharidibus, tandem veſicatoria vtrique carpo, vtrique genu, aut toti capiti raſo (*obſ. 163.*) fonticulum (*obſ. 165. 166.*) ſcamnum ſudatorium (*obſ. 167.*) alibi adhuc veſicatorium capiti deraſis capillis. Ex his omnibus clarum eſt, in Hemiplegia optimum Virum non niſi ſerum ante oculos habuiſſe. Illuſtr. MEAD[d]), poſtquam medelam apoplexiae explicarat, in paralyſi inquit, nullus iam amplius ſanguinis miſſionibus locus, nec catharticis vehementioribus, cumque morbus iam longus ſit, pro Veſicatoriis, in locis idoneis praeſertim ſub occipitio, et ſupra ſcapulas, vel ferramentis candentibus, vel medicamentis cauſti-

c) *Elem. Med. lib. II. cap. 3. §. 12.*

d) *monit. med.*

cauſticis vlcera, quae fonticulos vocant excitari vult, remediisque aromaticis cum chalybe rem praecipue agendam dicit. Ipſe adeo ſummus BOERHAAVIVS[e]) quanquam paralyſin ab omni cauſa apoplexiam generante oriri poſſe ſcribat (ergo ſine dubio et a ſanguine plethorico et phlogiſtico) nulla tamen alia medicamenta tradit, quam aromatica, ſalia fixa et volatilia, olea aetherea, viroſas animalium partes, valida ſtimulantia vomitoria, purgantia, ſudorifera, vno verbo mera acria irritantia, et inter ea veſicatoria, quae non aliter agere poſſunt, quam vaſa corporis a maioribus ad minutiſſima neruea, ad crebriores contractiones, et motus incitando, et omnem circulum accelerando, febrem efficere. Commendat ea omnia tantus Vir, quia vult vt Medicus naturae ductum ſequatur, quae vt ille monet[f]), magna febre ſuperueniente impacta ſoluendo, interdum paralyſin ſanet. Atque Praeceptoris veſtigiis eius praecepta explicans vbique inſiſtit doctiſſimus Commentator. Ex his omnibus luculenter patet, omnes modo laudatos egregios Viros, paralyſin non niſi ex vno viſionis puncto conſiderauiſſe, nempe ex pituita ſaltem, et ſero, frigidis cauſis oriundam, quod tanto magis miror, cum *Nicolaus* PISO[g]), qui dogmata Graecorum, Romanorum, Arabum et optimorum aliorum Autorum ad Seculi decimi ſexti dimidium collecta exhibuit, expreſſis verbis dicat, *quod paralyſis fiat vel a ſanguine, vel a pituita, a ſanguine tenui multitudine ſua viam ſpirituum intercipiente, a pituita, quam in neruorum ſubſtantiam penetrare exiſtimat.* Cum ergo vtraque ſollicite attendi et diſtingui in praxi rationali mereatur, ſummis encomiis dignus eſt *Fridericus* HOFFMANNVS[h]), quod prae coeteris artis doctoribus ſapienter vnam ab altera diſtinxerit, quod ſi negligatur, multa damna in ſalutem hoc morbo laborantium redundare poſſunt. Egregie Vir optimus inter cauſas remotiores, quae pro ſubiectorum varietate mox ſeroſam, mox ſanguineam, procurare valent *hemiplegiam,* primo

e) *apr.* 1058. 1059.

f) *aph.* 1064.

g) *de cognoſcendis et curandis morbis lib. I. c.* 17. *p.* 110.

h) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p.* 9.

primo loco ponit nimiam molem ſanguinis, venere, largo vini et cereuiſiae potu, balneis calidis, forti agitatione corporis ſub coelo feruidiore, grauibus animi pathematibus, commoti, et expanſi, vel frigore calefacto corpori ſubito admiſſo verſus interiora corporis, et ad encephalon pulſi [i]). His ſuppoſitis et praemiſſis, ſe conuertens ad communem ſententiam, *Febris*, ait, *ſi ſequatur paralyſin, eam ſanare dicitur, ſed hoc intelligendum magis eſt de artificiali quam de naturali febre, atque de ſeroſa potius quam de ſanguinea paralyſi. Enim vero ſi naturalis fuerit febris eam vel continuam oportet eſſe, quae periculo nunquam caret, vel intermittentem, quae malum haud tollit. Per artificialem intelligimus motum cordis et arteriarum auctum per acria et calidiora neruina et volatilia remedia* etc. *Verum haec in ſanguinea paralyſi, quae iam febrili motu ſtipatur, applicare neutiquam conuenit, ſed in ſeroſa duntaxat, vbi languet humorum circulatio, locum inueniunt.* Aurea haec verba Hoffmanni ſunt, vix enim dici poteſt, quantus in hemiplegia et alia paralyſi magis particulari curanda, ſit abuſus farraginis remediorum ſic dictorum neruinorum, et excitantium, quae omnia vaſa ſtimulando in celeriorem et fortiorem motum humores abripiunt. Neque tamen BOERHAAVIVS tantus Vir, prorſus praeteruidere potuit, paralyſeos ſanguineae, et phlegmaticae, aut frigidae, diuerſam indolem, et differentem medelam. Nempe dum de paralyſi agit in libro eximio de morbis neruorum, diſertis verbis ſcribit [k]): *Dixi ſanationem generalem omnium paralyſium chronicarum factam fuiſſe excitata febre in toto corpore, vel in parte. Excipio autem hic paralyſes natas ab inflammatione, plethora, et febre, de his enim dixi in corollariis de Apoplexia.* Hanc quam loquor diſtinctionem, ſerio inculcauiſſe diſcipulis Virum eximium, diu intellexi ex diſſertatione quadam Lugd. Bat. anno 1736. *de paralyſi* habita, in hac enim inuenio ſequentia Verba: *In paralyſi a cauſa tenaci craſſa ſtagnante*

i) *pag.* 151.

k) *p.* 779.

ſe orta conueniunt, ea quae febrem tam vniuerſalem quam particularem, nempe in parte affecta per frictionem etc. *inducunt, veteribus adeo laudata. Minus autem conueniunt haec, ſi plethora, inflammatio, febris reſolutionis neruorum cauſa fuerit.* Neque doctrinae Praeceptoris ſui oblitus eſt Ill. *van* SWIETEN, quanquam in Commentario ad aphoriſmum eius 1064. pituitoſam ſaltem et ſeroſam habente ſanguineae fere oblitus eſſe videatur. Scribit nempe: *conſtitit ex illis, quae ad* §. 1017. *habentur, vniuerſam omnium muſculorum voluntariorum reſolutionem, apoplexiam ſcilicet, ſanari febre magna ſuperueniente, adeoque et eodem modo facilius poterit paralyſis*, aſſertumque hoc ſuum illuſtrat exemplo Sartoris, quem Boerhaauius ter paralyſi correptum toties febre magna ſuperueniente ſanatum vidit. Addit autem: plura de hac re habentur ad §um 1017. Hoc vero loco [l]) ſequentia leguntur: *Non prodeſſe omnibus apoplexiae cauſis febrem, facile patet; ſi enim a plethora vel effuſis humoribus ob rupta vaſa nata fuerit apoplexia, febris augebit malum. Verum tunc imprimis videtur ſanatio huius morbi* (ergo et paralyſeos) *per febrem natam ſperari poſſe, vbi pituitoſa iners ſanguinis cacochymia apoplexiam produxit, talis enim materies per febrem ſolui et ſoluta pelli poterit ex locis, vbi haeret, vt probatum fuit ad* §*um 887.* Ipſe adeo PITCARNIVS [m]) licet aſſerat, indicari medicamenta in paralyſi ſurſum deorſumque mouentia, vomitoria, purgantia etc. tamen caſus excipit, in quibus nimium calidorum vſum morbus non ferat, aut ſanguinis feruidi copia, licet hoc perrarum eſſe credat, in qua quidem opinione fallitur.

l) *pag.* 286. 287.

m) *l. c.*

* * *

En nunc ſufficienter hactenus commonſtratam, *toto coelo*, vt calidum et frigidum, a ſe inuicem *diuerſam paralyſin ſanguineam, et pituitoſo-ſeroſam.* Illam refraenatum pulſum per VSem, et antiphlogiſticam methodum, hanc excitantia et calefacientia deſiderare, clariſſime conſpicitur. Illa inducta febre

ſebre in deterius ruit, haec excitata febre in melius abit. Iam autem, quia cum aliis acribus irritantibus, veſicatoria febrem faciunt, nocebunt certe in illa, indicabuntur et iuuabunt in hac. Audacter igitur aſſeri poteſt paralyſin, quae vult VSem, excludere cum omnibus acribus Veſicantia, niſi forte euacuationibus per VSem, et aluum ducentia praemiſſis, plethora ſoluta ſit, et pulſus ex magno et forti, paruus, debilis, tardus redditus ſubiungi velit Veſicans, ad quod tamen non ſine ſumma deliberatione veniendum. Quodſi interea Paralyſis vere enata ſit a lentore, atque inerte et ſeroſa humorum intemperie, in ſubiectis phlegmaticis, cacochymicis, cachecticis, ſi pulſus ſit debilis, languidus, lentaque et pigra humorum circulatio, ſi facies ſit pallida, ſi ſomnolentia adfuerit, et ſenſuum torpor, ſi morbus inueterauerit, omnia illa euacuantibus pro virium ratione, et ſoluentibus praemiſſis, prodeſſe poſſunt, et quandoque proſunt, quae ſtimulo febrem excitant, ergo et veſicantia. Oberunt autem certo in paralyticis plethoricis, adſpectu floridis, ſuetas excretiones ſanguineas ſuppreſſas habentibus, pulſu exiſtente celeri, et magno, tunc enim VSes, etiam repetitae, in brachio, iugulo, ſcarificationes, clyſteres leniter ſtimulantes, purgantia antiphlogiſtica, nitroſa, pediluuia, ſinapiſmi proſunt. Rectiſſime PISO, qui praecepta antiquorum et recentiorum collecta et quaſi concentrata exhibet, quanquam magnam copiam excitantium et calefacientium commemoret, poſtquam ab his in initio cauendum eſſe monuerat, *Curationis ratio*, inquit, *a clyſtere et ſanguinis miſſione inchoanda eſt, vt materia ex parte aegra reuellatur, ſi plenitudo adeſt, et aetas, tempus, corporis habitus aliaque conſenſerint.* Atque licet deinde detractionem modicam commendet, ne corpus refrigeretur, et calorem ſeruandum eſſe velit, ad frigidorum humorum coctionem, et morbi longitudinem; tamen in reſolutione, a contuſione, ictu, aut caſu, illam inſtitui et ſi febris iuncta ſit liberiorem fieri iubet [n]). Et

n) *Vide de cognoſc. et curandis morbis lib. I. c 17. de paralyſi p. 113*

 adhuc

adhuc poſtquam methodum in curanda paralyſi docuerat, quam pituita excitauit, ſtatim adnectit: *Si ea a ſanguine eſt, incidatur vena vt dictum eſt* [o]): Ita HOFFMANNVS [p]) ſanauit Hemiplegiam ſanguineam, cum pulſu celeri, et magno, facie tumida, et rubicunda, in Viro quadragenario, VSibus, ſcarificationibus, et antiphlogiſticis remediis, ſine veſicantibus, quae in hoc ſubiecto certo nocuiſſent (*obſ. 1.*), foeminam 30. annorum plethoricam, hemiplecticam factam a menſibus ſubito ſuppreſſis, ſine Veſicantibus; taxat omiſſionem VSis allegatque RAYERVM in foeminis hemiplegiam et paralyſin ſaepe vna VSe ſanari poſſe aſſerentem. (obſ. 4.) In paralyſi ab imminuto haemorrhoidum fluxu praecaueri adeo eam potuiſſe dicit matura VSe, vel haemorrhoidibus. (obſ. 7.) Seni ſeptuagenario ob paralyſin dextri lateris, ſanguinem in pede largiter detrahi fecit, et clyſma iniici, qui ſine veſicantibus ſeruatus eſt. (obſ. 8.) Matronae 66. annorum, ob inſultum hemiplecticum multum ſanguinis iuſſit detrahi, quae dein clyſmatibus, et mixtura neruina nil calefacientis habente breui conualuit. (obſ. 10.) Quam male his in caſibus omnibus neglecta fuiſſet VS. Foeminae 60. annorum, ab apoplexia VSe in brachio, cui male veſicatoria et emeticum ſubiuncta fuerant, excitatae, et in hemiplegiam delapſae, venam iugularem incidi fecit Cel. WERLHOF eo effectu, vt eadem veſpera crus moueretur. Cum poſt octiduum melius ſeſe haberet conſtantibus viribus facie rubente, venae amplae et plenae, pulſus naturalis et plenus, eandem venam denuo incidi fecit. [q]) VSe igitur debitum honorem haud aſſeruit PITCARNIVS, [r]) et MEAD, [s]) qui, vbi poſt apoplexiam relicta eſt Hemiplegia, nullum iam miſſionibus ſanguinis locum eſſe ſcribit. Quam peccant Medici, quando in principio principii morbi hemiplectici, maxime apud homines plethoricos, mediae aetatis, hucusque ſanos, lauta diaeta vſos, recte adornatam VSem taxant, atque praeter rem Apoplexiam praegreſſam ſeroſam nomi-

o) *p. 116.*

p) *Med. Syſt. Tom. IV. part. IV. c. 1.*

q) *Commerc. litt. Norimb. 1734. hebdom. 47.*

r) *Elem. Med. lib. II. c. 3. §. 12.*

s) *monit. med. Cap. II. ſect. II. p. 38.*

nominare haud dubitant, quae manifeſto ſanguinea haberi debebat, atque ad larga Veſicatoria intempeſtiue recurrunt.

* * *

Vlterior dilucidatio Hemiplexiae.

Vt clariſſime pateat, quantum damnum inferant ſuo tempore equidem bona, minime autem alio tempore indicata, haec emplaſtra, ſollicite expendendum eſt, quae in corpore vera et proxima cauſa ſit hemiplegiae, et paralyſeos; deinde quomodo haec cauſa excludatur; tandem, quid faciendum ſit, vt haec cauſa, ſi fieri queat, remoueatur; tunc quippe rationalis et irrationalis therapia in omnium conſiderantium oculos liquido incurrere debet. Cauſam hanc proximam Hemiplexiae, coram ſiſtunt Apoplecticorum et Hemiplecticorum ſectiones, cultro anatomico inſtitutae. In horum equidem cadaueribus, ob apoplexiam praegreſſam, vaſa cerebrina ſanguine repleta et diſtenta interdum adhuc inuenta ſunt, praecipue autem ſeroſus latex effuſus in ventriculis cerebri, et circa medullam oblongam, et ſpinalem deprehenſus eſt, vt apud Cel. MORGAGNI, in incomparabili opere *de ſedibus et cauſis morborum per anatomen indagatis.* Dum e cranio ſenis hemiplectici cerebrum eximitur et praeſertim dum infundibulum a glandula pituitaria diuiditur, limpidum ſerum et fluidus ſanguis erumpit. [t]) In alio ſene hoc morbo extincto, cranio ſecto craſſa meninge laeſa, aqua limpida effluxit, quae et in cerebri dextro ventriculo reperiebatur. [u]) Iterum in alio, dum cerebrum e cranio eximebatur, ſerum, quod inter craſſam et tenuem meningem continebatur, emanabat. [v]) In agricola, dum e cranio cerebrum educebatur, aqua erupit, quae inter craſſam tenuemque meningem fuerat, interque hanc et cerebrum, vaſorum trunculi, qui per meningis ſuperiora ferebantur, ſanguine erant diſtenti, ſubſtantia cerebri laxa, dextro et ſiniſtro ventriculo aliquid aquae inerat. [w]) In Sene ex apoplexia hemiplectico, e cranio inter ſecandum aqua defluxit, non

t) *Epiſt. anatom. medica XI. in qua agitur de paralyſi* §. 2.
u) §. 4.
v) §. 6.
w) §. 11.

non pauca, quae mox et ad cerebri baſin et in vertebrarum tubo conſpecta eſt, in lateralibus ventriculis etiam portio adfuit, maior autem ſub tenui meninge.[x]) Vt modo laudatus MORGAGNI, ita et BONETVS[y]) variis eius obſeruationibus teſtibus, in inciſis hemiplecticis, in alterutro medullae ſpinalis principio ſerum extrauaſatum inuenit. Nil attinet plura huc facientia teſtimonia conquirere, ſufficit ex adductis patere, ſerum hoc non niſi ſua compreſſione hemiplegiam parere. At vero notabile eſt, quod iam ARETAEVS[z]) aſſeruerit, in hemiplegia ſemper oppoſitum medullae ſpinalis latus affectum eſſe, ita quidem, vt dextro latere paralytico exiſtente, ſiniſtra pars medullae patiatur, et vice verſa. Qui eum ſecuti ſunt hoc ipſum eapropter euenire contendunt, quia neruorum initia dextra non in dextras partes progrediuntur, ſed modo enata protinus ad oppoſitum latus tranſeant, ſeque inuicem decuſſent, ad modum litterae X. Pro hac ſententia ſtant LANCISIVS;[a]) VALSALVA[b]) et MORGAGNI[c]) qui inſuper Hemiplegiae cauſam in oppoſita cerebri parte vt plurimum exiſtere, obſeruationibus confirmare laborat[d]), ad *Valſuluae* obſeruationes ſaepe prouocans praecipue Epiſt. III. §. 19. At vero alibi[e]) rem hanc non perpetuo ita ſe habere ingenuus fatetur. *Sunt tamen etiam*, ibi inquit, *obſeruationes reſoluti lateris non oppoſiti, ſed illi cerebri haemiſphaerio ſubiecti, in quo erat labes, nec Valſalua has inter ſuas diſſimulauit, neque ego inter meas diſſimulo:* Ill. *de* HAEN[f]) dum hoc argumentum ediſſerit, obſeruationem hanc ab ipſo HIPPOCRATE deducit, et proinde antiquiſſimam habet, ab HILDANO confirmatam, nempe quod laeſo preſſoque vno cerebri haemiſphaerio, oppoſitum corporis latus paralyticum fiat. Tales frequentiſſimas obſeruationes mouiſſe POVRPARTIVM ait, vt ſtatueret medullares fibras ſe decuſſare, cui aſſerto ſubſcripſit VALSALVA iam a me allegatus, et SANTORINI, ſed perpetuam hanc legem non eſſe HAENIVS dicit, et probat, affirmatque tandem, dari quidem

x) §. 13.
y) *in Sepulchreto Sect. 15.*
z) *lib. I. de cauſis et notis diuturnorum affectuum c. 7.*
a) *de mortibus ſubit. II. obſ. IV. §. 13.*
b) *de aure humana c. 5.*
c) *Aduerſ. anat. VI. p. 109.*
d) *de Cauſis et ſedibus morborum Epiſt. II. §. 10. et ſeq. III. §. 2. 3. 14. ſeq. V. 7. XI. 10. 12. LI. 43 LIII. 23. LXII. 13.*
e) *nempe Epiſt. anat. LXII. §. 13.*
f) *rat. med. IV. p. 194. 195. ſeq. et 196. 199.*

dem quae ſe decuſſent fibras, huiuſque decuſſationis effectu oppoſiti lateris morbos excludi; haud tamen omnes ſeſe decuſſare, adeoque proprii lateris neruos formare videri, vnde tunc ſimul phoenomena quae eodem in latere contingunt, explicata habeantur. Quidquid ſit, vna vel altera ratione, preſſio neruorum eueniens, ſtatum paralyticum inducit.

* * *

Iam autem, poſtquam quid indagatum per anatomen, encephalon hemiplecticorum Aegrorum exhibuerit, ſerum nempe extrauaſatum, inque ventriculis, et circa initia medullae oblongatae, et ſpinalis principia ſtagnans vidimus; ſequitur nunc, vt inquiramus ſedulo, quomodo haec extrauaſatio et ſtagnatio preſſionem medullae, quae proxima cauſa hemiplegiae eſt inducens enaſcatur, atque a praegreſſa apoplexia, huiusque cauſa progeneretur. Euentus et effectus huius aetiologiam ita tradit LANCISIVS:[g]) *Vbi contumax eſt inaequalitas motus ſanguinis in cerebro, et medulla oblongata, ſaepe partes aliquae fluidorum minoris motus, intra et iuxta horum et illorum neruorum texturam, aut motricium fibrarum vtriculos, atque inter media ſpatia vel vrgentur, vel ſubſident et impingunt, et tanquam capita mortua fere indiſſolubiliter figuntur, inde iuxta neruorum diſcrimina, varias paralyſis ſpecies inducunt.* Obſcurius pauliſper rem proponit et explicat Vir eximius, ad quam multi alioquin egregii Autores non attenderunt, quamque ipſi non ſufficienter intelligunt. Clarius multo haec explicatur a Celeb. HOFFMANNO,[h]) ita quidem, vt ab omnibus facillime capi, et introſpici queat. *Quando,* inquit, *ſtagnatio ſanguinis in vaſis membranarum cerebri apoplexiam inducens diutius haeſerit, et in ſubiectis ſero abundantioribus contigerit, ſecedunt ſenſim ſucci tenuiores ſeroſi per porulos vaſorum praeter naturam expanſorum hique incumbunt nervis, eosque comprimunt. Si ſerum hoc delabatur ad alterutrum*

g) *de mortibus ſubitaneis. p. 119.*

h) *Med. Syſt. Tom. IV. P. IV. p. 8. 9.*

medullae ſpinalis crus, idque comprimat, oritur hemiplexia. De vulneribus, abſceſſibus, vlceribus, tumoribus, medullae ſpinalis principium comprimentibus, iam non loquor. Non aliter TISSOT i) *In Apoplexia*, ait, *dum ob compreſſionem cerebri laeduntur ſenſus et motus, a ſtagnante ſanguine ſecedens ſerum, quod in Ventriculis reſorptionis defectu ſtagnat, ad baſin cerebri aut ad ſpinalem medullam depluit et decurrit, et pro parte quam comprimit varios impedit motus, eodem modo vt eos compreſſione impedit vertebrarum fractura et luxatio.*

i) *in epiſt. p. 341. 342.*

Ex hac idea hemiplegiae ſponte iam fluit rationalis eius therapia. Scilicet curatio apoplexiae, vt in antecedentibus euictum eſt, vnice in eo conſiſtebat, vt coaceruatio ſanguinis in encephalo, eiusque impetus eo excurrens, minuatur, inde metuenda vaſorum ruptura auertatur, atque ſeceſſio ſeri a ſanguine moras in diductis vaſis nectente praecaueatur, aut ſi haec iam facta, quantocyus eius reſorptio praeſtetur, antequam id inſpiſſetur, et coëat, fixamque ſedem in loco vbi moratur, obtineat. Quodſi enim, vt egregie loquitur *Roſén de* ROSENSTEIN, k) reſorptio non fiat, extrauaſatumque ſerum huic vel illi plagae encephali pertinax incumbat, inſultus apoplecticus praegreſſus in hac vel illa parte, quarum nerui ad eam abeuntes circa ſuas origenes a ſero illo grauantur, et comprimuntur, paralyſin poſt ſe relinquit. His fundamentis nixus Vir Doctiſſimus curationem in eo conſiſtere tantum poſſe, ſapienter ait, vt vaſis abſorbentibus facultas concilietur imbibendi elapſos humores ſeroſos, qui neruos comprimunt, vel ad minimum, ſi hi iam mora ſpiſſitudinem acquiſiuerint, et coiuerint, vt vlterior eorum ſeceſſio a ſanguine, et coagulatio non augeatur, ſicque paralyſis haud grauior reddatur. Non negari poteſt, intentionem hanc vnice prudentem et rationalem executu non adeo eſſe facilem; bene difficultates introſpexit HAENIVS l), interim nulla alia medendi via datur, vt malum, ſi per artem hoc poſſibile fuerit, tollatur. *Opus eſt*, inquit,

k) *Reiſeapotheke. p. 95.*

l) *rat. med. IV. p. 179.*

quit HAENIVS, *vt tam copioſum ſerum reſorbeatur, ſed ad talem reſorptionem coctionemque certum quoddam tempus natura requirit. Si ſufficiens circulatio per minus compreſſas partes interea temporis detur, ſi partes minus preſſae nimia humorum copia non obruantur, dum per compreſſas hi tranſire vetantur, ſpes eſt, vt homo vel ſaneſcat integre vel ſaltem necdum moriatur; ſi vero contrarium, pereat omnino, neceſſe eſt.* Concinne vnicum et verum ſcopum, quem medicus ſibi praefigere poteſt et debet, ſiſtit Ill. TISSOT [m]), *Curatio*, inquiens, *hemiplegiae eadem ac Apoplexiae, eo nititur, vt quia arteriae plus afferunt, quam venae auferunt, motu arteriarum minuto reſorptio, et liberior motus in venis ſuccedat, ſicque humores quibus turgent partes, euacuentur.* Iam his indicationibus veris, in curanda hemiplegia naſcentibus, applicetur actio cantharidum. Videntur illae obiter attendentibus, ſi nempe non ad ſimplicem et inanem irritationem partium paralyticarum, ſed ad veram morbi faciem reſpiciant, fauere euacuationi ſeri qua encephalum obruitur. Verum vltro patere debet dextre iudicantibus, veſicatorium, vel potius veſicatoria, (nam moris eſt plura ſimul eiusmodi aegro imponere) alias et prorſus contrarias conditiones in cerebro inducere, quam illae ſunt, ſub quibus vnicus modus, per quem poſſibilis eſt ſeri reſorptio, poteſt obtineri. Conſtitit in antecedentibus, febrem ſanandae hemiplegiae ſanguineae minus conuenire, ſed eam potius grauiorem reddere, an conueniret ad ſanationem ſtudio febrem veſicante vel veſicantibus efficere? Manente ſaltem priſtino impulſu ad encephalon, quem morbus ſecum fert, cauſa ſeceſſionis ſeri manet, et pedetentim increſcit. Nonne. facie florida et pulſus fortitudine et plenitudine teſtibus, iam praeſente ſatis valido impulſu ſanguinis verſus cerebrum, hac arte incondita adhuc magis proritato, ſeri ſeceſſio et extrauaſatio perduraret, promoueretur, et augeretur? Impeditur reſorptio, quia arteriae plus afferunt, quam venae reuehunt

m) *in Epiſt. p. 341. 344. 345. 346.*

a capite verſus cor, an dum haec omni ope iuuanda eſt, iuuabitur Veſicatorio, effecturo vt arteriae irritatae et ad crebriores ictus ſollicitatae maiorem adhuc ſanguinis copiam afferant, cum ante applicationem iam nimiam afferrent? Abſolute at ergo ſanguis non vrgendus eſt, ſi fieri debeat reſorptio ſeri in venulas bibulas. Humores quibus turget encephalum debent minui et auerti, an minuet eos veſicatorium leui euacuatione ſeri? an auertet eorum affluxum vberiorem, an ſtimulo ſuo potius illum ruditer ad ſuperiora vrgebit? Sane Medici, qui VSem, ſcarificationes, hirudines, aluum mouentia adhibent, pro affluxu ſanguinis verſus caput minuendo, et ſimul eodem tempore veſicatoria applicari faciunt, licet optimo ſcopo reuellendi, ignorant ideam morbi, et ipſi neſciunt quid velint; pugnant certe contra veras indicationes therapeuticas, peccant in aegri ſalutem. Egregie vt ſolet TISSOT [n]) *Lethifer* inquit, *et exprobrandus mos eſt, qui excitantibus omnem paralyſin ſanare conatur, dum intelligere nolunt Medici, cauſam impediti motus muſculorum eſſe plerumque vaſorum plethoram. Noui ſaepiſſime adhiberi quidem VSem, at mox boni quaſi poenitentes talia affatim ingerunt, quae cito delent, quicquid boni attulerat phlebotomia.* Obſeruaui ego non raro nimis negotioſa eiusmodi conamina, ſibi inuicem contrariantia. Vidi et dolui, vbi praegreſſa diuturna cephalalgia manifeſta plethora, affectibus animi, lautis epulis, vino generoſiore commota, poſt tranſpirationem a refrigatione ſubitanea ſuppreſſam, cauſa fuerat apoplexiae, quae ſtatim in hemiplegiam abierat, vno tempore poſt mediocrem VSem et clyſmata, hirudines collo, cucurbitas ſcarificatas, veſicantia et ſinapiſmos fortes, nuchae, totique brachio et cruri paralitico ſimul admoueri. Intus adhibebantur cum antimonialibus, ſuaueolentia vaporoſa, perperam pro neruinis habita, quae vel ſola ad apoplexiam diſponere apta ſunt: *conf. elegantiſſima diſſ.* TRILLERI *de morte ſubita ab*

n) *in Epiſt. p. 351. et 352.*

odore

odore Violarum, in qua varia exempla roſarum odore necatorum habentur. Moſchus Jane, valde inconueniens hemiplecticis ſanguineis remedium. Non mirum erat, hanc hemiplegiam his omnibus non bene ſelectis, et inter ſe actione ſua pugnantibus non ſanatam fuiſſe, contra quam deinde per menſes quaedam bona multa et varia, et minus conuenientia auxilia adhibebantur, quibus, forte autem magis accedentibus naturae viribus, leuabatur, non autem prorſus expugnabatur. Multo parciore, ſed ſelectiſſimo apparatu paralyſin a nimia ſanguinis copia ortam, ſolis nempe VSibus, et remediis antiphlogiſticis aluumque leniter ſubducentibus, aliquoties ſe curaſſe, teſtatur Illuſtr. STÖRCK. [o]) Merito laudatiſſimus Vir valde nociuum errorem eſſe affirmat [p]) omnem paralyſin, quae in ſolidorum flacciditate et vi motrice deperdita conſiſtit, ſtimulantibus, calefacientibus et neruos corroborantibus tractari, et ſanari debere, cum methodus haec calida non raro morbum deteriorem reddat, et febrem accerſat ſemper valde periculoſam. Quando aeger pulſum fortem et plenum exhibet, ac alioquin ſana et plethorica conſtitutione gauiſus eſt, VSem, emollientia, diluentia, et leniter reſoluentia, cum aluum ducentibus ſaepe medelam feliciter abſoluiſſe, teſtatur medicus egregius, nullam veſicantium mentionem iniiciens. Poteram haec aſſerta variis meis obſeruationibus confirmare, ſed vnam ſumme notabilem, qua ſuppeditata facile alias tacere poſſum, tantum afferam. Illuſtriſſimus quidam Comes paucos vltra 60. annos natus, ſaniſſimus antea, ſanguine et ſuccis plenus, ſubito inter epulas apoplexia afficitur. Chirurgus praeſens Medicum agens mox VSem inſtituit, clyſmata acriora iniicit, quaedam remedia interna adhibet. Vocor ego ad aegrum 15. milliaribus Vratislauia degentem. Inuenio eum hemiplecticum, balbutientem, phantaſia aberrante ſemi-delirum, facies erat rubicunda, pulſus fortis et plenus. Miſſionem ſanguinis ſtatim praecipio, quae ſequente die repetebatur; clyſmata iniici, atque

o) *Anno medico II. p. 136. in fine.*

p) *mediciniſch-practiſcher Unterricht. I. p. 332. 333.*

que cum haemorrhoides coecae vrgerent, hirudines iis admoveri facio. Praeſcripſeram ſimul aluum laxans antiphlogiſticum; ſed hoc cum omnibus aliis, quae medicamentorum nomine venire poterant, prorſus auerſabatur Comes, ad oblata omnia excandeſcens eaque deglutire praefracte recuſans, et coactus leniter, ſemper exſpuens. Cum omnis opera vſu rationis labefactato, omnis perſuaſio inanis eſſet, ad pias fraudes deueniendum erat. Quia interea potum ſufficientem aquoſum victumque tenuem, quem iniunxeram, tamen admittebat, et lenia iuſcula aſſumere non detrectabat, tantum ſucci citri, nitri, ſalis ſeign. et crem: tartari omnibus his admiſcebatur, quantum commode abſcondi poterat; cauendum autem erat ſollicite, ne nimia doſi offenderetur, tunc enim per aliquod tempus abſtinebat a potu, et ab omnibus alimentis tenuibus nutrientibus. Bonum erat, quod applicanda Veſicantia ſimpliciter inutilia imo vero noxia futura longe abeſſe debere conuictus eſſem, namque haec iracundiam aegri prouocaſſent ſine dubio, ad quam concipiendam natura facilis erat. Simpliciſſima hac methodo, quae docet, quantum ea in ſimilibus caſibus valere queat, praecipue autem ſi mature morboque nondum adulto adhibeatur, per tres hebdomades et vltra adhibita, brachium et crus paralyticum aeger ſenſim mouere incipiebat, tandemque ita reſtituebatur, vt rationis vſu iterum pollens, per conclauia incederet, manusque miniſterio ad ſcribendum et comedendum potiretur, ſatisque proſpera pro aetatis ratione valetudine vteretur, vltra 70 aetatis annum.

Quanquam vero ſine Veſicantibus hemiplegiam et particularem paralyſin, quae iis in vſum incongrue vocatis confirmaretur et augeretur, ex rationibus hactenus expoſitis ſanabilem, et certius citiusque, quam cum his ſanandam declarem,

clarem, tamen longe abſum, vt in certis huius mali ſpeciebus, eorum efficaciam in dubium vocem, applicationemque diſſuadeam. Nunquam vero iis locum concedo, quam in hemiplegia vere pituitoſa et ſeroſa, quae annotante HOFFMANNO [q]) corripit ſubiecta pituitoſa, aut ſanguineo phlegmatica, in quibus pulſus eſt debilis, languidus, facies pallida, quaedam ſomnolentia et ſenſuum torpor. In hiſce caſibus adeo cauteria lenis HOFFMANNVS admittit [r]), ſed dum ea vix permittit delicatus Seculi noſtri Genius, ſique ei etiam ſetacea non arriſerint, veſicantia aut nuchae aut pedibus applicanda ſuadet. Vtrique ſurae ea applicanda voluit [s]) quae tamen alia occaſione irrita fuiſſe memorat [t]). Ita quoque Venerabilis STÖRCK [u]), in aegris non plethoricis, frigidi temperamenti, facie pallida et turgida, lenta pituita repletis, purgantia ex ialappa cum ſalibus, vegetabilia acria, aromatica, frictiones cum pannis laneis aſperis, fumo gummi reſinarum imbutis, conuenire, et ſanationem Veſicantibus laborantibus partibus appoſitis iuuari dicit. Habet noſter olim *de* HELWICH [w]) paralyſin manuum et pedum, cum inflatione tumida in infante vnius anni, liqu. CC. ſucc. ad paucas guttas in aqua Cinami, et Vnguento neruino cum oleis aromaticis, quo nucha et ſpina fricabatur, curatam. In aliis puerulis eadem cura felicem eſt ſortita euentum, interdum loco vnguenti linimentum ſpirituoſum adhibitum. Puella trium annorum aphonia et paralyſi totius corporis laborans diuturno vſu liqu. CC. ſanata.

⁂

Videor mihi operae pretium facere, ſi ſpeciatim quaedam adiiciam, de *Aphonia*, a linguae paralyſi, ob compreſſos motores neruos pendente, in qua ordinarie ad veſicatoria confugere ſolent Practici. Prouocat dum de ea tractat Ill. HOFMANNVS [x]) ad ea, quae de paralyſi antea docuerat, et opus aggrediendum dicit VSe, clyſmatibus acrioribus etc. nec

q) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 9.*

r) *p. 18.*

s) *obſ. V. p. 34.*

t) *Obſ. VI.*

u) *Unterricht I. p. 334. 335.*

w) *Hiſt. Morbi Vratisl. anno 1702. p. 191.*

x) *l. c. p. 179.*

nec alienum habet blanda nuchae applicare veſicatoria. At in VSe omne punctum curationis verti dicit, quando a ſanguinis congeſtione verſus caput malum oritur, largamque vult et repetitam in pedibus, brachio, cum ſcarificationibus, pulſu exiſtente celeri et magno, facie rubicunda et a ſanguine turgida. Cauendum dicit in plethoricis, maxime ante tuſam venam, quam in ſenibus phlegmaticis prohibet, a medicinis calidioribus, eorundemque externo et interno vſu, quoniam humores magis commouent et raptum eorum ad fauces augent. Facile clarum eſt, in his caſibus nocentiſſima eſſe Veſicatoria, ſiue nuchae ſiue aliis locis applicentur. Ita profuit Vir egregius VSe Virgini plethoricae, et Seni octuagenario poſt inſultum apoplecticum aphonia correpto, cuius arteriae valde pulſabant, oculis rubentibus, totoque corpore aeſtuante, ſine veſicantibus [y]), licet antea ſcripſiſſet, non alienum eſſe, vt blanda nuchae applicentur. Crediderim ego in eiusmodi caſibus, quales exhibent binae obſeruationes, blanda minores, ſed ordinaria fortiora maiores noxas neceſſario inferre debere, cum vt omnia remedia calida, a quibus dehortatur [z]), humores commoueant, et raptum eorum ad linguam augeant. Quando nerui ad linguam excurrentes a vaſis ſanguineis turgidis comprimuntur, non poſſunt non veſicantia nuchae admota allicere maiorem affluxum, et vaſorum turgore aucto, augere compreſſionem. Princeps tum remedium cum aluum leniter ſubducentibus eſt VS. ſecundum praeceptum HIPPOCRATIS [a]): *Quicunque derepente voce deſtituuntur, ſi ſine febre ſint, ipſis venam ſecato.* Putarem pace optimi Senis febre praeſente, eam tanto magis neceſſariam fore. Sed quicquid obloquatur communis praxis, omnia volatilia, omnia olea aetherea linguae applicata, omnes frictiones cum linimentis ſpirituoſis, nuchae, et ſpinae dorſi, omnia ſic dicta neruina, cephalica calefacientia, omnes balſami vitae, omnes aquae deſtillatae ex plantis aromaticis, omnia gargariſma-

ta

y) *Obſ. I. et V.*

z) *p. 180. 181.*

a) *Popul. II. Sect. V. §. 17.*

ta acria, ex ligno guajaco, rad. pyrethri etc. tum abeſſe debere perſuaſiſſimus ſum. Prodeſſe interim ex apparatu hoc prudenter ſelecta poſſunt, quando frigida intemperies totum corpus obſidet, membraque omnia inerti lentore torpent. Mallem tamen hunc antea ſoluere, atque ſolutum ad inferiora determinare, ſtimulantibus clyſteribus et purgantibus, antequam ad veſicantia venirem. Aphonia hyſtericarum antihyſtericis, illaque quae a vermibus excluditur, anthelminticis ſanatur.

* * *

Multum autem refert, quando etiam Veſicantia vere indicantur in Hemiplegia et paralyſi particulari laborantibus, *cui loco illa applicentur.* Saepe bene ſe agere credunt Practici, ſi more vbique conſueto, membris ipſis paralyticis, illa liberaliter apponantur, vt nempe fibrae eorum flaccidae, et inſenſibiles ſtimulis acerrimis multiplicibus irritatae, ad ſenſum et motum valide incitentur. Verum omnes illi boni Viri non ſapienter magis mihi ſeſe gerere videntur, quam ignara et male ſana plebecula, quae hydropicorum pedibus oedematoſis allium, taleolos raphani, abſynthium, chelidonium, capita halecum, applicat, malum vnice conſiderans, quod in oculos incurrit, ſine reſpectu ad abditam cauſam cur aquae ſtagnent, hancque in obſtructione viſcerum fundatam ignorans, et non intelligens, ad quam tamen medicatio dirigi praecipue debet. Parum ſane commodi praeſtatur hemiplecticis Aegris, ſi brachia eorum et pedes fere in totum obducantur et inuoluantur Veſicantibus, namque curatio requirit ablationem cauſae, neruos voluntariis motibus dicatos comprimentis functionemque eorum impedientis, vt ſic liber influxus tenuiſſimi fluidi in paralyticos muſculos reſtituatur, cauſa vero haec non haeret in ipſis membris paralyticis. Saepius miratus ſum, ad hoc momentum non attendi, et ſapientiſſimum conſilium BOERHAAVII [b]) aut ignorari aut obiter haberi, quo inculcat: *maxime curan-*

b) *aph.* 1072.

curandum eſſe, vt ad ſedem cauſae detectam omnia remedia externa, ſi poſſibile, applicentur, ſimulque docet, qua ratione ea detegi queat: *Pars laeſa,* inquit, *plures ſimul eodem vitio laeſae, ſcientia muſculorum, neruorum, horum vnitio, origo, diſperſus et cognitio functionum ab vnoquoque horum pendentium, ſi comparentur inter ſe, clare docent ſedem latentem mali.* Notabile eſt hanc neceſſitatem applicandi remedii illi loco, quem cauſa occupat, iam adeo accurate perſpexiſſe GALENVM,[c]) atque Medicos hac ſcientia deſtitutos increpauiſſe. *Si quis ex anatome,* inquit, *ad quam partem deſcendant ſinguli nerui, a medulla ſpinali prodeuntes, cognouerit, affectas ſedes quam facillime inueniet. Nam crura et manus temere et fruſtra multi Medici tota die nocteque calefacientibus remediis perfricant, negligentes locum, vbi vel ſpinalis medulla vel neruus aliquis ex ipſa egrediens laeditur.* Non aliter TRALLIANVS[d]) hanc regulam negligentes monet: *Attendito igitur diligenter, quae ſit pars affecta et vnde initium trahat, aut a qua vertebra neruos recipiat, atque illi curationem adhibeto, non autem, vt vulgo fit, ſymptomatibus ſaltem obſiſtito.* Monet ad vtrumque hunc locum, *van* SWIETEN[e]) in ipſa exquiſita apoplexia in qua omnium motuum voluntariorum paralyſis adeſt, vitium haerere in ipſa origine neruorum, in encephalo, tuncque topicis remediis locum non eſſe, (ergo etiam non veſicatoriis nuchae tum communiter applicari ſolitis) *vbi vero ſenſus omnes vigent, interni et externi, et paralyſis partem quandam corporis occupat, tunc remedia topica, frictiones, veſicatoria, vnguenta, emplaſtra applicari debent illi loco, vbi nerui ad partem affectam ſpectantes ex medulla ſpinali egrediuntur. Sic ſi inferiores artus paralytici fiant, circa vltimas lumborum vertebras, ſi ſuperiores, ceruicis vltimis vertebris applicari debent, idem valet de reliquis ſpeciebus paralyſeos.* Egregie per ſingulas eundo PISO[f]) loca, ex quibus nerui proueniunt, qui nunc compreſſi paralyſes inducunt, accuratiſſime deſcribit, et ſic

c) *de locis affectis lib. IV. c. 7.*

d) *lib. I. c. 7*

e) *Comment. ad aph. 1070.*

f) *de cognoſcendis et curandis morbis lib. I. c. 17.*

ſic ſimul indigitat, vbi remedia externa applicanda ſint, pro ſingularum ſanatione. Ex Euſtachianis tabulis, quae exactiſſime demonſtrant origenes neruorum, locum determinari poſſe, cui topica remedia admouenda ſint, notat *van* SWIETEN.[g]) Omnia haec antea fuſius, in propriis ſuis ex cathedra habitis lectionibus in aphoriſmos, contra voluntatem ſuam a diſcipulis quibusdam editis, explicarat BOERHAAVIVS, ad Euſtachium, Vieuſſens, et Williſium prouocans, quos duces agendorum conſtituit; quibus omnino carere nequit Medicus dogmaticus. Hic ergo demum introſpicit, quam inconuenienter hemiplecticorum pedibus et brachiis applicentur plura veſicantia, nil prorſus ibi iuuare apta, cum circa originem medullae ſpinalis vitium latitet, adeoque in ceruice applicatio prudenter fieri deberet. Nil quoque iuuare poſſunt artuum paralyticorum frictiones. Si mille riuuli ex eodem ſcaturigine prodirent, atque in hoc haereret aliquod obſtaculum, quod influxum liberum aquarum in omnes inhiberet, an hic alliceretur, ſi illorum alueoli exſiccati repetita opera ruditer ſcopis verrerentur? Nonne ſi affluxum in loca, quibus humectandis deſtinantur, reſtitutum cuperemus, ad ſcaturiginem vsque ire, et in eo obſtaculum fluxum aquis praecludens remouere cogeremur? Patet ex his, quando veſicatorium cum frictionibus indicatur, nilque et his et illi, celeritatem circuli augentibus contraindicat, nuchae vt dixi veſicatorium applicandum, hancque cum ſpina dorſi fricandam pannis aſperis eſſe. Clarum hic ſimul fit, ipſum Veſicatorium Wepferianum, tanta praeſtare non poſſe, vt putat Vir egregius, cum iis, qui eius conſilium ſequuntur. Si circa ipſam originem neruorum, in medullari ſubſtantia cerebri, intra thecam oſſeam mali ſedes fuerit, vt in apoplexia, tunc eam cucupha cantharidibus foeta non attingit, licet ſumma irritatione agat, multo minus vero eam remouere aptum eſt veſicatorium nuchae admotum, etſi communiter et recepto more ibi affigendum eſſe ſtatuitur. Si in dextro vel ſini-

g) l. c.

ſtro latere hemiplecticis facta ſit neruorum reſolutio, conuenientius eſt, cauſa nempe non ſanguinea ſed vere ſeroſa et phlegmatica exiſtente, actis antea agendis ſoli nuchae tale emplaſtrum iniicere, quam brachium et crus multis veſicantibus obtegere, quia ibidem compreſſio neruorum locum obtinuit. Recte in eiusmodi caſu MEAD [h]) ſub occipitio praeſertim, et ſupra ſcapulas veſicatoria apponi ſuadet, quibus tamen vlcera ferramentis candentibus facta, et fonticulos praefert. Atque re ita ſe habente ſapientius ſic procederetur, quam ſi raſum caput praeter rationem mitra veſicante tegeretur, et aeger incaſſum torqueretur.

h) *monit. p.* 58.

Sunt Medici, qui intempeſtiue adhibitis et irritis deprehenſis veſicantibus, peruerſo conſilio ad aliud remedium generoſum, *Electricitatem* confugiunt, non perpendentes eius effectus in corpus humanum, et non diiudicantes, an illi tollendae verae cauſae hemiplegiae conueniant, an minus. Effectus hos ordine recenſet Ill. TISSOT. [i]) Pulſum celeriorem reddit Electricitas, eapropter auget et plethoram; concuſſione violenta debilitatem capitis, et vertiginem poſt ſe relinquit; ſanguinem ad caput cogit, vaſa cerebri dilatata et ſanguine turgida reddit; quae ita ſe habere deprehenſa ſunt in cadaueribus hominum longam electriſationem expertorum, ac propterea ſubinde extremorum et vniuerſalem paralyſin, mortemque ipſam poſt ſe trahit. Quis non videt, haec omnia cauſae hemiplegiae iam natae potius ſuppetias ferre eamque augere, tantum abeſt vt illi tollendae ſint paria. Eapropter omnino coactus fuit laudatus TISSOT, vt ab electricitate hemiplecticis adminiſtranda, promiſcue dehortaretur, quia febris et plethora ab ea inducta morbum reuocare valet, et ſpaſmi excitati circulationem turbant, cuius aequabilitas et moderamen fons eſt ſperandae ſalutis. Non ergo niſi tum, quando a ſe-

i) *in epiſt. p.* 355. *ſeq.*

a febre et ſpaſmis nil metuendum, hoc remedium admittit. Equidem paralyſin virtute electrica frequenter curatam annotauit HAEN. k) Aſſerit interea nihilominus TISSOT, peſſime ipſam proinde pro ſpecifico paralyſeos venditari, licet ſuo tempore proſit deauratorum a torpore excitatae per ſtupefaciens venenum, et colicam ſaturninam paſſorum paralyſi, a qua abeſt febris et plethora, a qua abſunt vitia cerebri, tum et paralyſi temperamentorum laxorum, et minus irritabilium, multis vero aliis nocere, ſimul monet.

k) *rat. med. Tom. I. II. et III.*

Nil frequentius eſt quam paralyticos et hemiplecticos ablegare ad *thermas*. Non mediocri numero confluere vidi per multos annos eiusmodi aegros ad thermas noſtras hirſchbergenſes, vel inſtinctu proprio, vel ſuaſu Medicorum. Nemini eorum autor fui, ibi commoratus, vt in balneum hoc calidum deſcenderet, quorum vnum calorem ſani hominis aequat, alterum ipſi paulo inferius eſt. Retulit mihi, qui thermarum per bene longum tempus fuerat Medicus ordinarius, *Schneider*, ſe ne vnum vidiſſe, qui motum artuum inde recuperarit, aliqui minutam mouendi potentiam reportarunt, neque defuere exempla eorum, qui ab his aquis ſalutem ſperantes, denuo inſultum apoplecticum paſſi ſunt mortem ſubito afferentem. Ipſe eiusmodi euentuum non raro exſtiti teſtis. Qui hodie his balneis praeeſt doctiſſimus Medicus *Ludwig* omnes paralyticos a thermis his, ſi auſcultare ipſi voluerint, ſollicite arcet. Neque diuerſarum Regionum Medici peritiſſimi aliter ſentiunt. *Thermae*, inquit, TISSOT l) *paralyticis calore et ſtimulo humores rarefaciunt, motum augent, ſicque ſebrem et plethoram generant, metus ergo eſt, ne inſultum apoplecticum denuo excitent. Ipſe paulo nimis in caldario moratus toto corpore turgebam, et vertigine per horam premebar. Fidae obſeruationes mortuos narrant in balneo, in laconico, aut*

l) *Epiſt. p. 351. 353.*

 mox

mox poſt egreſſum et quotannis plures paralytici diem obeunt ſupremum, in illis thermis, a quarum vſu ſalutem ſperauerant. Inter turbam miſerorum tremoribus et paralyſi artuum laborantium, qui ad machinam electricam Viennae ſub directione Ill. HAENII confugiebant, vix vno alteroque excepto, omnes thermis ſulphureis badenſibus vſi fuerant, alii quanto tempore a Medicis conſultum eſſet, alii prout otium vel crumena id concederent; nonnulli per annos aliquot repetiuerant balneorum vſum. Pauciores parum modo leuaminis perceperant, vnus alterque peius habuit, plerique nihil profecerunt[ll]). Attendi omnino praeterea meretur Cel. MEAD[m]), quando ſcribit: *Calidae immerſiones omnibus paraliticis nocent. Et ipſe quidem noui nonnullos, qui cum varia Medicorum ſpe deluſi ad thermas noſtras bathonienſes profecti eſſent, ex aqua calida egreſſi mox iterum apoplexia correpti ſunt, et perierunt.* Conſultus Cel. WEPFERVS[n]), an in Hemiplegia thermae, et in Helvetia piperinae vel aliae, conducerent, reſpondit: *thermae non conueniunt, fundunt, non euacuant, opplent magis caput, funeſtorum euentuum ab harum vſu plura exempla habentur;* et adhuc ſemel: *negatur, quia humores fundunt, caput vaporibus implent, quod alias debile adhuc eſt, nec dum cauſa proxima ſublata eſt, quia cauſam proximam non attingunt, multo minus tollunt, imo augent, vnde efficere poſſunt, vt apoplexia vera ſequatur. Experientia teſtatur, non adiutos earum vſu, imo dum recens malum eſt, ſummopere laeſos, et quosdam intermecioni datos eſſe.*

ll) *Vid. Haen. rat. med. III. cap. VI. p. 219. 220.*

m) *monit. med. cap. II. ſect. II. p. 39.*

n) *obſ. 168. 169. de morbis capitis.*

Mouent me rationes ſonticae, vt cum cura inquiram, an hemiplectico aegro *aquae* noſtrae *landecanae*, in comitatu glacenſi ſcaturientes, quibus fauere olim pro cura paralyſeos *Medici* noſtri *Vratislauienſes*[o]), prudenter et ſecure pro balneo ſuaderi queant. Hae vix tepidae ſunt, ſed potius frigidae; cum vix vna aut altera vena ſubterranea in fontem totum

o) *hiſt. morb. Vratisl. 1799. pag. 93.*

tum frigidum, laticem tepidulum parca copia inſtillet. Eapropter etiam BALBINVS[p]) thermas appellari non poſſe autor eſt, quod calidae non erumpant, ſed ad lauandum, eas calefieri neceſſe ſit. Methodus eas adhibendi talis eſt, vt aeger fontem primo ingrediatur, ibidemque per horam et vltra commoretur, deinde in balneum calidum ex eius aqua paratum ſecedat, et poſt moram horulae in eodem, lectum petat, inque eo tranſpiret et ſudet. Qui de his aquis omnium optime ſcripſit Cl. BVRGHARDT, experientia perpetua inſtructus aſſerit, omnes ſine exceptione, qui fontem ingrediuntur, ſtatim, vel breui poſt ingreſſum magno tremore et frigore corripi; (quod vt minuatur, magna copia aquae calidae, ſub introitum fontis in eum deſcenſuris effuſa, praemitti ſolet) in facie palleſcere, vnguibus manuum et pedum coeruleſcentibus; pulſum fortiorem exhibere; vrinam tenuem et aquoſam reddere; deinde vbi in vannum aqua calefacta fontis plenum ſeceſſerint, ipſis pulſum celeriorem reddi; pallorem in rubedinem abire, vngues coeruleſcentes naturalem colorem induere, in lecto deinde ſitim moueri, ſudorem moderatum erumpere; balneumque ipſum differente frigore et calore aquae, non tam in humores corporis, ſed praecipue in ſolidas eius partes agere[q]). Ob omnia haec phoenomena totam curationem conſiſtere ait BVRGHARDTVS in febre artificiali ſtudio inducta[r]). Plura dicit[s]), balneum landecenſe nullum morbum ſanare poſſe, qui non eſt ſanabilis, niſi febris acceſſerit; porro balneum nociuum eſſe in illis morbis, quos accedens febris peiores reddit, aut in quibus accedens mortem adfert; illosque aegros omnes, qui febrem artificialem non exoptant, quibus hanc minus profuturam fore, praeuideri poteſt, a balneo abſtinere debere. Quando deinde morbos pertractat, qui curatione per balneum, ſudationem, et ſtillicidium ſanantur, et de paralyſi agit, ad Hippocratem prouocat, *ſi attonitum febris inuaſerit, eum ſanum euadere*, aſſeren-

p) *in miſcell. hiſt. regni Bohemiae lib. I. c. 24. pag. 65.*

q) *Vide Abhandlung von den warmen Bädern bey Land-Ecka III Hauptſtück §. 13. p. 182.*

r) *pag. 183.*

s) *pag. 184.*

afferentem, atque poſtea ex operatione balnei febrem inducentis felicem effectum in curatione commonſtare, et elicere frustra molitur [t]). Reminiſcamur hic eorum, quae in antecedentibus euici, nempe non obſtante afferto Hippocratico, magna limitatione circumſcribi fructum, qui a febre poteſt ſperari in hemiplecticis, et paralyticis; toties eapropter cavendum eſſe ſumma ſollicitudine ab omnibus, quae pulſum fortiorem reddunt, circulum accelerant, febrem inducunt, ſanguinem determinant verſus caput; tuncque concludamus, male conſuli hemiplecticis ad tale balneum ablegatis, quod nonniſi inducta febre, in eorum corpora agit. Quodſi inſuper conſideremus, dum per horam integram toto corpore frigus ſuſtinet ex apoplectico hemiplecticus factus aeger; dum omnia vaſa externa corporis conſtringuntur, dum propterea pulſus fortior redditur, ſanguisque, a peripheria ad centrum cor verſus, ad interiora capitis vrgetur; quam ancipiti euentui ſperata eius ſalus exponatur; quam metuendum ſit, ne hisce conditionibus obtinentibus, denuo apoplecticus inſultus inuitetur, et vita ſummum periculum incurrat. Condonanda ſunt plebeculae praeiudiciis occaecatae, foemellisque per haec abreptis male ſana eiusmodi conſilia, ad experientiam gratis prouocantibus. Medico autem religio ſit, inſecuram et rationi contrariam methodum probare, et commendare, licet quandoque aegrum parum adiutum quaſi ſeminaufragum non occiderit, et bona fortuna eluctari ſiuerit.

t) pag. 376. 377.

De Stillicidio aliter ſentiendum eſt, quando enim, quod in thermis aquisgranenſibus fieri conſueuit, e ſublimi, vt loquitur BLONDELLVS [u]), aquarum mineralium calidarum pluuiae inſtar procuratur caſus (la douche vocare ſolent) partibusque affectis adaptatur, capiti, artubus, (addo ego nuchae, ſpinali medullae, lumbis) prout morbus exigit, multum

u) *in deſcriptione aquarum aquisgranenſium p. 85.*

tum boni impetratur. Ratio in promptu eſt, inquit SPRINGSFELD [v]), aqua enim haec per ſe ditata eſt virtute quadam ſolvendi, et vis eius augetur non ſolum per impetum, quo parti affectae et quidem calide applicatur, ſed adiuuatur etiam per frictionem, quam adſtans famulus durante ſtillicidio adhibet.

v) *in itinere medico ad thermas aquisgranenſes. ſ. 14. p. 36.*

Sufficienter credo de paralyſi egi, vt in ea ſananda veſicantium vſum et abuſum accuratius commonſtrarem. Electricitatis ſimul et thermarum eam ob cauſam mentionem inieci, vt clarum euaderet, quia et hae et illa, toties nocent, circuitum humorum fortiorem et celeriorem reddendo, ac humores ad caput vrgendo, idem hoc de cantharidibus, eosdem effectus poſt ſe relinquentibus, valere debere. Paralyſis ab inanitione replentibus et neruinis, a vermibus, anthelminticis curanda, ad propoſitum meum haud ſpectat, a colica pictonica genita, ad quam curandam et praecauendam veſicans abdomini appoſitum laudatur, clare monſtrat, quantum interſit origini neruorum, a qua laeſio motus procedit, illud admouiſſe.

§. V.

Epilepſia.

A morbo defectum motuum inuoluente, tranſeo protinus ad alium, e diametro ipſi oppoſitum, exceſſu eorum peccantem, iis quos detinet, tremendum, et adſpicientibus horridum, *Epilepſiam.* Duce *Marco Aurelio* SEVERINO, antiquis veſtigiis incedente, Ventris ſuperioris morbos medicina efficaci in ipſa ſua arce obſidere, hoſtemque prouocare et expellere, candente ferro laborarunt Medici quidam et Chirurgi. Licet vero heroicus hic Auctor, cui iungi debet SCHENCKIVS, qui epilepticos per pyrotica ſanatos memorat [a]) in ipſa trium ſuorum librorum fronte, herculea quaſi manu ferri ignisque viribus armata, cuncta externa et interna tetriora et contumaciora mala collidi, proſterni, et extingui

a) *lib. I. de epilepſia obſ. 17.*

 poſſe

poſſe credat, atque inter alia etiam ſingulis capitis morbis deſtinet, tamen ad violenta haec praeſidia, nemo medentum hodie facile deueniret, ſi etiam delicatior ſeculi Genius haud renueret. Infeliciſſimus fuit Ill. HAENIVS [b]) in inſtituendis eiusmodi experimentis, peſſime a Veteribus eosque ſequentibus pro periculi expertibus habitis, quae infauſtiſſima ipſe nominat. Alia multa in craniis deinde fecit, quae ea non niſi cum ſummo vitae periculo inſtitui poſſe, euidenter probant. Quare totam hanc operationem ex arte proſcribendam iudicat, cum rarior eius felicitas plurimorum interitum non compenſet. Igne actuali interim in Medicina et Chirurgia extincto, potentialis, quem in ſinu ſuo fouent cantharides, ardere, et toti peripheriae corporis, modo hic, modo alibi, applicari perrexit. Hoc non minus efficaciter Epilepſiam, diuturnam maxime et refractariam, in capite dominium ſuum nactam, ſeſe aggredi poſſe, ſibi videntur, qui eidem toti raſo eiusque parti capillatae, veſicatorium applicant, magna ſpe tumidi. Ita vniuerſo capiti deraſis capillis hoc admoueri iubet *Ludouicus* SEPTALIVS. [c]) PISO [d]) ſi aliis topicis malum non ceſſerit, adhiberi iubet ſinapiſmum capiti, aut id ferro candente aduri, quo loco vertebra cum capite committitur, ſeu in fine occipitis. RIVERIVS etiam [e]) Veſicatorium ſyncipiti, et cauterium poſteriori parti ceruicis admouendum vult. In Epilepſia idiopathica, cuius cauſam profunde intra cranium haerere credebat, Veſicatorium capillis abraſis toti cuti capillatae imponendum alteratis vicibus ſuaſit WEPFERVS. [f])

De omnibus his artibus interea, in abſolutiſſimo tractatu *de Epilepſia* Cel. TISSOT nil legitur, neque etiam in toto eius capite de mediis, quae impetum ſanguinis verſus caput excurrentem moderantur, et amouent, de Veſicantibus aliquid

b) *Vide rat. Med. Tom. VI. caput 6. de cranii vſtione in pertinacioribus capitis vitiis.*

c) *Animadv. et Caut. med. lib. VI. c. 59.*

d) *de cogn. et cur. morbis lib. I. c. 19. p. 137.*

e) *Pr. Med. lib. I. c. 7. p. 178.*

f) *de morbis capitis obſ. 131. p. 605.*

quid exſtat. Certum vero eſt Epilepſiam idiopathicam, haereditariam, congenitam eamque cuius cauſa ſtabilis in capite haeret, qualiscunque ea fuerit, non raro ex ſolidorum vitio, nulla arte tollenda, crebrius inuadere, ab omnibus illis quae ſanguinem et humores eo determinant, ſed et paroxyſmis mitioribus et rarioribus affligere, experientia teſte, ſi ille affluxus diaeta et medicamentis a partibus ſuperioribus auocetur. Fallerentur autem inſigniter, qui illum adeo cauendum, veſicatoriis vniuerſalibus toti capiti, aut temporibus, ceruicique, admotis, auerti poſſe, vel et ab interioribus ipſoque encephalo ad exteriora trahi poſſe, ſibi perſuaderent. Namque ſumma irritatione, ad vniuerſum caput, ſine dubio per carotides externas et internas, vertebralesque arterias, et earum omnium ramificationes, pulſu ſimul citatiore reddito, appulſus inuitatur et allicitur. Non ſufficit reuulſionis ideam et ſcopum ſibi formaſſe Practicos, ſed perpendi debet, an hic obtineri queat, ſique aegri res in melius mutentur per talia Veſicantia aut reddi videantur, quod vix ac ne vix quidem eueniet, attendendum eſt, an non veriora reuellentia vel alia remedia opem attulerint. Nollem adeo, talium epilepticorum, de quibus ago, brachiis vel cruribus veſicantia admouere reuellendi forte fine, nam et artubus applicata ſanguinem commouent, eiusque motum ad ſuperiora accelerant, quod omni opera euitandum eſt, quando miſeros rarius inſuperabilis mali paroxyiſmis affligi deſideramus. Si omnia examinentur quam rigidiſſime, aeque impoſſibile eſt, vt a veſicantibus ſolamen accedat illis omnibus Epilepſiae ſpeciebus, quae a valido ſtimulo qualicunque generi neruoſo illato, ab acribus ingeſtis et applicatis, per diaetam, medicamenta fortia, venena, ab humoribus acribus redditis, ab acribus ex aere inſpiratione hauſtis, doloribus omnis generis oriuntur. Omnes enim has cauſae volunt ſtimuli obtuſionem et ablationem, non ſtimulo huic adhuc additum ſtimulum a cantharidibus.

Quando autem morbus ſacer natales ducit ab acriore ſero, per loca varia excerni hactenus cum bonis aegri rebus ſolito, nunc vero effluere deſinente, aut quocunque modo repreſſo, pulchre prodeſſe poſſunt veſicantia, quae toties quando exanthemata retrocedentia, ſordesque cutaneae ſcabioſae, ſerpiginoſae, vlceroſae, arthriticae retropulſae, ex peripheria corporis ad interiora, morbo anſam dederunt, medelam afferunt. Sub eiusmodi circumſtantiis a Boerhaavio, eiusque Commendatore, aliisque Autoribus, veſicatoria in Epilepſia commendantur. HOFFMANNVS[g]) in contumaci chronica Epilepſia, item vbi a lympha acri ſcorbutica ſuboritur, veſicatoria, vel fonticulos cruribus applicari iubet.

g) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 26.*

Supereſt illa Epilepſia, cuius fomes in partibus externis alicubi haeret, quaeque tum euenit, quando eleuatae aurae, vel alium moleſtum ſenſum, ex pede, vel brachio, verſus caput adſcendentem ante paroxyſmum, qui tum ingruit, Aeger animaduertit. In his caſibus, ſi mature membrum cum neruo ſupra locum cui fomes inhaeret, fortiter ligetur, et conſtringatur, ſaepe paroxyſmus intercipitur, et auertitur. Felicius autem et certius hoc fit, malumque ſaepius prorſus tollitur, ſi loco huic veſicatorium applicetur, fomitem illum diſſipans, deſtruens, aut extrahens, plagaque exulcerata diu aperta ſeruetur. Non oblitus eſt huius methodi, qui omnes Epilepſiarum ſpecies in ſuas claſſes redegit Ill. BOERHAAVIVS[h]) eiusque Commentator ac Illuſtr. STÖRCK[i]). Varia apud Auctores exſtant huc facientia exempla Aegrorum, medelarumque. Notabilis locus habetur apud PISONEM[k]), qui lectam ex priſcis, et ſua aetate recentioribus ſcriptoribus, materiem habet. *Si nec caput*, inquit, *nec Ventriculus Comitialis morbi origo eſt, ſed alia pars, vt manus vel pes, ei potiſſimum*

h) *aph. 1084.*
i) *im Unterricht I Th. p. 347.*
k) *de cognoſc. et cur. morbis p. 138.*

tiſſimum curatio eſt admouenda. Propterea ſi pars illigari poſſit, vincula ſunt iniicienda, quae eius aditum prohibeant. Id enim indicauit puer, cuius morbus comitialis a crure oriebatur, curato primum vniuerſo corpore, ligatoque in medio membro, ſupra eam videlicet partem, quae diſpoſitione erat affecta, adhibitoque ex ſinapi aut thapſia medicamento. Huius loco deinde cauterium, vel veſicatorium commendat. Simile exemplum refert HOFFMANNVS [l]) Viri, qui paroxyſmorum acceſſionem praeſentiebat, dum aura quaedam ex inferioribus, per dorſum ad ſuperiora adſcendere videbatur. Inter alia remedia profuit ſine dubio praecipue emplaſtrum veſicatorium tibiae admotum, veſicis diu apertis ſeruatis. In *Miſcell. Nat. Cur.* [m]) habetur Iuuenis epilepticus, qui poſt paroxyſmum ſuperatum referebat, ſe a crure ſiniſtro quandam veluti flammam adſcendentem perſentire, quae vniuerſum corpus occuparet, et ad caput delata vertiginem tenebricoſam excitaret, ſeque deinde neſcire, quid accideret. Scarificata fuit ſura, vnde morbi fomes eleuabatur, applicataque ſunt ibidem duo Veſicantia, ſicque plenarie conualuit aeger. WEDELIVS [n]) puellam ſiſtit, quae ex pede ſiniſtro auram ſeſe eleuare ſentiebat, antequam morbo corriperetur. Cl. LOCHNER [o]) habet Epilepticum, qui ante inſultum ſemper perſenſit ſpaſmum dolorificum ad cubitum dextrum. Poſuit ad hanc partem veſicatorium, quamdiu illud fluebat, non aduertebatur ſpaſmus, aut Epilepſia. Hoc vix non conſolidato, rediit idem ſymptoma et morbus. Reiterauit Veſicatorium, ſeruauit illud apertum per 4 hebdomadas, dedit interne corticem et camphoram, et ita aeger liberatus eſt. Collectos ex variis Autoribus caſus eiusmodi exhibet Cel. TISSOT [p]), qui ipſe Sutorem, cui ab interiore parte femoris irritatio velociſſime verſus ſuperiora excurrebat, veſicatorio perſanauit. Eleganter de vſu Veſicantium in Epilepſia differit ALBINVS [q]), *Epilepticis inſultibus* inquit, *Veſicatoriis nequaquam obuiam abirem, cum iam nerui*

l) *Med. Syſt. Tom IV. Part. II. c. 2. obſ. 4. vbi varii Autores allegantur ſimiles caſus habentes.*

m) *Cent. I. et II. obſ. 80.*

n) *mat. med. p. 90.*

o) *in hiſtoria trium morborum*

p) *Tract. de Epilepſia Art. V. et XIX.*

q) *diſſ. de cantbar. Theſ. 16. p. 24.*

nerui ab acredine vellicentur, et acre acri ſuperaddendo, morbus atrocior redderetur, cuicunque parti hic applicentur, pariter nocebunt. Quicquid enim praeſtare poterunt, id a ſale acri humoribus et ſanguini miſto, expectandum. Sed id aeque nocebit, quomodo ſanguini miſceatur, dummodo miſceatur. Aliter vero ſeſe res habet, ſi aura adſcendens fomitem mali indicet, cui ſi immediate applicari poteſt Veſicatorium, illum totis viribus adorietur, partim ratione volatilitatis expellet, ratione ſalis infringet; ratione conuulſionum dolorificarum excutiet, et latibulo expurgato malo medebitur. Verum et ſub his cautionibus, multas cautiones adhuc inculcat WHYTT [r]). *In illis caſibus* inquit, *quando epilepticae conuulſiones ab ingrata aliqua ſenſatione, quae ſedem habet in parte quadam brachii vel cruris, oriuntur, veſicatoria optima remedia eſſe expertus ſum. Notandum vero eſt, melius eſſe apud perſonas, quae neruos extraordinaria ſenſibilitate praeditos nactae ſunt, in eiusmodi motibus conuulſiuis opium, moſchum, camphoram, balnea, pediluuia in vſum, vocare, quam Veſicatoria, quia haec ob exquiſitum ſenſum quem inducunt interdum noxia fiunt.* Vix autem, credo, in hac ſpecie Epilepſiae, quam loquor, his omnibus fomes eius extingueretur, licet motus pacarentur. Quodſi vero eiusmodi ſubiectis ſenſibilibus applicatum in pede vel brachio veſicans non conuenire cenſendum foret, (quod tamen conueniet, ſi temperatum, mixtum maxime cum aequa parte emplaſtri de meliloto, applicetur) quam male conſuleretur illis veſicatorio Wepferiano!

r) *von Nervenkrankheiten pag. 345.*

Nullam in antecedentibus hiſtoriis attuli, quae mea eſt. Bene vero memini inter alios caſus vbi haec methodus profuit, Viri, in eminentiore dignitate conſtituti, viribus eximiis pollentis, nocte dieque perpetuis meditationibus, ob ardua valde quae ipſi incumbebant negotia, occupati, qui eiusmodi epilepſiam, fomite ab extremo brachio et pede ſubito formicante ſenſu ad caput propagato enaſcentem patiebatur, quae tamen

auerti

auerti poterat, matura huius et illius, per faſciam conſtrictione. Singulis fere menſibus ſerius ocyus eiusmodi paroxyſmos patiebatur. Cogitabam de veſicante, renuebat autem alius Medicus, qui ad haec phoenomeua non ſatis attentus hypochondriacis pathematibus, obſtructioni alui, haemorrhoidibus, quae tamen per interualla ſat bene fluere ſolebant, omnia tribuebat; cui vero reniti nequibam. Ob hypochondriaca pathemata mentio deinde iniecta vſus Carolinarum, illo Medico etiam renuente. Vocabantur tamen in vſum, eo cum fructu, vt ille affectus epilepticus, ab eo tempore quantum reſciui, penitus ceſſaret, aut multo rarius accederet, ſanitasque reliqua egregie inſtauraretur.

Poteram equidem ſicco pede praeterire *Conuulſiones*, quae ab Epilepſia differunt, quod haec abſentiam ſenſuum externorum et internorum inuoluat, ſpuma ante os, pollicumque in volam manus contractione ſtipetur; ac vbi paroxyſmus finitus eſt, omnium rerum actarum ignorantia, quae omnia aliter ſe habent in conuulſionibus magis particularibus. Poteram, inquam de his tacere, cum veſicatoria vix alio reſpectu in iis locum habere queant, quam in Epilepſia, in qua rarius conueniunt. Aliqua tamen proferam, cauſas earum omnes ad repletionem, inanitionem, et irritationem, quam Autorum quidam ad repletionem referunt, reducens. Quod primam attinet, ſi conuulſiones oriantur a plethora, orgaſmo, aucto circulo, congeſtione ſanguinis ad caput, oeſtri inflammatione, atque ſanguinearum excretionum ſuppreſſione, in ſubiectis ſucci plenis, quis non videt, veſicantia tum, etiam bono fine reuulſionis admota, nocentiſſima futura. Nil deterius eſſe dicit HOFFMANNVS, [s]) quam in morbis conuulſiuis in genere omnibus, ea remedia exhibere, quae humores in graviores rapiunt commotiones, eapropter omnia calida, ſpirituoſa,

s) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 74.*

tuoſa, volatilia cane peius et angue fugienda dicit, quae non tantum mali acceſſiones reuocent, verum etiam id reddant deterius, et pertinacius. Nonne Veſicatoria tum applicata, quando ſanguis plenitudine, et circulo aucto peccat, atque verſus caput cum impetu proiicitur, certiſſime nocerent, atque non ſecus ac omnia calida, ſpirituoſa et volatilia humores in grauiores commotiones raperent, eaque propter conuulſiones augerent? De noxa eorum, in conuulſionibus febrium acutarum ſpeciatim egi, *Sectione priore.* Quam inepte illa admoverentur, quando, vt ſaepe fit, fomes earum in Ventriculo et inteſtinorum arundine latitat, ſed mirum, quod alicui ipſorum amatori haec medelae ratio nondum in mentem venerit.

Conuulſiones ab inanitione vnice replentibus et roborantibus tolluntur, neque vllum locum concedunt cantharidibus.

Si ab irritatione ortum trahant, illam irritantiſſimis veſicatoriis tolli poſſe, nemo facile aſſeret. Irritatio ſine materia a pathematibus Animi conuulſiones inducens, in ſubiectis praecipue mobilibus, vt hypochondriacis et hyſtericis, cantharidibus non auſcultabit, ſed exacerbabitur; neque illae convulſiones quae a dolore totum genus neruoſum in conſenſum rapiente oriuntur, quae emollientia et anodyna ſibi depoſcunt, nouum dolorem inferentibus veſicatoriis auferri poterunt. Equidem Cel. WHYTT[t]) in morbis conuulſiuis ſaepe eiusmodi remedia vtilia declarat, quae dolorem in neruis alicuius partis ſanae corporis excitant, et ſic plerumque ſenſationes ab irritatione in alia natas, tollunt, hucque facere dicit, cum cataplaſmatibus acribus, cucurbitis ſiccis, frictionibus, etiam veſicatoria. Allegatur ſimul vt hoc aſſertum probetur aphoriſmus HIPPOCRATIS[u]): *Duobus doloribus ſimul obortis, non in eodem loco, vehementior obſcurat alterum.* Sed obiicio Cel. WHYTT ea, quae in explicatione huius aphoriſmi habet Cl. *de* GORTER.[v]) *Vnus dolor obſcurat alterum denotat dolorem*

t) *von Nervenkrankheiten p. 348.*

u) *lib. II. aph. 46.*

v) *in Medicina hippocratica.*

lorem mitiorem non curari vel tolli, ſed minus ſentiri, ſi gravior dolor aliam partem infeſtet. Non decipiamur in iudicio, ac ſi ob vehementiam doloris cauſa alterius mitioris doloris tolleretur, quia viuida doloris perceptio ſolummodo obſcuratur. Si tenuiſſimae molis acrimonia irritans fixior alicubi haerens, aut toti maſſae humorum permiſta conuulſiones excitauerit, videtur illa veſicante ad locum alium, cui hoc imponitur, allici, aut ex interioribus ad exteriora auocari, et determinari poſſe. Neque prorſus huic intentioni contradicerem, quae quandoque bonum euentum ſortiri poteſt, atque RIVERII[w]) effatum confirmare, *Veſicatorium partibus affectae oppoſitis vtiliter admoueri.* Perpendendum autem antea credo, an febre, eademque praecipue acuta, eiusmodi aeger laboret, quem veſicante emplaſtro adiutum volumus. Varioloſa, morbilloſa, et alia exanthematica materia, antequam ex maſſa humorum euoluta, per ipſam febrem ad habitum corporis deponitur, non raro diras conuulſiones progenerat. Nollem vero tunc, maxime, quando moderamine febris opus eſt, veſicante pro maturanda excluſione vti, febreque aucta, et aeſtu maiore concitato, virulentiam eius et actionem exaltare, et intendere. Pediluuia tepida, regimen diapnoicum, circulum refraenantia remedia, aut leniores ſinapiſmi ignobilioribus partibus impoſiti magis iuuant materiae ablegationem ad corticem corporis, quam vrente ſtimulo agentia veſicatoria. Talem etiam nunquam volent conuulſiones, a medicamentis acribus, draſticis, et venenis naſcentes, vtpote ſolis lenientibus, oleoſis, et anodynis leuandae. Qui hactenus a me commonſtratum valde limitatum vſum veſicantium in therapia conuulſionum conſiderauerit, non mirabitur Ill. HOFFMANNVM toto capite, quo illam proſequitur, ne verbulum quidem de eorum applicatione habere. Cel. WEPFERVS[x]) equidem aegro conſtitutionis ſeroſae, facie pallida in conuulſionibus particularibus, quas ab irritatis neruorum ramuſculis a ſpinali medulla

w) *in Prax. p. 174.*

x) *de morbis capitis obſ. 110. p. 488.-492.*

dulla procedentibus, deducebat, veſicatorium homoplatis imponendum conſuluit; ſed ſimul adhibitum eſt pro ſudoris prouocatione ſcamnum ſudoriferum, in quod ipſe magnam fiduciam locat, cum pulueribus terreis, diaphoreticis, decoctis, clyſteribus, emplaſtris, tandem aeger thermis plumbariis ſanatus dicitur. Alio tempore[y]) Domicellae Comitiſſae 10. annorum, gracili, tenerae, in motibus conuulſiuis, praegreſſa hemiplegia, et ſequente aphonia, commendauit Veſicatoria, ad humores acres a meningibus cerebri reuellendos; multa alia pharmaca, vi aliqua praedita et nulla, ſimul vſurpata ſunt, tandem autem irritis omnibus, ad curam lactis tranſiit aegra, quae per hanc aliquamdiu continuatam, vt verba ſonant, omisſis VSe, veſicatoriis, multis purgantibus, indies melius habuit et ſenſim conualuit atque ſana et robuſta matrimonium iniit. Rurſum alio tempore[z]) oris tortura, quae tamen a paralyſi magis, quam a ſpaſmo deducitur, laborans aegra pilulis cephalicis et veſicatoriis ſanata dicitur, ſed multa alia ſimul fuere vſurpata. Clarum ergo eſt, ex his adductis Morborum Hiſtoriis Wepferianis, vt variis aliis quae adduci poterant, Veſicatoriis magnos adeo honores non enaſci.

y) *vide obſ. 117. p. 544. 547.*

z) *obſ. 149.*

§. VI.

Vertigo.

Non raro Apoplexiam, epilepſiam et conuulſiones praeſagit *Vertigo*, quare de eadem paucis agendum erit, inter cuius remedia multorum Autorum conſenſu veſicatoria referuntur. Haec cum cauteriis ad deriuationem commendat RIVERIVS, prouocatque ad *praxin admirandam* ZACVTI LVSITANI[a]), qui cauterio ſyncipiti admoto, vt Virum, quem habet tenebricoſa vertigine laborantem, aliis multis remediis nil adiutum, ita plurimos cerebri morbis exitialibus correptos, praeter Medicorum votum, vlceribus diu fluentibus, ad ſanitatem perductos fuiſſe, gloriatur. Dum ad colluuiem ſeroſam capitis ſanandam, veſicatorium toti capitis parti capillatae, Foeminae 32. annorum applicandum conſulit WEPFERVS[b]); inte-

a) *Pr. Med. lib. I. c. 9. de Vertigine.*

b) *obſ. 32. p. 71.*

integrum applicationis reiterandae proceſſum graphice deſcribit, tandemque addit: *haec Veſicatorii applicatio imprimis in paroxyſmo, praeſente vertigine conuenit.* Crediderim ego, vel per ſolam lectionem proceſſus inſtituendi, vel per ſpectaculum executionis, alicui vertiginem naſci, multo magis autem aegri iam patientis vertiginem, per hanc canificinam increſcere debere. Repetita haec fuit in commemorata aegra, effectus fuit, vt poſtmodum deliraret, citra febrem, rideret, fleret, abſurda loqueretur, veſicatorio denuo appoſito abortum bis paſſa iterum deliraret; inter duos abortus, ac aegrotare vario modo pergeret. Monita deinde fuit, vt ab vſu remediorum multiplicium, quae commendata fuerant, abſtineret, ſolo puluere cephalico abſorbente et auro horizontali excepto, a quibus vix aliquod ſolamen experta fuit, niſi natura vires id elargitae fuerint. Porró [c]) Viro 45. annorum vertigine gyroſa et titubante laboranti, ad ſerum e cerebro extrahendum, toti parti capillatae, deinde ambobus brachiis, veſicatorium applicatum, immenſa ſimul farrago remediorum exhibita, ſed nil additur, an adiutus aeger fuerit, an minus.

c) *obſerv. 76. p. 229.*

Viro alii [d]) 45. annorum, ob vertiginem titubantem toti parti capitis capillatae veſicatorium applicatum, ſi malum non ceſſerit, ſimul iniunctum fuit, vt ſemel vel bis repetatur. Poſt VSem, et varia remedia vſurpata aeger affirmauit, veſicatorium ſibi multum contuliſſe; an quia plethoricus fuit, VS. pediluuia et fonticuli etc. aeque profuerunt, et plus forte quam veſicans? Viro 25. annorum [e]) vertigine titubante afflicto toti capiti tale emplaſtrum applicatum, de ſucceſſu nil additur.

d) *obſerv. 74. p. 250.*

e) *obſerv. 75. p. 255.*

Foeminae [f]) vertiginem gyroſam patienti in paroxyſmo vehemente veſicatoria, vt vtrinque in olecrano, aut in carpis applicarentur, ſuaſit WEPFERVS, vertigine nec his, nec diffuſo remediorum apparatui cedente.

f) *obſerv. 72. p. 233.*

WEPFERVM fideliter imitatus LENTILIVS [g]) Canonico 30. annorum, vertigine, quae ab intemperie cerebri humi-

g) *Miſc. med. Part. II. pag. 311.*

da deducitur, ad illud aliquantiſper ſiccandum, et pro ſero extrahendo, diſſuaſit purgantia, VSem, diaphoretica, diuretica, aquas minerales, ſialogiſque, errhinis, veſicatoriis ordinariis inſufficientibus declaratis, vnum conſuluit Veſicatorium WEPFERIANVM quod an conduxerit, an minus, non legitur.

h) *Noſocom. charit. No. 13. p. 56.*

KLAVNIGIVS[h]) noſter Virum habet, ſumme plethoricum, aetatis 30. annorum, tanta vertigine vexatum, vt inſtar ebrii titubaret et in quaeuis ſibi obuia impingeret. Pauca reſtitiſſe dicit KLAVNIGIVS, quae in eius ſalutem non impendiſſet, VSem, laxantia, antorgaſtica, cephalica neruina, maſticatoria, veſicatoria, pediluuia, cucuphas, fotus, fonticulos, ſetaceum. His, ſed quis ſcit quibus ex his, vtcunque reſtitutus aeger noſocomium reliquit. Recenſet KLAVNIGIVS, quod deinde caſu inciderit in Miſcellanea LENTILII, vbi emplaſtrum veſicatorium inuenerit toti capiti applicandum, doletque huius experimenti diſpendium, adiicitque quod magis doleret, niſi prima occaſione oblata, ſe aliquid inde lucraturum ſperaret. An gratulandum erat vtcunque reſtituto aegro, quod doctiſſimus coeteroquin Medicus hanc artem immiſericordem ignorauerit? An ille, ſumme plethoricus, fructus, aut noxas, inde ſenſiſſet?

Eluceſcit et in hoc medelae genere vis praeiudicii Autoritatis doctiſſimos Viros abripiens. Sequebatur WEPFERVS bona fide illos, qui actualem ignem capiti applicauerant, potentialem ſubſtituens, Magnum WEPFERVM ſequebatur LENTILIVS, Magnum LENTILIVM KLAVNIGIVS, vt MAYERNIVM, magnae famae Virum qui primus, quod ſciam, lateri pleuritico veſicatorium appoſuit, ſecutus eſt MEAD et FREIND, hos PRINGLIVS, PRINGLIVM CLOSSIVS, FORSTEN et MEDICVS hos iterum alii.

Sed miſſo eiusmodi medentum Vertigine, redeamus ad Vertiginem aegrorum. Conſideremus breuibus, aetiologiam huius morbi, quam tradit Cel. BELLINI[i]): *Siue,* inquit, *per copiam*

i) *de morb. capiti p. 554.*

copiam ſanguinis, ſiue per copiam alicuius ex humoribus, ſiue per calorem rareſacientem adeoque vaſa extendentem cum impetu in retinam et neruos nitantur, partesque eas loco moueant, motu hoc vertigo oritur.

Audiamus deinde PITCARNIVM: *Cauſa*, inquit, *proxima Vertiginis eſt ſubitanea extenſio arteriarum ac earum preſſio ad latus et dimotionem denique retinae, ac nerui optici ab arteriis diſtentis et preſſis.* In cura ergo oportet (ſiue extenſio ſympathica ſiue idiopathica ſit) vaſa ſanguinea aliquantum exhaurire, niſi inedia et inanitio in culpa ſit, demum oportet exhibere ea, quae expanſionem ſanguinis impediant. Contemplemur adhuc indicationes therapeuticas ab HOFFMANNO[k]) ſuppeditatas: in omni vertigine ſanguinis et humorum ſtagnatio diſcutienda, eorumque raptus ad inferiora deriuandus, et deinde nerui roborandi; cumque variae ſint cauſae, quae maiorem ſanguinis, quam par eſt, quantitatem ad caput compellant, harum in curatione habenda eſt ratio. Non obliuiſcamur hic aetiologiae Vertiginis, quam tradit BOERHAAVIVS[l]): *ſiue ſanguis ſit duplo copioſior, ſiue duplo rarior, res eſt eadem reſpectu vaſorum et preſſionis; hinc ſi medicamenta talia adhibeantur, quae eodem modo peccant quam plethora, idem eſt ac ſi plethora adeſſet. Ergo medicamenta, quae augent actionem vaſorum et calorem, idem faciunt; ſi remedium quoddam ſic valet calefacere corpus, vt maior oriatur motus, fiet et maior rarefactio.* Iam his animaduerſis prudentem inſtituamus comparationem aetiologiae vertiginis et indicationum pro ea tollenda, cum actione Veſicatorii, vel nuchae, vel, quod peius eſt, toti parti capillatae capitis applicati. An ſana ratione vtentes concipere poterimus, eius ope ſanguinea vaſa exhauriri, extenſionem arteriarum et preſſionem retinae et nerui minui, rarefactionem, ſtagnationem humorum diſcuti, et raptum eorum ſurſum excurrentem ad inferiora deriuari? Nonne potius, licet etiam plagae ſeroſum laticem plorent, excitando motum maiori

k) *Med. Syſt. Tom. IV. pag. 89. 90.*

l) *de morbis neruorum. p. 619.*

iori copia ſanguinem et humores allicient, et ad loca affe-
cta inuitabunt; orgaſmumque eorum, et impetum febri-
lem neceſſario excitabunt? Quando nunc Vertigo toties a
praegreſſa plethora et commoto ſanguine excluditur, quomo-
do ad eius curam quadrabit plethoram inducens et augens ve-
m) *Monit. med. p. 40. 41.* ſicatoriorum? Praeterea autem quando, quod ſcribit MEAD[m]),
ſaepiſſime ventriculi magis, quam capitis morbus eſt, aut ſal-
tem vtraque pars ſimul laborat, grauato viſcida et biliosa ſa-
burra inteſtino, quando tum fruſtranea ſunt omnia remedia,
niſi ventriculo conſulatur, fruſtranea ſine dubio etiam erunt
veſicatoria. Nollem tamen eiuſmodi aegro, quod Vir Opti-
mus cum PITCARNIO facit, praeſcribere vomitorium, quia
violenta hac concuſſione ſanguis copioſius ad caput propelli-
tur, ſecuriora erunt, et aeque conducent digeſtiua et purgan-
tia per aluum, rem cum aperientibus et viſceralibus vnice ab-
ſolutura, ſi vertigo ſit hypochondriaca, quae ſaepius occurrit.
n) *l. c. pag. 93.* Cel. HOFFMANNVS[n]) in Vertigine chronica idiopa-
thica, ſi ex diuturniori ſanguinis intra vaſa plexus choroidei
ſtagnatione ſerum ſecedat, et vel in tertium ventriculum cere-
bri, vel in alium locum, vnde neruos opticos poſſit compri-
mere, extrauaſetur, bregma ferro candente inurere, aut nu-
chae veſicantia admoueri iubet. Conuictiſſimus ſum, illum
ipſum ferrum candens per omnem praxin ſuam non adhibuiſ-
ſe. HAENIVS certe infauſtis ſuis experimentis, omnes au-
daces Medicos hodie retineret. Quod Veſicatoria nuchae
admouenda concernit, ſi cauſa vere frigida fuerit, praemiſſis
purgantibus et reſoluentibus, non renuerem, ſed remotiori-
bus locis lubentius ea applicarem, ob reuulſionem certiorem.
In omnibus obſeruationibus Hoffmannianis tractationi de *Ver-*
o) *Obſ. IV.* *tigine* annexis, vna ſaltem[o]) habetur, vbi Vir eximius em-
plaſtrum de meliloto cum camphora ſuaſit. Sed et in hoc
caſu, in iuuene marito, temperamenti ſanguineo-cholerici,
qui ob regularem narium haemorrhagiam antea ſanus ſem-
per

per vixerat, hac autem ceſſante capitis doloribus et vertigine laborare inceperat, veſicatorium abeſſe potuiſſet. Suffeciſſent certe VSes et pediluuia cum purgantibus antiphlogiſticis. Monet PITCARNIVS[p]), in Vertigine a ſalibus volatilibus eſſe abſtinendum, eaque remedia, poſt euacuationes neceſſarias inſtitutas, eſſe exhibenda, quae rareſcenti ſanguini ponunt obicem. Monet HOFFMANNVS[q]) iuniores Medicos, vt in vertigine, vbi a ſanguinis abundantia ortum traxerit, communia illa aduerſus eiusmodi morbos commendata cephalica, balſama apoplectica, adeo ſuum balſamum Vitae, quod tantopere alioquin amabat, neutiquam, nec externe, nec interne, niſi cum maxima prudentia, adhibeant, quia maiorem motum et orgaſmum in humoribus procreant. Ecquis igitur a veſicatoriis, illum neceſſario inducentibus, non abſtineret!

p) *in diſſ. de Circulatione in animalibus genitis, et non genitis.*

q) *l. c. pag. 109.*

Cauſarum Vertiginis ordine recenſitarum accuratiſſimum catalogum exhibet Cel. *de* GORTER[r]) ampliorem ſane, quam aliquis expectauerit, nil tamen otioſi complectentem, in cuius fine verba habentur: *Quoniam eſt morbus a variis cauſis proueniens generalem curationem non admittit.* Non obſtante tamen cauſarum, ad quas pro diuerſitate earundem curatio dirigenda eſt, veſicantium ne quidem meminit. Plura dicam, cauſas has vertiginis recenſens, Opium, mercurialia et canthárides peſſimam vertiginem inferre dicit. Repetit hoc effatum in abſolutiſſima diſſertatione de *Vertigine*[s]), et praeterea *id verum eſt* inquit, *quod nunquam in vertiginoſis debeamus adhibere cantharides, quamuis ſaepe adhibeantur ratione deriuationis, quia ſpecifice vertiginem faciunt. Inde, ſi in vertiginoſis vel diureſis vel deriuatio excitanda, nunquam cantharidibus, ſed aliis medicamentis, quae hoc praeſtant, haec operatio eſt inſtituenda.* Quid ad haec WEPFERVS, LENTILIVS, et omnes cantharidum fautores et Encomiaſtae, in ſananda Vertigine?

r) *in Syſt. Med. §. 293.*

s) *in Medicina ſic dicta dogmatica, in qua tres morbos, delirium, vertiginem et tuſſim pertractat Cap. II. §. 24.*

§. VII.

§. VII.

Mania.

Maniam, grauem capitis morbum, iam conſiderationi ſubiicere opus erit: ſunt enim qui et huius curationi Veſicatoria deſtinant, quod nunquam ſatis mirari potui. Tacet equidem de his methodum medendi tradens SENNERTVS noſter, ſanguinis euacuationem et humoris praeparationem inculcans, attamen cauteria ſuturae coronali applicata, maxime vtilia eſſe dicit, vni ſaltem Gordonio ſubſcribens eoque ipſo Veſicatoriis ibidem applicandis patrocinatur. RIVERIVS, qui eum quaſi obiter citat, VSibus et purgationibus fere omnia tribuit. WEPFERVS veſicantium coeteroquin Patronus, in omnibus caſibus de Mania VSem, helleborum et refrigerantia laudat, nullam illorum mentionem iniiciens. PITCARNIVS poſt Venaeſectiones et purgationes, humeris et occipiti cucurbitulas ſcarificatas applicari vult, nullas vero cantharides. Neque etiam BOERHAAVIVS in aphoriſmis et Ill. Commentator *van* SWIETEN eas in curatione commendant. Clarum facile eſt, omnes hos magnos Viros nil boni ab iis expectauiſſe, cum alioquin eas obliuioni non facile dediſſent. Valere interea veſicantia, in illa Maniae ſpecie, quae ex nimia vaſorum cerebri impletione et infarctu oritur, reuellendi et attenuandi fine ſcapulis et brachiis impoſita, vt nonnulli ſuadent, aſſerit Cl. FORSTEN [a]). ROLFINCKIVS [b]) certe eadem ſumme proficua eſſe aſſerit, ſi ſcapulis et brachiis admoueantur. Vix crediďiſſem me inter laudatores inuenturum Cel. LOCHER [c]), egregium Medicum Viennenſem, ſcribit tamen: *In quibus plethora, aetas florida, robur, Suetae excretiones ſanguinis ſuppreſſae, praegreſſa viuendi ratio, pulſus ipſe depletionem indicant, largas et repetitas celebrari iubeo VSes, iugularis mihi maxime in vſu eſt, tuſa ſimul vena pedis. Fateor, quod multos habuerim Maniacos, qui non prius redierunt ad ſe quam dum per iteratas VSes, et Veſicatoria applicata, debilitati quaſi fuerant.* Haec maxime proficua fuerunt, quia partim reuellendo humores, partim

a) *p. 176.*

b) *in ordine et methodo curandi capitis affectus diſſ. V. p 23.*

c) *in obſerv. practicis circa Luem veneream, Epilepſiam et Maniam p. 60. 61.*

partim irritando, excitauerunt plures a fixo et profundo ſuo delirio. Non deſunt interim ſummi Practici, qui ab hoc medelae genere in Maniacis dehortantur. Magnus coeteroquin Veſicantium Fautor PITCARNIVS tamen in Maniae medela prorſus de iis tacet; vt iam dixi. BAGLIVVS equidem, quando plus ſimplici vice veſicantia in deliriis diſſuadet, de iis loquitur, quae febre acuta ſtipantur, puto tamen, non minus ad maniacum delirium trahi poſſe, quando inquit [d]: *Veſicantia interdum ob inſignem, quem excitant, dolorem, delirium iam factum adaugent, imminens vero accelerant.* Id diſtinctis verbis ita ſe habere declarat HOFFMANNVS [e], *Veſicatoria*, inquiens, *in curanda Mania parum vel nihil valent, ſed malum potius exaſperant, cantharidum quippe ſales cauſtici, per poros in ſanguinem delati, maiorem neruoſis membranis et ipſi quoque durae matri, ſtimulum impingendo, ſanguinis craſſi et bilioſi per caput, et vniuerſum corpus, motum, ſpaſtica ſtrictura inducta, augent, cum potius medicamenta, quae conſtrictiones neruoſarum partium demulcendi, effraenumque humorum motum refraenandi vi pollent, in vſum vocari debeant.* Non minus MEAD [f]) *illis*, ait, *quae morbum minuunt adnumeranda forſan videbuntur emplaſtra veſicatoria, capiti admota; quae tamen nimia irritatione nocere potius, quam iuuare, ſaepe deprehendi. In longo morbo veſicatoria interdum proficiunt.* Quicunque igitur in praxi duces ſibi eligere voluerit BAGLIVVM, HOFFMANNVM, MEADIVM, abſtinebit potius a veſicatoriis, quam ea LOCHERI ſuaſu in vſum vocabit, licet fortetum, quando vaſa fuere vacuefacta, et pulſus eapropter debilis redditus, minus noceant, quando non proſunt. Id certum eſt, ob immenſum muſculorum robur, quo vtplurimum Maniaci pollent, magnum momentum curationis poſitum eſſe, in exceſſu virium harum debilitando. Hic ſcopus, vt purgationibus, ita et VSibus iteratis, quae ab omnibus Practicis commendantur, quibus vel ſolus Ruſticus apud PLATERVM [g])

d) p. 654.

e) Med. Syſt. Tom. IV. P. IV. p. 225.

f) Monit. med. p. 52.

g) Obſerv. lib. I. p. 80.

 multos

multos ſanauit, ſatis impetratur. Neque pro eo obtinendo, opus eſt VESICANTIBVS, quae nec irritando nec euacuando debilitant, namque parum liquidi detrahitur eorum ope, quod euacuationum per aluum et ſectas venas reſpectu vix conſiderari meretur. Longe etiam magis reuellunt euacuationes hae, quam haec emplaſtra, quae nequaquam conueniunt plethorae, aetati floridae, robori, ſuetis excretionibus ſanguinis ſuppreſſis, pulſui magno et pleno. Haec phoenomena volunt circulum refraenatum, et raptum ſanguinis a capite verſus inferiores partes corporis determinatum; ſed cantharides, quibus male demandaretur reuellendi prouincia, manifeſte contrarium praeſtant. Prorſus deinde cum harum ſtimulo non conſentiunt, quae tamen ipſe ſimul in vſum vocari vult LOCHER, ab omnibus bonis Medicis etiam valde commendata; ſerum lactis, blanda decocta demulcentia et emulſiua, nitroſa, acida, diacodiata. Stimulus hic etiam alio reſpectu abſolute inutilis eſt, et damnoſus. Mania eſt delirium ſine febre, veſicantia autem applicata quo largiora, eo certius efficiunt et accendunt febrem, an ergo volumus ex delirio ſine febre facere delirium cum febre? an morbum chronicum vertere volumus in acutum? Coaceruatio ſanguinis in meningibus, et oppilatio vaſorum eius, in omnibus maniacis adeſt, nil ergo deeſt quam celerior motus, vt procreetur rabies ſumma, vel et ipſa phrenitis. Nemo medentum in Mania non laudat Nitrum, cui HOFFMANNVS data opera multa elogia ſcripſit; quando nunc hoc polychreſtum remedium, eo monente, ad eradicandam Maniam praeſtantiſſimum eſt, quia acrimoniam bilioſam humorum temperat, et effraenes ſolidorum motus placando, immoderatum feruorem ſiſtit, quomodo cum his indicationibus, quas vere explet, conueniet vno eodemque tempore adhibitum Veſicatorium, quod exacte *iis* contrariatur, et prorſus contrarios effectus patrat? *Quid dicam de aceto, quod ſummum remedium eſſe in Mania,* cum

volu-

voluptate expertus eſt LOCHER.[h]), qui catalogum aegrorum eo ſolo ſanatorum, conſtantemque rationis vſum aſſecutorum, exhibet. Quomodo autem cum eo ſtare poteſt vſus cantharidum, ipſi in actione e diametro contrariantium? Vellemuſne ea eodem vſus tempore capiti admouere, affluxumque humorum, quem ab illo VSibus, purgantibus, pediluuiis auerſum volumus, iterum aduocare et allicere? Apage! magis conueniet, MEADIO[i]) ſuaſore, miſſis veſicantibus, Veterum more, caput ad cutem tondere, deinde aceto, in quo roſarum flores aut haederae terreſtris folia infuſa ſunt, frequenter fouere, et madefacere.

h) *p. 65. 66. 67. 68.*

i) *p. 55.*

Laudat pro interno vſu deſtillatum acetum Celeb. ROSE'N[k]) per duos vel tres menſes, applicatis ſimul crebro veſicantibus. Fateor, non bene capio eodem tempore adhibitum remedium refrigerans, et calefaciens, temperans et excitans; antorgaſticum et orgaſticum, ſopiens et irritans; quanquam bene intelligam Reuulſionem veſicatoriis commiſſam voluiſſe. Virum eximium. Multis modis autem ab his excitatae praeualent repetita balnea, antiquitati medicae in ſananda Mania, per repetitas experientias adeo magni facta; his enim, relaxato omni corporis ambitu, blanditer a capite humorum affluxus auertitur. Id vero efficacius praeſtatur, quando in balneo tepido ſedenti maniaco, in caput infunditur aqua frigida vel pannus aqua frigida madidus capiti imponitur.[l]) Si haec methodus valde rationalis, et repetitis experientiis per Secula probata, Maniacis conferat, rerum naturae repugnat, veſicatoria aeque conducere poſſe, maxime autem, eorum applicationem ad caput, vel in nucha ſaniori therapiae neutiquam reſpondere, clarum redditur.

k) *Haus- und Reiſe-Apotheke p. 74.*

l) *Vide egregiam explicationem apud Hoffm. M. S. Tom. IV. P. IV. c. 8. pag. 209. ſeq. Frigidae applicationem ad caput fructuoſam eſſe, variis exemplis probat van Swieten in Comm. ad aph. 1127. Celſus lib. I. c. 6. iam monuit, nil aeque prodeſſe capiti, quam aquam frigidam.*

Oportet omnino, vt in medium adhuc producam camphoram, quam in Mania clari Viri ſpecificam habent. Camphora, praemiſſis praemittendis, penitus ſanitati reſtituit Mania-

m) *Commerc. litt. Norimb. anno 1734. hebd. 4.*

n) *p. 62. ſeq.*

o) *l. c.*

p) *Vid. Hoffmanni diſſ. de vſu camphorae interno ſecuriſſimo et praeſtantiſſimo. §. 6. et 10.*

cum Nob. Dominus *de* BERGER[m]), in eo vero momentum praecipuum curationis poſitum dicit, vt ſufficiente doſi et diu ſatis vſurpetur. Mixtura ſua camphorata felicem annuatim ſe non paucos reſtituiſſe ſtultos refert modo laudatus LOCHER[n]). Nil dicit, de Veſicantibus ſimul vſurpatis, quae vſui iungit camphorae ROSEN[o]). Si vero ſine illis reſtituti fuerint, cur iis eſſet opus? Nollem dum camphorae vires in hoc morbo lubens agnoſco, ipſe de iis conuictus, proſperos effectus adſcribere virtuti eius refrigeranti, de qua iuuenis immaturum libellum conſcripſi, quem HOFFMANNVS Praeceptor praefatione in publicum comitari tum dignatus eſt. Id autem verum eſt, quod ob ſummam particularum ſuarum tenuitatem, et volatilem indolem, qua corpus ſubito peruadit et mox per tranſpirationem exhalat, et in auras abit, illum calorem et aeſtum, minime concitet, quem inducunt ſales volatiles, olea deſtillata aetherea, balſama, gummi reſinae, et alia aromatica, [p]) quae ea doſi larga, qua camphora fertur a Maniacis, non ſine manifeſto damno exhiberentur, namque ad ſcrupulum dimidium, vnam drachmam dimidiam ſaepe exhibita fuit. Interim tamen notatu dignum eſt, quod, per experientiam Clar. LOCHERI, camphora ſola ſubacta ad drachmam dimidiam, cum pineis, nequaquam in curatione Maniacorum eas vires exererit, quam Mixtura camphorata, quae acetum ſimul recipiebat. Igitur hac obſeruatione commotus, dedit his aegris ſolum acetum ſimplex vel deſtillatum; laetusque vidit pulchrum eius effectum, quem integro catalogo ſanatorum adſcripto comprobat. Clarum ex his redditur, ſola vere refrigerantia, omnibus irritantibus calidis, et minus etiam aliis calefacienti minusque irritanti camphorae, longe praeferenda eſſe, vixque eapropter irritantiſſimas ac vrentes cantharides, catalogum remediorum anti-maniacorum merito ſuo poſſe ingredi.

Vnum

Vnum adhuc habeo, quod afferam, quodque ſerio penſitari meretur. Multiplici experientia conſtat, ob vehementius exardeſcentem, interdumque male ſanum et vetitum amorem, atque coeundi pruriens deſiderium, mares et foemellas, mente perpetuis cogitationibus, circa obiectum expetitum verſantibus, occupata, inſomniisque adeo imagines voluptuoſas et laſciuas repraeſentantibus, eluſa, vt in priapiſmum et furorem vterinum, ita et in his cognatam Maniam delabi.[q] Notum eſt infelix, quod toties male ceſſit conſilium, remedia cantharides habentia interne aſſumendi, pro ſtimulanda languente vel et incitanda vltra naturae vires venere. Deliret nunc Maniacus ex affectu in venerem accenſo, eodemque vratur noctes atque dies, applicentur eius corpori veſicantia, nonne oeſtrum amoris et ſalacitatis augebunt, ergo et delirium? Verum eſt, mitius agent cantharides extus admotae quam deglutitae, interim reſorptiae earum atomi ad interiora delatae eadem ratione agent. Sique puluis interne aſſumtus languidam venerem excitet, extus admotus iam exorbitantem fortius accendere non intermittet.

Superſunt vincula et verbera, quibus ſubinde Maniaci excipiuntur, vt ſaniorem mentem acquirant. Rectiſſime vero notauit IVNCKERVS[r]), his leuiter delirantes celeriter maiorem Maniam incurrere. Atque Clar. LOCHER[s]), *Sunt quidem Autores*, inquit, *qui in Mania et Melancholia, etiam verberibus locum concedunt, vt magis coerceantur, et poſt caſtigationem ex profunda ſua imaginatione et delirio reſuſcitentur.* Refert ſimul, dum incepit agere Phyſicum Noſocomii, ſaepe ſtrenue percuſſos eſſe miſeros, ita vt cauſticis et veſicatoriis non opus habuerint, ſed magis inſanientes eos redditos eſſe, quare deinde ſerio cuncta verbera inhibuerit. Si ergo verbera efficiant, vt carere queamus veſicatoriis, detur neceſſario inter vtraque quaedam analogia et in agendo ſimilitudo, neceſſe

q) *vid. Bartholinus Cent. II. hiſt. 69. Valeriola lib. II. obſ. 7. Foreſtus lib. X. obſ. 29. 30. Platerus lib. I. Prax. c. 3. Act. Nat. Cur. dec. II. anno 10. obſ. 126. Dec. III. anno 9. obſ. 17. vnde eſt, quod nonnulli glorientur ſe caſtratione maniacos ſanitati reſtituiſſe, cuius methodi eos pudere debeat, monente Pitcarnio Elem. Med. lib. II. c. 6. p. 127.*

r) *Conſp. Med. Tab. 122. p 929.*

s) *p. 73.*

neceſſe eſt, ita quidem vt illa his, haec illis ſubſtitui queant. Quodſi itaque nil boni praeſtiterint et malum auxerint verbera, nil boni etiam praeſtabunt dolores et plagae, illatae a veſicatoriis.

Egi hactenus de Mania in robuſtis, a copia ſanguinis, motuque eius aucto et raptu ad caput, quandoque ob excretiones ſolemnes ſanguinis ſuppreſſas oriunda, in qua crabrones cantharidibus nulla ratione irritari debere, conuictus ſum, ne in ſummum furorem agantur aegri. Abſtinui ab his in tota mea Praxi, nullis aliis remediis, niſi VSibus repetitis, hirudinibus pone aures, purgantibus antiphlogiſticis, balneis, pediluuiis, nitro largo, aceto, ſyrupis horaeorum, multis fructibus horaeis, interdum camphora cum nitro, capitiluuiis frigidis, raſo antea capite aut poſca huic applicata, vſus ſum, cum fructu non poenitendo, niſi agnati vndiquaque conſilia captantes, et arripientes, diuturno morbo neceſſariam diuturnam medelam interturbauerint.

* * *

Delirium illud furioſum, quod Mania vocatur, non raro ortum ſuum habet a Melancholia, a qua gradu differt. Igitur ex iisdem cauſis Mania enata, nempe ab humoribus atrabilariis, indicatis remediis curatur. Cel. FORSTEN[r]) ob cantharidum proprietates ſtimulantes, deriuantes, ſoluentes, veſicatoria commendanda eſſe dicit, in illa Melancholiae ſpecie, quae atrabilaria vocatur, vt et quando ſpiſſitudo ſanguinis nimia peccat, vt difficilior reddatur eius motus per vaſa, variae naſcantur oppletiones, et partium infarctiones, aliaque peſſima mala, quae diſſoluentia et ſtimulantia indicant. Fateor ingenue, me vix vnquam, aut vllibi, cantharidum vires ad atrae bilis ſolutionem valere, vel audiuiſſe, vel legiſſe. Omnes eruditi Medici dare tenentur, neminem Autorum de atra bilis indole, deque eius ſolutione et euacuatione adeo ſolide et eleganter

r) p. 17.

ganter ſcripſiſſe, quam Ill. BOERHAAVIVM, eius itaque explicationem et praecepta, antequam cantharides hoc fine adhibendae vel reiiciantur, vel probentur, in ſubſidium vocare, operae pretium erit. Si in toto ſanguine mobiliora diſſipata reliquerint immobiliora vnita, tum ille erit craſſus, ater, pinguis, terreſtris. Ei vero nomen dabitur humoris atrabilarii vel ſucci melancholici. u) Contra hunc cibi dandi liquidi, blandi, vi leni ſaponacea laxantes, medicamenta diluentia, vaſa laxantia, leni ſtimulo expellentia, ſucci horaeorum, mellita olera, iuſcula talia, aquae minerales, potus mellitus. v) Solis fructibus horaeis furentiſſimi Maniaci ſanati, notante *van* SWIETEN. w) Comparemus cum blandiſſima ſaponacea vi fructuum horaeorum, ſanguinem, ſine praeternaturali indole ipſi inducta, ſoluente, cantharides; totam eius craſin peruertentes, et corrumpentes. Omnes Maniaci, qui illis ſanari poſſunt, his deteriores redduntur, ſine dubio et perduntur. Peior morbus fit, ſi per ſtimulantia valida tentatur materia, quae tum acris fit et tenera vaſa hepatica deſtruit. x) Ipſa haec materia fixata et compacta ex ſua indole acris tandem mora, ſtagnatione et calore fit et rodens. y) Eaproptar BOERHAAVIVS y) remedia commendat, quae ſine acrimonia diluunt, ſoluunt, abſtergunt. z) Si medicamentis acribus, valide mouentibus, venenis ſimili actione laedentibus, mouetur materia, tum acrior mobilis, et iam agens reddita, bilis atra turgens vocata, vaſa ſua rumpit, peſſimosque et infinitos morbos creat. a) Iam dicta haec omnia applicemus cantharidibus, an valido earum et vrente ſtimulo tentare materiam, eamque acrem reddere vellemus, quando talis nondum eſt, aut ſi iam ex ſua natura facta ſit acris et rodens, eam acerrimam et rodentiſſam reddere vellemus et turgentem, vt eo certius, et citius vaſa erodat? *Omnia, quae motum augent, et calorem in corpore,* inquit *van* SWIETEN b), *aptiſſima ſunt, vt in motum ſubito agant atram bilem.* Nonne veſicantia pertinent inter praecipua,

u) *Boerh. aph.* 1092.

v) *aph.* 1097.

w) *in Comm. ad hunc aph.*

x) *Boerh. aph.* 1100.

y) *aph.* 1102.

z) *aph.* 1103.

a) *aph.* 1104.

b) *in Commentario in hunc aph.*

pua, motum et calorem augentia? Sed mota bilis atra turgens, inter miſerabiles effectus, quos patrat vbicumque impegerit, gangraenas ſubito lethales atque eroſionem gangraenoſam omnibus viſceribus abdominalibus inferre apta eſt. Veſicantia autem non ſemel, praecipue dyſcraſia humorum praevia, dum ipſa humoribus diſpoſitionem ad alcaleſcentiam conciliant, loco cui admota ſunt gangraenam intulerunt, et alcaleſcentiam totius maſſae peiorem reddiderunt. An ergo commoda remedia erunt, pro ſoluenda atra bile, eaque praecipue, quae mota turget, et acrimonia eminente laborat? Non bene ergo commendantur ad eius ſolutionem, itaque prorſus abeſſe debent, a curatione Melancholiae et Maniae atrabilariae. Equidem RIVERIVS [c]), cauſticum tibiae ſiniſtrae inuſtum, ab humoribus excrementitiis lienem, aliaque viſcera repurgare, ideoque non omittendum eſſe, dicit. Nollem hoc conſilium trahere ad veſicantia, ob rationes dictas, cui et hoc adhuc refragatur, quod vlcera ſic excitata, ad vias non pertineant, per quae atra bilis eliminatur. Saepe curationem attulit ſcabies foeda, varix numeroſa, tumentum valde haemorrhoidum fluxus, atrae bilis per ſuperiora et inferiora reiectio. Optime ſoluta et liquata materia viſceribus oneroſa blandis ſaponaceis et ad aluum determinatur. Habet equidem Cl. WHYTT [d]) Virum 60. et vltra annorum, melancholico-Maniacum ſinapiſmis pedibus applicatis, adiuuari viſum, ſed ille laborarat antea podagra, qua ad pollices pedum determinata reſipiſcebat. Breue tamen erat et euanidum leuamen, nam denuo incidebat in immedicabilem furorem. Deinde adhuc in fine libri ſiſtitur in notis Foemina melancholica, cui veſicans capiti admotum, imminuiſſe corruptam phantaſiam, et aliquot noctes ſomnum reduxiſſe dicitur, ſed breuis erat haec in melius mutatio; ſecta ergo Vena cum fructu, atque poſtea repetita VS. ſemper in ſimili caſu ipſi maiores fructus adtuliſſe, notatur, quam omnia alia remedia.

c) *Prax. med. lib. XII. c. 5. p. 336.*

d) *von Nervenkrankheiten p. 237. 238.*

Quae

Quae ſine materia eſt, vt Melancholia ita et Mania, a cauſis moralibus, et animi pathematibus oriunda, moralibus pharmacis, maxime mentem ab obiecto, quod perpetuo cogitat, auocando, eandemque quantum poſſibile eſt conſolando, excitando, et exhilarando ſanatur, blandisque ſedantibus, et neruinis roborantibus, non ruditer ſtimulantibus.

Mania a debilitate, per longas febres euacuationesque ſanguineas et ſeroſas prognata, ſolis replentibus analepticis, cardiacis, roborantibus curatur.

§. VIII.

Ophthalmia.

Deducor abſolutis his morbis capitis generalioribus ad eius aegritudines magis locales, inter quas primo agere ſuſcipiam de *Ophthalmia.* Communis fere Practicorum eſt ſententia, quam habet Cl. FORSTEN[a]), In ophthalmia curanda, vix vnquam omittendam eſſe vim veſicatoriorum medicatricem. Ita ſane ſtatuunt fere omnes, hac ſaltem differentia, vt aliqui ad eorum applicationem mox ſuborto morbo conuolent, alii autem non ſine deliberatione et praemiſſis praemittendis ea in vſum vocari debere moneant. Veſicatoria in hoc affectu vtiliſſima eſſe, tum poſteriori parti ceruicis, tum pone aures admota RIVERIVS affirmat[b]). PITCARNIVS[c]) VSes equidem laudat, et purgantia vult, tamen vt interea veſicatoria nuchae impoſita vſurpentur, curandumque eſſe, ne cuticula rurſus inducatur, praecipit, Vix dici poſſe affirmat, quantum in hoc affectu auxilii afferant Veſicatoria et ſetacea. Inter obſeruationes medico-chirurgicas Cel. HEISTERI[d]), prima puerum 4. annorum ſiſtit, vehementi inflammatione vtriusque oculi laborantem, per 8. dies nullis remediis leuatum, cuius raſo capiti in vertice veſicatorium magnitudinis thaleri veſperi applicatum, altero mane magnum leuamen attulerit. Hoc remedium, cuius virtutem iuuenis didicerat HEISTERVS, ſe deinde in praxi ſua ſaepe ſe adhibuiſſe refert.

a) *p. 181.*

b) *Prax. lib. II. c. 8. p. 207.*

c) *Elem Med. lib. II. c. 9. §. 10.*

d) *Mediciniſche chirurgiſche und anatomiſche Wahrnehmungen. Roſlock 1753. No. 1.*

Graues

Graues inflammationes oculorum non ſine larga VSe curabiles eſſe dicit PRINGLE [e]), niſi reuulſio a parte dolente praeſtetur, ſine factis euacuationibus, ex toto corpore; Hunc in finem cum fructu Veſicatoria poſt aures applicari, vult, per duos vel tres dies relinquenda, vlceribus deinde apertis et fluentibus ſeruatis. Praefert tamen veſicantibus hirudines, ſub orbita oculi vel prope canthum externum oculi admotas, vulneribus per aliquot horas deinde humectis ſeruatis: atque poſtea immemor paulo ante ſperatae reuulſionis a Veſicatorio, ſine euacuationibus, refert ſe cum hirudinibus VSem in brachio, vel iugulo, purgantia, et veſicatoria adhibuiſſe. Cel. PLATNER [f]), ſi phlegmone oculum teneat, et ſymptomata vrgeant, commendat VSem in iugulo et talo, purgantia, clyſmata, cucurbitulas ſcarificatas in occipite et tergo, pediluuia, palpebrarum ſcarifationes, topica aduerſus inflammationem, et tum demum dicit: *Si corpus plenum laxumque eſt, cantharides etiam vtiliter adhibentur.* Cel. *de* HAEN [g]), poſtquam de externis oculo admouendis locutus erat, vix vero inquit haec omnia grauiores inflammationes tollunt, niſi ſimul purgatio antiphlogiſtica potenter revellat, quo cum maxime etiam facit, aut in nucha veſicans, aut pone aures emplaſtrum ex emplaſtro veſicatorio et meliloto compoſitum. Miror, de VSe hic eſſe altum ſilentium. Ill. STÖRCK [h]) VSem, ſi opus repetitam, purgantia, topica conuenientia, potulenta tenuia laudat, ſique non ſtatim mutatio in melius eueniat, veſicantia nuchae, vel pone aures applicari vult, non omiſſis cucurbitulis. HOFFMANNVS [i]), ſi mali origo a ſanguinis redundantia, venam in brachio pede iugulo aperiendam, ſcarifationes in nucha et pone aures adhibendas vult additque cautus, ſetacea et veſicatoria non facile applicanda in plethoricis, niſi ſoluta prius plethora et aluo ſubducta. Veſicatoria autem tum in locis ſenſibilioribus in nucha, olecrano et carpis manuum admoueri vult. De olecrano et carpis manuum allegati

e) *von den Krankheiten einer Armée p. 157.*

f) *in Chirurgia §. 505.*

g) *Rat. Med. Tom. IX. pag. 243.*

h) *Unterricht I, p. 82.*

i) *Med. Syſt. Tom. IV. part. I. p. 525.*

gati modo Autores tacent, omnes fere veſicantibus locum aſſignant pone aures, vel in nucha, quod et faciunt WEDELIVS et TEICHMEYERVS[k]).

k) *in diſſertationibus de ophthalmia.*

* * *

Verum et illi, me iudice, audiendi ſunt, qui remotioribus plagis ea apponere malunt. Prouocare mihi hic denuo liceat, quod alia occaſione iam feci, ad WEPFERVM[l]) quando inquit: *Veſicatoria loco diſtantiori applicata praeſtantius reuellunt quam vicino affixa, nam haec attrahunt potius, et dolorem augent.* Omnes interea Practici, ſiue nuchae, ſiue pone aures applicentur, nullo alio quam reuellendi fine illa applicant. Bene dum de Ophthalmia agit, mea ſententia, iudicat IVNCKERVS[m]), in dolore impetuoſo inquiens, magis inferioribus partibus illa applicare conuenit, ſi vero pone aures, vt vulgo moris eſt, applicentur, malum ſaepius augent, reuulſio enim princeps punctum, in hoc negotio inuoluit. Illuſtrat ſuum aſſertum exemplo pueri, qui per aliquot menſes contumaci ophthalmia laborauerat, medicamentis ordinariis cedere renuente, quum improuidus ambuſtionem in pede inſignem acciperet, hoc inflammato eodem die ab ophthalmia liberabatur. Conſentit prorſus HOFFMANNVS[n]), veſicatoria in ophthalmia egregii vſus eſſe aiens, ſimulque teſtatus quod, vt obſeruauerit, in nucha non adeo conducant, ſed potius dolor inde augeatur, cum contra pedibus admota illum leuent, ſimulac humor ſtillare incipiat. Quanquam vero, vt in antecedentibus vidimus, cum olecrano et carpo, nucham applicationi etiam deſtinet, videntur tamen eius aſſerta de pedibus rerum naturae melius et exactius reſpondere. Scilicet ſi nuchae et pone aures applicetur veſicans, irritatio et dolor non poterunt non ciere maiorem affluxum, et augere celeritatem ſanguinis humorumque motorum per carotides externas. Iam vero ab harum ramificationibus palpebrae et adnata tunica ſuas arte-

l) *obſ. 34. p. 78.*

m) *Conſp. Med. Tab. 15. p. 209. 105.*

n) *diſſ. de Veſicatoriis. §. 10.*

rias accipiunt, ergo veſicans neceſſario etiam attrahet humores, ad ipſum oculum, a quo tamen illos optima intentione auerſos volumus. Quo magis ergo corpus ſanguine turget, quo magis ſenſibile eſt et mobile, quoque inſuper celerior circulatio iam adfuerit, quo magis VSes, aluum laxantia, pediluuia aliaque remedia, quae praemitti volunt ſagaciores Practici applicationi Veſicantium, neglecta fuerunt aut inſufficienter adminiſtrata, eo magis, loco ſperati boni effectus, malum augebitur, tantum abeſt vt minuatur. Namque licet quaedam quantitas humorum ab oculo ad illam partem ipſi propriorem, cui impoſitum eſt veſicatorium, alliciatur, ſicque reuellatur ab illo, aucto tamen per veſicatorium circulo et affluxu, ſtatim ob viciniam loci alia quantitas eorum ad illum iterum ruet, maiorique forte copia, quam ante impoſitum veſicatorium. Praeſtant ergo in his caſibus pro reuulſione veſicantia diſſitis locis applicata, quibus tamen ſaepe praeferenda omnia illa reuellentia, quae dum reuellunt, non ſimul circulum intendere apta ſunt, et inter reuellendum non attrahunt. *Vidi ipſe* plus ſimplici vice, in hominibus ſucci plenis, plethoricis, in iuuenili aut conſiſtente aetate conſtitutis, in qua congeſtio ſanguinis ad caput familiaris eſt, ophthalmiam grauiorem a Veſicantibus nuchae et poſt aures applicatis neutiquam leuatam, ſed peiorem redditam. Sane ſal acre cantharidum, quod illi mederi debebat, affluxum auertendo, humoribus ſeſe inſinuans, vt aucto circuitu quaquauerſum, ita et ad oculum laborantem defertur, ibique irritatione ſua dolorem ingraueſcere facit. Siniſtros effectus, valere iuſſis veſicantibus, correxerunt VS. pediluuia, cucurbitulae ſcarificatae, hirudines, purgationes antiphlogiſticae repetitae, cum collyriis lenientibus et refrigerantibus. Celebris Ophthalmiater *de St.* YVES°) in ſumma inflammatione oculi, chemoſi dicta, inter VSes *repetitas* et purgantia ſtatim ſimul ſatis largum Veſicatorium *inter ſcapulas* applicat. Nonne vero haec molimina inter ſe pugnant? Nonne

°) *von Augenkrankheiten Part. II, c. 6. art. 9.*

Nonne latum veſicatorium contraria ſua actione tollit omne bonum, quod ſecundum rationales indicationes VSes et alvum mouentia praeſtiterant?

Niſi omnia me fallunt, iuſtis limitibus eapropter circumſcribi debet vſus veſicantium in ophthalmiae medela, quoque illa vehementior eſt, eo tardius, mea ſententia, ad illa deueniendum. Merentur expendi ſerio, quae de iis ſcripſit Cel. ALBINVS p): *In oculorum vitiis promptius quod ſuadeant vix habent remedium, quam Veſicatoria, in hoc ſaltem diſcrepant, cuinam loco id commodiſſime imponatur; adeo popularis hic error eſt, vt ſi diſſuaſeris, alto ſupercilio contemtus irridearis, et vix reſponſione dignus cenſearis, vnde tot praeiudicia orta, vt mille etiam extempore opponant exempla, vbi tamen vel ſponte vel aliis remediis ceſſit morbus, alto interim ſilentio premunt, vbi nil effecere.* A ſale acri deinde humoribus miſto, per ſe inflammanti, nil aliud expectandum dicit, quam vt nuchae admotum veſicatorium oculi inflammationem augeat. SYDENHAMVS certe VSibus et purgationibus, collyrio et ſyr. de meconio ſingulis noctibus exhibito, curationem ſine aliorum ſuppetiis abſolui affirmat, vix aliter niſi expertus. In ophthalmia poſt morbillos ſuperſtite annotauit MORTON q), veſicatoria nil valere, vtut communiter adhiberi ſoleant, ſed potius orgaſmum ſpirituum efferatum et ſanguinis feruorem adaugere. Notabilis eſt obſeruatio, quam ſuppeditat RIDLEVS r) *de ophthalmia contumaci in Iuuene.* Adhibita erat VS. repetita, et purgatio, verum incaſſum; adhuc vrgente membranae adnatae, et palpebrarum inflammatione, adhibebatur collyrium cum vitriolo albo et deinde cataplaſma, interea etiam veſicatoria ampla inter ſcapulas, et emplaſtra intercipientia ad tempora applicabantur, ſucceſſu quidem nequaquam adhuc feliciore. Sub horum vſu per aliquot dies, nequicquam cedebat

p) *diſſ. de cantharidibus theſi 16. p. 24.*

q) *Operum Tom. III. p. 39.*

r) *in obſ. de aſthmate et hydrophobia obſ. 14.*

bat morbus, inflammatione etiam iam alterum oculum, pari atrocia petente, accedenteque praeter dolorem vtriusque oculi viſus diminutione. Tandem atrociſſimum malum repetita catharſi deuictum et viſus acies ſimul reſtituta. En ophthalmiam grauem manifeſte in peius mutatam a Veſicatoriis! Quam reuulſio a purgantibus praeualet reuulſioni his commiſſae! An vero vitio vertemus Ill. BOERHAAVIO[s]), quando in huius mali medela prorſus a veſicantibus dehortatur? Agnoſcit Vir ſapientiſſimus neceſſitatem deriuantium vel reuellentium, emplaſtrum de galbano, cum aequa parte emplaſtri de meliloto mixtum poplitibus et plantis applicari vult, ſub quo continuo ſudor excitetur. Si haec non ſatis trahant, violentius agendum eſſe praecipit, ita tamen, vt cutis non laceretur et tunc allium contuſum cum fermento panis cataplaſmatis inſtar calide admoueri iubet locis vaſculoſis, hoc eousque trahere dicit vt cutem leniter inflammet. Nunc autem pergit: *Omnes fere Medici hic applicant veſicatoria ex cantharidibus confecta, verum dubii euentus ſunt. Quatenus locum exulcerant, iuuant egregie, et ſi ſtatim hoc fit, tunc aegrum ſanare poſſunt. Sed quatenus partes ſanguini intermiſcendo agunt* (addam, quatenus omnem circuitum ſanguinis, quem moderari debemus, accelerant) *malum oculorum, inflammationem augent.* Primum auxilium in maiori inflammatione, quando rubor et dolor ingens vrget, miſſionem ſanguinis larga copia factam et repetitam eſſe docet, ne ſuppuratio ſequatur, ad quintam adeo vel ſeptimam vicem, donec inflammatio ſubſtiterit, quod fieri ſcimus, quando oculus et facies poſt Venaeſectionem pallent. Alibi [t]) *Si in ophthalmia*, inquit, *tam diu ſanguis educatur, donec oculus albeſcere incipiat, vnica Venaeſectione quandoque inflammatio curata eſt*, minor Venaeſectio ſemper motum adauget, cuius tamen imminutionem volumus. Alterum auxilium *Boerhaavii* eſt fortis purgatio alui, ſtatim poſt Venaeſectionem inſtituta, cuius operatione abſoluta morbum plerumque remittere aſſeritur.

s) *de morbis oculorum, de ophthalmia* §. 58.

t) *in Comm. proprio in aphoriſmum* 45.

ritur. Binae hae generoſae reuulſiones multis modis praeferendae ſunt reuulſioni a Veſicantibus. Saepe ſaepius ego benedixi pientiſſimis manibus genioque ſalutifero Viri ſummi, quando felix haec eius praecepta ſecutus ſum in ophthalmiae medela, in qua toties veſicantibus non indigui poſt ſufficientes euacuationes et inter vſum internorum lenientium, diluentium, refrigerantium, collyrium ſaturninum ſubfrigide clauſo oculo applicans, vel tepidulum ex vncia vna aquae roſarum et ſacchari ſaturni et ſalis ammoniaci aa. grano vnico compoſitum, aperto et diducto ad aliquot guttulas inſtillans. Memoratu dignum eſt, Cel. HEISTERVM, qui, vt in antecedentibus retuli, veſicatorium in vertice magnum ophthalmiae remedium a ſe Iuuene obſeruatum, deinde in praxi ſaepius ex ſuo conſilio adhibitum dicit [u]), tamen in multis caſibus conſignatis id non conſuluiſſe, ſed alia pharmaca propoſuiſſe [v]).

u) *Medicin. Chirurgiſche Wahrnehm. No. I.*
v) *No. 266. 267. 355. 580. 656.*

❋ ❋ ❋

Rationi interim et experientiae conſentaneus eſt vſus Veſicantium in *Ophthalmia humida ſeroſa*, vel Epiphora, quae eſt catarrhus oculi, diuturna maxime et aliis remediis rebelli, eaque propter mire laudantur a FORESTO [w]), et RIVERIO [x]) qui pro reuulſione parti poſteriori ceruicis ea apponi vult. In fluxionibus vulgo dictis ad oculos irruentibus veſicantia ceruici applicata eſſe ſpecifica, ſeſe ſaepius miratum eſſe ſcribit BAGLIVVS [y]). HOFFMANNVS [z]) Veſicatoria inquit eximiam operam praeſtare ſolent, in acribus, ſalſis et calidis oculorum defluxionibus. Et alibi [a]) fuſius mentem ſuam ſic explicat: Si veſicatoria neceſſaria, ea ſemel tantum apponere non ſufficit, ſed ſaepius in locis ſenſibiloribus, vt nucha, olecrano, carpis manuum applicanda. Hinc praefertur ſetaceum, cui tamen, quia moleſtum et doloroſum nimis, nos anteponimus Veſicatorium temperatum, minus groſſi magnitudine, per menſem et longius in nucha geſtatum. Rurſum alio loco [b]) in lippitudine

w) *lib. I. obſ. 2.*
x) *Operum p. 223.*
y) *diſſ. de Veſicantibus operum p. 658.*
z) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 208.*
a) *Tom. IV. part. I. ſect. II. c. XI. p. 526.*
b) *Med. Syſt. Tom. IV. part. IV. p. 137.*

ne ſetaceis fonticulis veſicatoriis praefert temperatum veſicatorium in nucha. Longe vero efficacius et fortius procedendum vult PLATNERVS [c]); cuius praecepta propriis verbis adducere aequum iudico. Maximum aduerſus lippitudinem auxilium eſt in cantharidibus; parum vero proficiunt, ſi minora emplaſtra nuchae iniiciantur puſtulaeque inciſae mox effuſo humore ſiccentur, longe magis opportuna emplaſtro ſedes eſt inter ſcapulas, cui loco illud et quidem maius ac valentius imponitur. Paulo enim aſperiore dolore, quo cutis ſic vellitur, malae materiae curſus ab oculo auertitur. Vlcera etiam, quae ſic aduſta cuticula fiunt, haud prorſus ſiccare ſed impoſitis pinguibus mollientibusque diu, et quandoque per menſem tolerare pusque quantum poteſt mouere oportet. Si etiam haec vlcera nihilominus arida fiunt, expeditiſſimum eſt linimento paucas cantharides adiicere, et illud loco inducere. Si his malum leuatum, non vero oculo ex toto ſanitas reſtituta eſt, expedit quandoque iterum ad hoc auxilium venire, priori etiam vlcere nondum percurato, cantharides ſurae iniicere et in hac quoque pus commouere. Quam multum inter ſe differt conſilium Hoffmannianum et Platnerianum! quam lene illud, quam forte et vrgens hoc! FORSTEN [d]), quanquam primo generaliter in ophthalmia multum dediſſet veſicantibus, pergit tamen deinde: Maxime autem conducunt in catarrhoſa rheumatica aliaque ſimili, ad nucham, et pone aures vel ad tempora et ſatis diu aperta ſeruata, tum et in epiphora ad ſerum eliciendum. Omnes laudati egregii Viri volunt reuulſionem, quanquam de loco, cui admouendum eſt veſicatorium, vel de locis, quibus admouenda ſunt veſicatoria, diuerſimode ſentiant. Hanc autem reuulſionem melius et certius praeſtari, ſi locis remotioribus, quam oculo vicinis, haec emplaſtra imponuntur, ex antea paſſim a me commemoratis liquido conſtare debet. A capite auocandum eſt ſerum acre, non ad id alliciendum. Mentem Cel. *de St.* YVES non bene intelligo. De cura-

c) *inſtit. Chirurg.* §. 297.

d) *pag.* 181.

curatione ophthalmiae humidae agens [e]); haec verba habet: *Interdum cogimur adhibere ſetaceum, cauterium vel emplaſtrum veſicatorium ad tempus: Quod veſicatoria attinet, licet etiam parum incommodi renibus et veſicae inſerant, omittenda ſunt, et alia remedia vſurpanda.* De certa ſecuritate renum et veſicae ingens numerus Obſeruatorum, qui talia damna annotarunt, non reſponderet. Cautio autem de omittendis nihilominus veſicantibus magis mihi videtur applicari debere ophthalmiae inflammatoriae, in qua tamen Clariſſimus Vir illa admiſerat et vrſerat. In humida ſine dubio, ſi forte non proſint, tamen etiam minus noxia erunt, quam in illa. E diametro autem ipſi contrariatur ANTOINE [f]), qui quidem primo in genere in Ophthalmia veſicatoria ante et poſt aures applicari vult, tamen ſimul addit, ea praecipue multum prodeſſe in Ophthalmia humida, quando humores ipſas palpebras et ambitum oculi obſident. Dum ſaepe praeſente Epiphora ſerum, largiſſima copia ex glandula lachrymali et minoribus meibomianis depluens, oculum quaſi inundat, non poteſt non medentibus in mentem venire indicatio, illud aliorſum diuertendum eſſe, cumque veſicatorio admoto ſerum ſub eo collectum effluat et ſic euacuetur, aptiſſima et euacuandi et reuellendi fine ipſis videri haec methodus. Multi autem eorum non perpendunt, per purgantia et diuretica, ſine quibus ſimul in vſum vocatis veſicatorium vix iuuat, longe maiorem copiam ſeri diuerti ab oculo, adeoque his eius catarrhum multo efficacius minui debere, ergo duplicium horum remediorum effectus citra controuerſiam valde praepollere effectibus veſicatorii. Quando deinde ſerum ex oculo effluens ſaepe eſt acerrimum, ita vt palpebras et loca vicina erodat et inflammet, ſique eius quaedam quantitas collecta in minutulo vaſculo, vel exſiccatione vel leni euaporatione, ſal rodentiſſimum et ſumme cauſticum poſt ſe relinquit. Igitur quo maior epiphorae iunctus eſt rubor et ardor, quoque magis humor ex oculo fluens rodens eſt

e) *de Maladies des Yeux Part. II. c. VI. art. 1.*

f) *von Augenkrankheiten p. 539.*

et mordax, eo cautius mercandum eſſe cum Veſicatorio vel emplaſtris talibus pluribus, vltro, opinor, perſpicitur, quoniam, ſal rodens et cauſticum ſeſe maſſae humorum inſinuans horum rodentem acrimoniam auget. Vix tum locum habebit conſilium optimi Praeceptoris PLATNERI, de maiori et violentiori emplaſtro veſicante inter ſcapulas applicando, de aſperiore dolore excitando deque repetita applicatione ad ſuras, de cantharidibus linimento adiiciendis pro apertis ſeruandis vlceribus. Praeſtat locum, cui non vltra ſex vel 8. horas admotum eſt veſicatorium, apertum ſeruare ex eius praecepto pinguibus mollientibus meoque iudicio vnguentis digeſtiuis, paulo quidem acrioribus ſi opus, talibus tamen quae nequaquam, vt cantharides, inficere et deturpare humores per vaſa fluentes queunt. Omnibus aegris, qui epiphora grauiore effluxu calidioris et acrioris ſeri moleſta laborant, ſtrictior tenenda diaeta imperat, vt ab omni victu acido, ſalſo, aromatico, ab omnibus potulentis ſpirituoſis, calefacientibns ſollicite ſibi caueant; therapia ipſis commendat collyria leniter adſtringentia ſimulque lenientia mollia, demulcentia mucilaginoſa pro minuenda ſeri, quod oculus continuo plorat, acrimonia. Quomodo autem cum his et diaeta modo expoſita conueniret veſicantium, largiorque praecipue puluereque cantharidum adiecto eminentiore adhuc vi agentium, vſus? Laborarat per aliquot ſeptimanas foemina [g]) ophthalmia grauiſſima cum rubore et palpebrarum agglutinatione, aliis incaſſum adhibitis datum purgans, propoſitum fuit Veſicatorium, renuente aegra adhibitum collyrium cum ſubitaneo adiumento, vt nullis aliis praeſidiis opus eſſet. Ophthalmiam chronicam cum defluxione ſanauit BAVERVS [h]) intra 4 hebdomadas, datis ſingulis 8. diebus laxantibus ☿alibus et applicatione cucurbitularum, his ſolis ſine veſicantibus aegra conualuit. Multoties ego obſeruaui in mea Praxi, aegris epiphora contumaci laborantibus diarrhoeam quotidianam, Electuario lenitiuo, addito fortiore ſtimulo ex jalappa, vel *pilulis* balſa-

micis

g) *Thonerus libr. II. obſ. p. 116.*

h) *Act. phyſ. med. Nat. Cur. Vol. III. obſ. 67.*

micis reſina jalappae et mercurio dulci armatis, motam, cum collyrio leniente et paulisper adſtringente ſine veſicantibus deſideratam opem attuliſſe. Profuit etiam quandoque haec methodus illis, qui fruſtra veſicantia admiſerant. Nolo tamen proinde haec inutilia declarare, ſi dextre et prudenter in vſum vocentur.

§. IX.

Cataracta.

Sequatur nunc conſideratio *Cataractae.* Quanquam autem non deſint, qui per adhibita medicamenta, ſiue interna ſiue externa ſuſceptam eius curationem inutilem et ſuperuacaneam habeant; affirmat tamen Cel. HEISTERVS[a]), fuiſſe, qui vel natura vel arte, praeſertim ſi adhuc incipiens fuerit, praeter ſpem fuerint liberati, teſtibus antiquis et recentioribus Autoribus. Dum vero hic Chirurgum tantum agit, Medicis remedia determinanda relinquit.

RIVERIVS[b]), de ſuffuſione tractans, medelam ponit in totius corporis euacuatione, humoris peccantis reuulſione et oculi corroboratione. Pro his ſcopis varia remedia proponit, tandem reliquis nil proficientibus inunctionem mercurialem commendat, ad *Fonſecam*, *Schenckium* et *Alexandrium Petonium* prouocans. Toto equidem capite nil habet de Veſicantibus, at vero curationem, quam tradit ad cataractam praemittendam, vult totam illam curationem, quam pro gutta ſerena tradidit. In huius autem explicatione expreſſis verbis dicit[c]): *In ea deſperata, poſtquam omnia remedia fruſtra vſurpata ſunt, ad veſicatorium toti capiti raſo apponendum veniri debere, etiam bis aut ter, quod multum aliquando profuerit.* De generoſa hac applicatione prorſus tacuit BAGLIVVS[d]), interim in ſuffuſione veſicantia ceruici applicata, tanquam ſpecifica ad miraculum declarat. Illuſtr. BOERHAAVIVS[e]) incipientes cataractas nec confirmatas tolli poſſe, vt omnes ſtatuerint, concedit hosque ſequens medicamenta propoſita

a) *inſtit. chirurg. Part. II. Sect. II. c. 55. p. 692.*

b) *Med. Pr. lib. II. c. 4.*

c) *lib. I. c. 1. p. 198.*

d) *Operum p. 658.*

e) *de morbis oculorum cap. de cataracta.*

reuo-

poſita reuocat ad externa, ad interna, deinde ad auxilia manus, quae iam ad me non ſpectant. Externa, quae omnia acria ſunt, oculo admota non penetrare per corneam monet, quae ſi penetrarent, eam rumperent et exulcerarent. Inter externa haec poterat Vir inſignis referre veſicantia, ſed de his tacet prorſus. Quoad interna agnoſcit vim purgantium et ſudoriferorum pro impedienda mali naſcentis generatione, factam autem cataractam ſolui poſſe negat, deque multis aliis medicamentis modice ſentiendum eſſe affirmat, vno mercurio excepto, ad ſaliuationem vsque adeo exhibito, vel in turpetho minerali cum puluere ſternutatorio *), cui tamen praefert mercurium dulcem, paruula copia cum ſacharo pro puluere ſternutatorio naribus attracto omni mane. Cel. PLATNERVS[ee]) in metu ſuffuſionis inter alia ſelecta conſilia vtile eſſe dicit, cutim exulcerari vel cantharidibus, vel fonticulis, vel ſetaceo, vt malae materiae exitus fiat; ſi aliud vitium in humidis eſt, quo nomine ſine dubio intelligit venereum, decocta et medicamenta ex mercurio iis purgandis apta commendat, de errhinis pulueribus mercurio acuatis omnibus ſubiectis conuenientibus tacens. Cl. FORSTEN[f]) tandem cantharides in auertenda cataracta primarium pharmacum conſtituere aſſerit.

ee) *in inſtit. chirurg. §. 1311.*

f) *p. 181.*

Facile clarum eſt vnicuiuis, qui fabricam lentis cryſtallinae eiusque pelluciditatem intelligit, ſi haec iam turbari incipiat, nubecula in papilla omnium conſpectui ſeſe offerente, veſicatoria nil auxilii adferre. Vnicum bonum in principio principii formationis cataractae, quod tale emplaſtrum praeſtare aptum eſt, in eo conſiſtit, vt humores craſſos denſos immeabiles, ad caput et oculos malo habitu fluentes, qui tandem lentis adeo pulchre transparentis lamellas pellucidas vaſculoſas ſenſim obſtruerent, obſcurarent, indurarent, mature diuertat et reuel-

*) *Turpetho minerali vt ptarmicum exhibito, foemina Pariſiis declamatos ſanaſſe dicitur referente Boerhaauio in chemia Tom. II. p. 428.*

reuellat. Hoc ipſum vero aeque praeſtant, cum VSe et cucurbitis, aluum laxantia et diuretica, inter quae ſuccus millepedum merito laudatur. Ipſeque mercurius, naribus attractus penetrare ad partem affectam aptus, reſoluendo viſcidum obſtruens, plus, valet, quam multa veſicantia, etiam toti capiti raſo admota, humores magis allicientia, quam auertentia. Qui alias virtutes quam reuellentes, ſi nempe locis remotioribus applicentur, ipſis tribueret, falleretur inſigniter, et ſalſos iocos in ſerio hoc morbo Cl. ALBINI mereretur, qui formari iam pergentem et cofirmatam cataractam veſicante impediri tollique poſſe, fruſtra ſibi imaginaretur. *Veſicatorium auferret cataractam*, inquit ALBINVS[g]), *ſi illam immediate contingeret. Sed nuchae impoſitum aut ſal acre ſanguinem et humores ſufficienter inficere, aut partes interiacentes peruadere et hinc demum vi ſuā eſcharotica cataractam auferre debet; ſed vndenam huic ſali illa prudentia, vt, aliis illaeſis, ſciat, ſe huic medelae eſſe deſtinatum?*

g) *diſſert. de cantharidibus.*

Nunc vero inquiſitione dignum eſt, *an, poſt Operationem Cataractae, admouere homini Veſicantia expediat.* Eo tunc vnice allaborandum eſt, vt, ſi cataracta non extracta ſed depreſſa fuerit, lens haud ſurſum iterum moueatur et inflammatio caueatur. Eapropter paucis poſt operationem horis laudant VSem pene omnes, non aeque Veſicantia. HEISTERVS[h]) autem, vbi paulo grauior inflammatio inciderit, neceſſarium eſſe dicit, praeter VSem et alia medicamenta, quae commendat, cantharides adhibere. Non aliter ANTOINE, ſi inflammatio poſt operationem accedat, affluxu auertendo VSem in brachio et iugulo, hirudines ad tempora, veſicatoria poſt aures laudat. Celebris Ophthalmiater *de St.* YVES[i]), poſt cataractam depoſitam, de applicando veſicante tacet, vt et PLATNERVS[k]), qui, vt inflammatio praepediatur, tantum linimentum

h) *Chirurg. Part II. Sect. II. c. 55. p. 612.*

i) *von Augenkrankheiten Part II. c. 20.*

k) *Chirurg. §. 1318.*

tum commendat, et ſi huius maior metus, ſanguinem mitti iubet. Non deſunt ergo, qui Veſicantia, ſi ea non reformident, tamen non abſolute neceſſaria, pro auertenda et curanda inflammatione, cenſent. Quid de iis mihi videatur, ſatis explicaui, cum in antecedentibus de Ophthalmia agerem. Ante tres et quod excurrit annos, Vratislauiae per aliquod tempus commorabatur Celebris quidam Ophthalmiater, qui non paucis cataracta laborantibus, lentem non ſupprimendo, ſed dextre inciſa cornea, extrahendo, opem ferebat. Nil in operatione deſiderari patiebatur, quam prompte et feliciter exercebat et abſoluebat. Sine exceptione omnibus, ea peracta, poſt ſectam Venam, ſtatim applicabat veſicatorium largiſſimum, intra ſcapulas, atque poſtquam hoc ſat diu impoſitum, tandem remotum erat, accedebat Chirurgus famulus, qui plagae fere quotidie puluerem cantharidum inſpergebat, vt per aliquot dies plaga aperta ſeruaretur. Facile concipitur, miſeros, erectos et ſupinos dorſo incumbere iuſſos, non mediocres dolores, et grauia incommoda inde experiri debuiſſe. Audiui eapropter in meis aedibus Vetulam, poſt operationem ſatis felice, innoctes atque dies inter lachrymas, a quibus, ſincere a me monita, ſibi temperare nequibat, eiulantem. Cum rationem ſufficientem huius torturae introſpicere nequirem, namque per tantum ſtimulum dolorificum, febrem et inflammationem potius accerſeri, quam praecaueri debere credebam, petii, vt emplaſtro remoto, et molli vnguento plagae per totum dorſum extenſae appoſito, finis miſeriis imponeretur, culpam omnem in me ſuſcipiens, ſi mali quippiam inde eueniret, quod tamen neutiquam factum. Recordabar inſuper bene, antea aliorum Ophthalmiatrorum manibus cataractarum operationes feliciter ſucceſſiſſe, ſine vlla applicatione veſicantium, Venaeſectione adminiſtrata, et regimine legitimo bene obſeruato.

§. X.

§. X.

Accedo ad *Amauroſin*, coecitatem, quae in oculo, ſano apparente, nil praeternaturale adſpicienti exhibet, niſi ſagaciori, dilatatam nimis et contrahi neſciam pupillam. Cauſa vitii huius haerere poteſt in retina, neruo optico, medulla thalamorum opticorum, cortice cerebri compreſſis. Non loquor hic Amauroſin, ſymptoma perpetuum apoplexiae, aut febrium acutarum, inflammatoriarum, comatoſarum, affectuum capitis, morbis his ſanatis ceſſans, nec ab exoſtoſi comprimente neruum pendens. Illam hic praecipue contemplor, quae a vaſculorum, per membranas neruum cingentes reptantium, oppletione et infarctu, quibus pulpa nerui comprimitur, fluxusque ſubtiliſſimi fluidi ad retinam intercipitur et impeditur, originem ſuam trahit. Hac morbi aetiologia ſtabilita, vltro adſtipulabimur PITCARNIO[a]), quando curationem eius dependere dicit a remouenda ſtagnatione e ſummis arteriis, reptantibus in fundo oculi; quicquid nempe ex iis materiam viſcidam ſtagnantem depellit, id depellet quoque haerentem in quibusvis aliis cerebri arteriolis. Iam veniamus ad Veſicatoria. Amauroſi mederi poſſe eiusmodi emplaſtrum, ceruici appoſitum, cenſet RIVERIVS[b]), maxime ſi veſiculae excitatae diu apertae ſeruentur, betae aut braſſicae foliis frequenter admotis, cauſtico deinde applicato, aut ſetaceo, de quo conqueritur, quod noſtrorum hominum mollities vſum aboleuerit. Laudatus modo PITCARNIVS[c]), generoſis remediis propoſitis, de quibus in ſequentibus, non tamen negligi vult ſetacea et veſicatoria. HEISTERVS[d]) in remediorum catalogo, poſt VSem, ſetacea quidem habet, et fonticulos, illos praecipue, qui in capite et ceruice excitantur, de veſicatoriis tacens. Cel. Ophthalmiater YVESIVS[e]) omnia ad paralyſin facientia remedia et hic proficua eſſe dicit, ceruici ſetaceum aut Veſicatorium applicandum vult, cauteria, quod miror, nimis ſegnia declarans. E diametro ipſi contrariatur HOFFMANNVS[f]), nem-

Amauroſis.

a) *Elem. Med. lib. II. c. 12.*

b) *Operum p. 187.*

c) *loc. c.*

d) *Chirurg. p. 602.*

e) *p. 322. edit. germ.*

f) *Med. Syſt. Tom IV. pag. 118.*

nempe magnum praeſidium poſitum eſſe dicit, in cauterio actuali, ſyncipiti vel nuchae admoto, cui etiam ſubſtitui poſſit ſetaceum. Si quid ſperandum auxilii, id ſane a tali remedio in hoc affectu, longe certius, quam a veſicatoriis, vel fonticulis, obtineri credit. BOERHAAVIVS[g]), dum Amauroſin exponit, eiusque medelam, altum de his et illis, vt et de cauteriis, tenet ſilentium. PLATNERVS[h]) interea ferramentis candentibus ſummum caput exulcerandum vult, et cutim poſt aurem, atque vtiliter etiam, ſi homini nulla febris eſt, cantharides admoueri, ceruici et tergo, ſcribit. In Amauroſi, ſiue gutta ſerena, prodeſſe poteſt veſicatorii vſus, inquit Clar. FORSTEN[i]), vbi ex metaſtaſi ortum traxerit morbus; nec inepte adhibentur, vbi infarcta nimis oculorum vaſa, neruos comprimendo, alioue modo hunc morbum produxerint. Cel. WEPFERVS[k]) veſicatoria, vt in ophthalmia, ita et in gutta ſerena, feliciſſimo ſucceſſu adhiberi ſcribit[l]), atque per ea et ſetaceum, foeminam, et alium aegrum, a ſe ſanatum memorat[m]) et adhuc alii Viro eadem ſuaſit[n]), quorum tamen effectus, quales fuerint, non adiicitur. TVLPIVS[o]) amauroſin, malum difficillime ſanabile, in foemina tolli non potuiſſe refert, niſi per remedia valentiſſima, in quibus excelluere ampla veſicatoria, internis femoribus admota. Horum ope retractum tam potenter fuiſſe ſanguinem ſurſum vergentem dicit, vt recuperata gratiſſimi luminis vſura, euaſerit feliciter aegra perniciosiſſimam illam coecitatem, quam plerique Medicorum iudicauerant habere certam deſperationem. His teſtimoniis interim non obſtantibus, Amauroſin, forte quia raro ſanatur, ſimpliciter immedicabilem declarat ANTOINE[p]), ſimul aſſerens, ſi forte Autores glorientur de ea perſanata, facile clarum eſſe, quod ſeſe ipſos deceperint, humorisque vitrei auctam molem, aut nyctalopyam, pro amauroſi habuerint, quia hi morbi facile inter ſe inuicem, niſi accuratum iudicium acceſſerit, confundi queant. Aeque incredulus eos ridet, qui

g) *de morbis oculorum.*
h) *Chirurg. §. 1322.*
i) *p. 180.*
k) *de morbis capitis.*
l) *obſ. 150. pag. 703.*
m) *obſ. 180. et 181.*
n) *obſ. 182.*
o) *obſ. lib. I. c. 10.*
p) *p. 479.*

qui veſicantibus aliquid tribuunt, ALBINVS[q]), *Sal canthari-dum*, inquiens, *in gutta ſerena neruum opticum, vel interiora oculi ſubire debet, vt illud obſtaculum auferat, quod ibidem haeret; ſed vnde tantam anatomiae acquiſiuit notitiam, vt reliquis multo tenerioribus intactis, huc properet? forſan illis cum ſale cantharidum tacitum pactum intercedit, vt ſciant, a quo loco ad partem affectam viae ſint breuiſſimae et minus ſalebroſae.* Doleatis mecum, Lectores mei, tantum diſſenſum Virorum Celebratiſſimorum, quoad poſſibilitatem medelae guttae ſerenae et quoad vſum, vel magnum, vel inanem veſicantium. Si ſerio eius natura et eius ſedes conſideretur, difficillimam eſſe ſanationem a veſicatorio, facile conſpicitur. Vltro fatetur HEISTERVS[r]), in Iuuene 19. annorum amauroſi laborante, vt alia remedia, ita et veſicantia et ſetaceum, nil profuiſſe. Reuulſio non agit, niſi in liquida per vaſa mota, quae ſtimulo ab oculo laborante aliorſum determinari queunt, non in illa, quae minutiſſimis vaſculis impacta ſunt, niſi ponatur vniuerſa humorum maſſa, ſale cantharidum ea ſtimulare apto, imbuta, quod tunc in affecta parte infauſtos effectus produceret. Videtur ergo Veſicatorium, naſcenti morbo aliquid detrahere poſſe, non vero aeque iam natum, multo minus adultum tollere.

q) *diſſ. de cantharidibus §. 6.*

r) *medicinisch chirurgische Wahrnehm. No. 459.*

* * *

Maiorem ſine omni dubio potentiam in medela guttae ſerenae prae veſicantibus, poſſidet et exerit Mercurius. Equidem, vt vires machinae electricae, ita et mercurium ſublimatum, ſpem deſtituiſſe, obſeruauit *de* HAEN[s]). Recenſet tamen idem egregius Autor, amauroſin in ileo, curato hoc morbo euanidam[t]). Datus fuit aegro mercurius, qui eum ſex diebus ventre continuit, deinde ſenſim eliminatus per aluum fuit, an aliquid virium transmiſit in humorum maſſam? Viperam ſane ipſum vocauit alicubi BOERHAAVIVS, quae

s) *rat. med. Tom. III. p. 248. ſeq.*

t) *Tom. XI. p. 186.*

in abditos et minutiſſimos canaliculorum meandros penetret. PITCARNIVS [u]) ſatis magnas doſes mercurii dulcis commendat, per 6 vel 7. dies, ſubiuncta purgatione et iterum mercurium totidem vicibus, ad ſaliuationem liberaliorem. Curationem eo difficiliorem eſſe, quo magis obſcuratus fuerit neruus, imo aliquando vix curabilem, affirmat BOERHAAVIVS [v]), et in tali caſu, bono aliquando tantum euentu, ſanare morbum vehementem ſaliuationem et mercurium naribus attractum. HOFFMANNVS [w]), ſi aliis remediis, quae proponit, cedere recuſet morbus, confugiendum ad lenem ſaliuationem praecipit, cuius ope nonnullos a coecitate graui ſanauit. Proſtant omnino obſeruationes guttae ſerenae, per ſaliuationem curatae; tales ſuppeditat VOGTIVS [x]) et HEISTERVS [y]), qui eam proinde in Chirurgia ſua commendat [z]). Incaſſum tamen etiam ipſam inſtituit apud Ill. Comitem *de* HATZFELD [a]) cuius eminenti familiae ego per 25. annos medicinam feci. Mihi quidem a multis annis in viſus debilitate, metuque ne exinde cataracta, vel amauroſis naſceretur, in more poſitum fuit praeſcribere pilulas ſic dictas edinburgenſes et reſinam illam errhinae facultatis, ex ligno guaiaco, quam laudat HOFFMANNVS [b]), cuius drachmae mercurii dulc. ſcrupulum dimidium admiſcui, bis ter de die parcula doſi naribus attrahendum, neque ſemper fruſtra. BARTHOLINVS [c]) certe, centurionis diuturnam coecitatem ptarmico mercuriali quotidie in vſum vocato ſanatam fuiſſe refert. GORTER [d]) amauroſin ptarmicis cephalicis, quae ex herbis et floribus ſic dictis neruinis componit, ſine mercurio, atque roborantibus reſolventibus fronti et capiti inſtar cucuphae applicatis, interdum curari dicit, de cantharidibus tacens. Ego ipſe, ante aliquot annos, amauroſin paſſus ſum, ſed, quae DEI erat gratia, tantum per aliquot minuta, naturae viribus cito ſanatam, relictis tamen ſat ingratis ſequelis. Laborabam catarrhalibus moleſtiis, coryza et deinde grauedine. Has non curans, ſub ven-

u) *Elem. Med. lib. II. c. 13.*
v) *de morbis oculorum §. 109.*
w) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. c. 4. p. 119.*
x) *in diſſ. de Amauroſi ſaliuatione curata Altdorff. 1713.*
y) *Mediciniſch. Wahrnehmung. No. 121.*
z) *vide eius Chirurgiam latinam p. 602.*
a) *obſ. 643.*
b) *in obſerv. phyſico chymicis lib. I. obſ. 21.*
c) *Epiſt. med. Cent. IV. epiſt. 92.*
d) *Chirurg. repurgat. §. 1093.*

ventoſo et pluuioſo Ioue aegros meos viſitabam. Prandebam apud Amicum, vno momento poſt ſuſurrum aurium et vertiginem, viſu deſtituor, ſedeo denſiſſimis tenebris et atra nocte circumfuſus. Extra me rapto, poſt aliquot minuta, nigrae trabes ante oculos verſantur, per quarum interſtitia obiecta diſtinguere incipio. Hae ſenſim abeunt in nigras maculas et nubeculas, perpetuo ante obiecta volitantes, quaquaverſum me verto. Secari facio venam et ſequenti die eius ſectionem repeto; ſumo purgans mercuriale; immitto pedes altius aquae tepidae; applico inter ſcapulas largum veſicatorium; perque aliquot dies plagam apertam conſeruo; deglutio reſolventiſſimas pilulas edinburgenſes; vtor ptarmico ex herbis aromaticis cum mercurio dulci; bibo potum theiformem ex rad. Valerianae et herbis neruinis et pro ordinario infuſum ligni ſaſſafras. Sed his omnibus ſat diu continuatis, ne tantillum quidem adiutus ſum, adſunt nebulae et maculae nigrae ad hunc diem, meque comitantur vbique, viſu interim plane eodem, vt ante inſultum mali fuerat, ſenexque grandaeuus lego ſat minutas literas, ſine ope perſpicilli, Deum quotidie pro hoc beneficio mihi praeſtito laudans.

§. XI.

Odontalgiae ſanandae toties proficua habentur veſicatoria, vt adeo ſaepe mulierculaium ſuaſu, vel temporibus, vel pone aures, applicentur. Multiplices ſane et diuerſiſſimae ſunt cauſae, quae dentium dolorem inducunt, neque ſemper adeo facile eſt determinatu, qualis praecipue accuſari debeat, atque an forte vna cum altera complicetur. Eapropter YOUNG [a] aſſerere non dubitat, ipſum Opium anodynorum ſummum, interdum iuuare, interdum non; interdum adeo malum peius reddere, neque praedici poſſe, an vtile futurum ſit, dari tamen caſus in quibus certo ſciatur, id ad eos nil valiturum; ob diuerſitatem itaque cauſarum methodorumque me- *Odontalgia.*

a) *de Opio ſect.* 28.

dendi

dendi incertudinem, vix dari morbum putat, qui magis inter Medicorum ſcandala referri debeat, quam Odontalgiam. Sane quod de Opio dicit YOUNG, id omne de Veſicantibus eodem iure dicendum eſt; minusque verum haberi debet, quod aſſeritur in *Miſcellaneis Nat. Cur.* [b]) et apud PARAEVM[c]), atrocem dentium dolorem prompte ſanare Veſicatoria. Iudaei cuiusdam experimentum eſſe refert IVNCKERVS[d]) veſicatoria, prope flexuram cubiti in latere affecto applicata; Vulgus allium huic flexurae applicare ſolere, ſimul memorans, cum praeſentaneo leuamine. Vix crederem, vel allium, vel veſicatorium omni Odontalgiae leuandae par futurum.

b) *Dec. II. anno V. p.* 313.

c) *lib. VI. c. 25. Chirurgiae.*

d) *in Conſpectu Medicinae Tab. XXV. p.* 216.

Quando in ſubiectis ſanguine turgidis a raptu huius verſus caput malum exoritur et fouetur, atque cingens radices dentium membrana, inflammatione profundiore, aut eryſipelate dolet, veſicatoria certo nocerent. Eapropter in corpore plethorico et febre acuta, ab iis abſtinendum eſſe monet HOFFMANNVS[e]). Liceat hic mihi prouocare ad TISSOTVM[f]), qui ſaepius obſeruauit, quando odontalgia correptae mulieres, Amicarum ſuaſu, pone aures, aut ad ceruicem, cantharides applicari curant, tolerabilem morbum in ſaeuam increuiſſe inflammationem, cum graui cephalalgia, VSe et refrigerantibus deinde curandam. Talis plethorica odontalgia ordinarie grauidarum eſt, quae VSe et orgaſmum temperantibus optime auſcultat, Veſicantibus autem exacerbaretur. Quantum autem detractio ſanguinis valeat, colligi poteſt ex Obſeruatione THONERI[g]), qui foeminam ab ingenti dolore dentium, VSe in pede, ad animi deliquium vsque inſtituta, ſubitaneum leuamentum perſenſiſſe refert, atque Virginem memorat[h]) complexionis ſanguineae, facie rubicanda, quae dolorem, per 6. hebdomadas crucianrem, paſſa, oleo caryophyllorum grauiorem redditam, multis aliis irritis, victum tandem gauiſa eſt, applicitis cucurbitulis ſcapulis, ceruici et ſupra vtrumque cubitum, praeuia ſcarificatione, quo ipſo innotuit, odontalgiam

e) *diſſ. de Veſicatoriis* §. 17.

f) *in Epiſtolis medico pract. p.* 288.

g) *p.* 114. *obſ.* 5.

h) *obſ.* 6.

giam illam a ſanguinis feruidioris et copioſioris affluxu ortam fuiſſe, vt recte adiicit laudatus THONERVS. Scitur ex anatomicis, arteriam cum neruo ſub aure, maxillam inferiorem ingredi et ſecundum eius longitudinem in omnium dentium inferiorum radices diſſeminari. Pone nunc membranas radicum inflammatas et applica pone aures Veſicatorium, nonne efficies, vt ſtimulo hoc alliciatur ſanguis maiori copia et celeritate in has membranulas? cuius tamen affluxum auertere et reuellere geſtis.

* * *

Quando vehemens dentium dolor rheumaticus eſt, non plethoricus et inflammatorius, ſine febre, a ſero catarrhoſo acri ſcorbutico oriundus, poſt purgationes et illa remedia, quae tranſpirationem promouent, poſſunt omnino prodeſſe veſicatoria, dorſo potius et brachiis, quam ceruici et pone aures applicata. FORSTEN [i]) ſine reſtrictione et diſtinctione cauſarum, ſcribit: *Saepiſſime pertinaces et moleſtiſſimos, dentium dolores applicatione veſicatorii non magni, poſt aurem dolentis lateris, ſublatos fuiſſe, ſaepe vidi, ipſumque nouit Vulgus.* In rheumatica et catarrhali odontalgia lubens vim veſicantium agnoſco, ſed in ſanguinea, plethorica, inflammatoria ea abſolute nocere debere, modo luculenter probaui. Cel. TISSOT [k]), ſi ab humore frigido catarrhali, pulſu non forti, non pleno, non frequente, dolor dentium pendeat, poſt purgantia, quae ſaepe ſanent, et ptiſanam ex lignis, veſicatoria commendat, nuchae vel pone aures applicata, vel aliis locis. Quando autem in ſanguineo et inflammatorio decocta lignorum et omnia calida pernicioſa eſſe affirmat, veſicatoria neceſſario etiam reiicere tenetur. Vnice ad eliciendum catarrhoſum ſerum in Odontalgia valere Veſicatoria innuit *de* GORTER [l]). Talis fuit ſine dubio illa, quae ranunculo nemoroſo recente, vel arido et ſpiritu Vini madefacto, inſtar

i) p. 180.

k) *avis au peuple Tom. II. p. 166.*

l) *Chirurg. repurg. §. 915.*

veſicatorii, loco aliquo carnoſi brachii, quod lateri dolenti reſpondet, applicato, curata eſt[m]), vt et illa, quae linimento ex 5. cantharidibus, tribus apicibus allii et theriaca flexurae cubiti, vbi vena tundi ſolet, affecti lateris appoſito, ceſſit.

m) *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Anno VII. obſ. 181.*

Quid vero ad carioſum dentem facerent Veſicatoria, qui ſaepe vera doloris cauſa eſt? In hoc caſu, monente HOFFMANNO[n]), cauterium omnia decantatiſſima etiam remedia ſuperat, quia funiculo illo nerueo, in quo doloris ſedes eſt, exuſto et putredine, ignis ope e dente ſublata, non ſaltem dolor penitus exſpirat, ſed et foetida caries prohibetur et dens ſeruatur. Peſſimam odontalgiam curari ferro ignito, per canulam adacto, dolore ſtatim ceſſante, etiam affirmat BOERHAAVIUS[o]), addit autem: ſi neruulus dolens hoc ferro attingatur, ſi enim in theca quadam oſſea recondatur et tangi non poſſit, nunquam auferetur dolor. Neque tamen ſub his conditionibus, cauteria potentialia ſua laude defraudanda ſunt. Fatetur Vir eximius, ſe celeberrimo illo remedio *Paracelſi* multas laudes acquiſiuiſſe, quando ſeueriſſimam odontalgiam eius ope ſanabat. Componitur id ex aceto acerrimo, rad. pyrethri, fol. hyoſciam. rad. tormentillae, camphora et opio. Id in loco dolente detentum, ſaepe per minutum, atrociſſimum dolorem tollit, quia neruos contorquet et ad ſenſum ineptos reddit. Idem aliquando facit camphora alcohole ſoluta, et oleum caryophillorum. Nobis in vſu eſt Tinctura odontalgica *Mynſichti*, ex ſimilibus ingredientibus, ad ductum *Paracelſi*, praeparata.

n) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. II. c. 9. p. 477.*

o) *in Comm. proprio ad aph. 229.*

Si dens carioſus in culpa haud fuerit, quod tamen plerumque accidit, ego multoties obſeruaui, VSem, aluum ducentia, pediluuia, emulſiones nitratas, diacodiatas et ad genas applicata cataplaſmata et fomenta emollientia, quae laxando fibras omnem dolorem leniunt, qualiſcunque vero etiam

iam eius cauſa fuerit, plus praeſtare, quam irritantia veſicantia, interdum etiam quando caries dentis ſimul aderat. Vires Magnetis ab annis 12. circiter depraedicari coeperunt, contra Odontalgiam a Cel. KLAERICH, Phyſico Göttingenſi. Is omnes a quacunque cauſa pendentes Odontalgias, fruſtra antea adhibitis VSe, purgantibus, pediluuiis, veſicantibus, ſpiritu vitrioli, oleo caryophyll., intra 3. vel 4 minuta per contactum magnetis et laborantis dentis, ita tamen, vt aeger verſus ſeptentrionem locatus ſit, ſe ſanaſſe et 54. hominibus plenarium leuamen attuliſſe refert [p]). Scio interim, hoc experimentum plus ſimplici vice fefelliſſe.

p) *vide Hamburger Zeitung 1765. No. 71. 72. von gelehrten Sachen.*

§. XII.

Morbi aurium.

Deferor ad *morbos aurium et vitia auditus*, refero ad haec tinnitum, ſuſurrumque aurium, auditum grauem, ſurditatem plenariam et otalgiam. Cel. WEPFERVS [a]), occaſione grauis auditus et tinnitus, Veſicatoria ſuaſit, quae ceruici, dorſo, carpis et poſt olecranum, humero applicita ſurditatem recentem et obauditionem etiam inueteratam mitigaſſe, vel ſuſtuliſſe, dicit, ſemel in menſe applicita, vel et citius. RIDLINVS [b]) puero, qui ab infantia ad 13. aetatis annum difficultate auditus vexatus fuerat, nil proficiente aqua acuſtica *Mindereri*, Veſicatoria poſt aures tanto cum fructu in vſum ducta fuiſſe ſcribit, vt ab illo tempore nil quicquam mali amplius ſenſerit. Remotiora autem a capite loca praefert HOFFMANNVS [c]), ſuris enim ea admoueri vult, quae in ſubiectis pituitoſis, vbi ſeroſa colluuies malum induxit, egregiae eſſe vtilitatis affirmat. Nolo conquirere aliorum Autorum elogia. Rectiſſime vero illis iuſtos limites ponens ſcribit Cl. FORSTEN [d]), in *nonnullis* aurium morbis ſanandis, Veſicatoria mereri laudes, in ſurditate et graui aditu, ex metaſtaſi aliqua, ex pituita tenaci, obſtruente vaſcula, ex nimia membranae tympani laxitate et flacciditate oriundo, in ſonitu, tin-

a) *de morbis capit. obſ. 186. 188.*

b) *lin. med. 1695. Ian. obſ. 25.*

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. IV. p. 157.*

d) *pag. 181.*

tinnitu et bombo aurium, ex materia morboſa hic depoſita. Spectant huc omnino omnes ſordes cutaneae repreſſae et retroactae, vel per admiſſionem frigoris, vel per malam adminiſtrationem exſiccantium et repellentium. Eapropter HOFFMANNVS [c]) in obauditione ab achoribus, tinea capitis, ſcabie, aliisque effloreſcentiis cutaneis, vlceribus praemature conſolidatis et exſiccatis, enata, cum pulueribus diaphoreticis, cui flores ſulphuris addendi, veſicatoria et fonticulos operae pretium facere, dicit. Reminiſcor pueri nobilis 8. annorum, in vtraque aure ſurdi, vt ne quidem maximarum in vicinia campanarum pulſum ſonumque perciperet. Adhibui repetita purgantia, vapores et iniectiones in meatum auditorium, reſoluentia interna varii generis, veſicatorium in nucha. Omnibus irritis, ſuſpicio mihi naſcebatur forte puſtularum, quae in capillata capitis parte ſeſe monſtrauerant, excretionem liberam, per aniculam, inunctione butyri, vel alia ratione, fuiſſe praepeditam, licet illa mihi interroganti ſemper renueret. Dedi nihilominus mane et veſperi largam doſin florum ſulphuris, qui plus praeſtiterunt, quam veſicans, namque breui poſt totum caput occupabat tinea, et auditus, qui antea acutiſſimus erat, prorſus reſtituebatur.

c) *l. c. p. 160.*

* * *

Noſo hic reticere, cauſam obauditionis et plenariae ſurditatis frequentius, quam vulgo creditur, fundari in cerumine inſpiſſato et gypſi lapidisque inſtar, interdum indurato, quod nullum veſicans poſt aurem applicatum diſſoluet et extrahet, meatum auditorium obſtruente et tympani membranam, vt gluten ſpiſſum obducente, ad quam adeo aëris vndulationes penetrare nequeunt. Ad hanc cauſam a multis annis ſtatim reſpexi, quando de graui auditu querelae ad me delatae ſunt. Diu legeram illam apud DUVERNEY [f]) et RIDLINVM [g]). Meminit eius quoque HOFFMANNVS [h]), tum

f) *de l'organe de l'ouie edit. germ. p. 135—138. 142. 143.*
g) *lin. med. 1696. p. 255.*
h) *Med. Syſt. l. c. p. 161.*

tum et *de* GORTER[i]). Memini Foeminae, quae ſat diu in dextra aure ſurdaſtra, ſiniſtra prorſus ſurda fuerat et varia remedia fruſtra adhibuerat. Forte vehemente laborabat coryza, qua durante, repetitis et fortiſſimis ſternutationibus fatigabatur. Dum hae ſummo impetu ſeſe excipiebant, ecce exilit ex aure ſiniſtra fruſtum lapideum, ſeminis citri figuram habens, quo excluſo magna voluptate deperditum auditum ſubito prorſus reſtitutum perſentit. Laudat DUVERNEY in eiusmodi caſibus iniectionem tepidam, decocti emollientis, hydromel, oleum lini, cum pauxillo ſpiritus Vini, oleum amygd. amararum, aquas minerales, aquam tepidam cum pauxillo ſpiritus Vini, maxime autem, fel animalium; quia vero cerumen interdum intra 14. dies vix emollitur, repetitam iniectionis operam commendat. HOFFMANNVS a nimio humectantium et oleoſorum vſu dehortatur, vaporemque ex pane calido recenter ex furno detracto et lac tepidum cremoremque lactis iniici vult. *De* GORTER liquores detergentes habet, omnino penetrantiores varios, ex melle roſarum et aqua hordei, addito pauxillo vini et felle tauri. Ego concinnaui miſturam, ex aqua maioranae, ſaluiae et vino, adieci pauxillum ſapon. venet. mellis, aloes et ſalis ammoniaci, atque hac ter quater de die iniecta, fomentis externis, cum ſpongia auri admotis, vaporibusque emollientibus, in illam immiſſis ſimul adhibitis, aliquoties voto felix potitus ſum, magnamque gratiam, praecipue apud Virum, in eminente dignitate eccleſiaſtica conſtitutum, inii. Redeam autem iterum ad Veſicatoria, quae extra illos caſus, quos antea determinaui, vix aliquid efficere poſſe, certum eſt. Dantur nempe eheu, ſi vel ſolus BOERHAAVII inſtitutiones euoluere voluerimus[k]), grauis et deperditi auditus cauſae in ipſo Organo adeo multiplices et adeo ſonticae, vt iis enarratis ipſe adiecerit: *Vnde perſpicitur ratio difficilioris curationis, quae ſaepe eſt prorſus impoſſibilis.* Facilius omnino ſuccedit negotium, ſi illae tantum ad-

i) *Chirurg. repurg.* §. 990.

k) §. 850. 851. 852.

 ſint,

ſint, quas ediſſerui, aut hypochondriaca affectio, aut non-nulla vitia, quae correctionem patiuntur, membrana tympani rigidior, aut laxior, membrana, vel excreſcentia meatum auditorium obturans, obſtructio ductus euſtachiani etc. in quae arti aliqua poteſtas eſt.

* * *

Supereſt *Otalgia.* Si meatus auditorius, vere inflammatus fuerit, naſcitur dolor ſummus, ardens et pulſans, omnem patientiam vincens, ac eousque ſaepe increſcens, vt delirium accedat, 7. die necans, niſi haemorrhagia narium, vel puris euacuatio eueniat. VS. eademque repetita, purgationes antiphlogiſticae, remedia interna antiphlogiſtica et lenientia, pediluuia, fotus emollientiſſimi, cum eiusmodi iniectionibus tepidis in cauum auris, vnice proſunt et prodeſſe poſſunt, et in ſummo gradu mali, his praemiſſis, anodyna. Quis auderet crabrones certo certius irritatura, pone aures, vel nuchae, applicare veſicatoria, quae ab omni ſtatu inflammatorio, vbicunque haeſerit, longiſſime abeſſe debent? Turpiter *fallitur* IVNCKERVS[l]), quando aſſerit, Veſicatoria impetum doloris quidem placare et humores reuellere, (namque vtrumque impoſſibile eſt, maxime ſi pone aures admoueantur); adiicit tamen, *non raro ipſo um vſum pruritum et fluxum aurium ſequi, vnde non temere applicanda ſint.* Non capio, quomodo Cl. FORSTEN[m]) eadem in Otalgia ab inflammatione oriunda, locum habere ſtatuere potuerit. Sanguiſugae pone aures et cucurbitae ſcarificatae, in ceruice, cum ſpongiis calidis, quas *Aretaeus* iam laudauit, melius conueniunt. Rectiſſime HOFFMANNVS[n]) de illis tacet, tantumque, ſi, ſuppuratione nata, foetidi et purulenti humoris effluxus ſit copioſior, poſt aluum laxantia et pediluuia, veſicatoria ſuadet[o]), quae tamen, ſi illa adhibeantur, vt decet, atque depurantes balſamici liquores iniiciantur, non raro etiam abeſſe poterunt.

l) *Conſp. med. Tab. XXVI. p.* 228.

m) *p.* 182.

n) *Med. Syſt. Tom IV. Part. II. p.* 492. 493.

o) *p.* 494.

Si Otalgia ſit catarrhalis et rheumatica, vtique facio cum Cl. FORSTEN [p]), qui, vt iam monui, quando veſicatoria commendat, atque ſimul cum Cel. *de* GORTER [q]), qui, ſi humor acris catarrhoſus dolorem inferat, aurem eluendam lauamento molli, fotum anodynum adhibendum et veſicatoria ſcapulis applicari vult, vel et purgans adhiberi, vt materia aliorſum deriuetur. Ita quoque Cel. PLATNER [r]), in Otalgia inquit, ſine inflammatione, id quod frequenter cum catarrho incidit, et dolor vehemens ſit, auertendus eſt humorum aditus impoſitis ſupra proceſſus maſtoideos, cantharidibus.

p) *p. 182.*

q) *Chirurg. repurg. §. 984.*

r) *ars medendi §. 353.*

§. XIII.

Rheumatiſmus.

Venio ad *Rheumatiſmum*, cuius certe non vna facies eſt, quam ante oculos habere debet Medicus, illum curaturus. Illuſtris BOERHAAVIVS in vno eodemque aphoriſmo, quo medelam tradens, miſſionem ſanguinis, purgantia antiphlogiſtica repetita, balnea tepida, fomenta antiphlogiſtica, medicamenta ſummopere diluentia et emollientia proponit, his etiam adiungit Veſicatoria et quidem validiora, atque adeo cauteria. Eapropter incautis videri poterat, vt praecedentia illa omnia, ita et haec, Virum ſummum omni rheumatiſmo competere, iudicauiſſe. Mouit haec opinio ſine dubio Cel. FORSTEN [a]), vt ſcriberet: *In rheumaticis affectionibus calidis, ab omnibus fere Medicis hodie laudantur et applicantur veſicatoria, imprimis poſtquam ipſe* BOERHAAVIVS, *qui largiter illis coeteroquin fauiſſe non videtur, veſicatoria validiora commendauerit in rheumatiſmo. In rheumatiſmo frigido, ſeu chronico, vix carere Medicos iis poſſe, omnibus conſtat.* An autem eadem remedia, quando tamen axioma practicum perpetuae veritatis et perpetui valoris eſt: *Contraria contrariis tolli*, aeque quadrabunt ad calidum, et frigidum rheumatiſmum? Fateor ingenue, neque enim peccabo in ſacram BOERHAAVII memoriam, in tota tractatione de rheumati-

a) *p. 173.*

ſmo ſex aphoriſmis comprehenſa, a Viro ſummo non bene diſtinctas a ſe inuicem, propoſitas fuiſſe diuerſas rheumatiſmi ſpecies. Falleretur vero inſigniter, qui omnibus ſine diſcrimine, omnia denominata remedia congruere et apponi debere, ſtatuiſſe BOERHAAVIUM praeceps crederet. Certiſſimum potius eſt, eum in publicis praelectionibus, cuiuis ſpeciei ſua remedia accommodauiſſe et dextrum eorum vſum ab abuſu ſeiungendum, auditoribus ſuis clariſſime commonſtrauiſſe. Quomodo enim illa, quae alibi toties de vera operatione Veſicantium inculcare ſolitus eſt, quibus nullibi nimium fauit, quadrarent ad illius rheumatiſmi hiſtoriam, quam tradit aphoriſmo 1491? Hunc ibi antecedere dicit temperiem ſanguinolentam, labe acri infectam; aetatem maſculam; victum lautiorem; calefacto corpori ſubito admiſſum frigus; perſpirationem prohibitam; diatheſin inflammatoriam cruore pleuritico ſeſe manifeſtantem; atque incipere cum febre continua. Vna illa differentia, quam ſtatim in limine ſuae tractationis ſuppeditat TISSOT[b]), Rheumatiſmus vel febre ſtipatur, vel non ſtipatur; prior eſt morbus inflammatorius, quam violenta febris comitatur, vna haec inquam differentia monſtrat, non perinde rheumatiſmo febrili et non febrili deſtinari poſſe veſicantia. Qui bene diſtinguit, vt bene docet, ita et bene medetur. Datur nempe Rheumatiſmus acutus, ſanguineus, calidus, inflammatorius, febrilis, quandoque vniuerſalis. Datur ſine febre viſcidus, ſeroſus, ſcorbuticus, venereus, chronicus, vni interdum loco pertinaciter inhaerens. Vnicuique ſua propria ſunt remedia, vnicuique ſingularis debetur medendi methodus.

b) *avis au Peuple Tom I. p. 190.*

* * *

Sanguineum et inflammatorium quod attinet, praeſtantiſſimi Medici omnes, qui primo et optime de Rheumatiſmo ſcripſerunt, citati ab HOFFMANNO[c]), BALLONIVS, PISO,

c) *Med. Syſt. Tom. IV. Part II. p. 459.*

RIVE

RIVERIVS, BOTALLVS, quos alii egregii Viri ſecuti ſunt, praecipuum momentum curationis poſuerunt in repetita VSe. Morbus autem, qui hanc vult, ſine dubio excludit Veſicantia, quae penitus contrariantur effectibus VSis, tantumque ipſi malo addunt, quantum detraxerat VS., cum febrem ſuſtentent et augeant, quam haec debet minuere et tollere. Non mirum igitur eſt, quod tot praeclari Practici, qui hac repetita feliciter in medela ſanguinei rheumatiſmi vſi ſunt, de Veſicantibus prorſus taceant. SYDENHAM [d]) VSe curam auſpicatur, cumque ſanguis emiſſus pleuriticorum ſit ſimilis, eam ter, quater et pluries repetit, ſi opus, datis ſimul iulapiis refrigerantibus; aut loco VSis dat purgationes ex lenitiuis frequentiores, aut lactis ſerum ſine applicatione veſicantium. HOFFMANNVS [e]) in rheumatiſmo ſanguineo celerrimum praeſidium ponit in VSe, hacque vrgente neceſſitate repetita, quae plures intra quatriduum reſtituit; de veſicatoriis altum ſilentium. HVXHAM [f]) aegros multos rheumatiſmo cruciante tortos, vix ſine magno ſanguinis diſpendio leuari ſcribit. Si dolor acerbus repetitam adeo VSem eluſerit, deobſtruentia, diaphoretica, purgantia et anodyna, tandemque balneum frigidum ſuadet, non vrentia Veſicantia. PRINGLE [g]) calidum rheumatiſmum vnice repetitis et fere quotidianis Venaeſectionibus, donec ſine febre ſit aeger, et dolores vel leniti, vel prorſus ſublati, dolentibus locis hirudinibus admotis, curabilem dicit. Cumque linimenta ſpirituoſa volatilia, a quibus dehortatur, inflammare aſſueret, quomodo veſicantia commendare potuiſſet? TISSOT [h]) VSes reiteratas, adeo intra aliquot horas ſi opus; febre his mitigata, purgantia antiphlogiſtica, vapores emollientes, balnea laudat, nulla Veſicantia. III. BOERHAAVII Commentator, poſtquam omnium a Praeceptore propoſitorum remediorum, potiſſimum ad rheumatiſmum inflammatorium pertinentium, rectum vſum explicauerat, ad veſicatoria delatus, ea non reiicit, ſub

d) *operum p. 346. 402. 404. 405.*

e) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 438.*

f) *Operum Tom. I. p. 363. 364.*

g) *von Feldkrankheiten p. 171 -- 173.*

h) *avis au Peuple I. p. 194. ſeq.*

certis conditionibus, tamen non audet applicationem ratam habere praeſente febre. En notatu digniſſima propria eius

i) *in Comm. Tom. V. ad aph. 1493. p. 671.*

Verba:[i]) *Cum colluuie mucoſa tectae partes inuentae fuerint in cadaueribus Rheumaticorum; cum tumores quandoque naſcantur in Rheumaticis, quibus diſſectis ſimilis prodit materia ſatis lenta; cum licet morbus a febre incipiat, ſedata febre tamen ſaepe dolor augeatur, mirum non eſt, ſi a veſicatoriorum vſu curae ſpem magnam conceperint Medici in rheumatiſmo, ad ſedandos dolores; praecipue ſi febris iam ceſſaret penitus, vel ſaltem longe mitior tantum ſupereſſet.* Pergit dein: *Magnum a Veſicatoriis emolumentum vidi ſaepius*, ſed vt hoc aſſertum probet, caſum refert rheumatiſmi chronici, ſine febre a ſe tandem, multis aliis incaſſum actis, Veſicatorio curati, quem in poſterum meum faciam. Elegantiſſime morbi conditiones determinat Venerabilis STÖRCKIVS[k]), quae veſicatorium permittant et poſcant. Habet Rheumatiſmum leuiori febre ſtipatum, qui dum intra 2. vel tres dies deferbuit, raro opus habuerit, VSe taleſque fere omnes ſolo potu diluente, frictione et mixtura ſaponacea reſoluente curati ſunt.[l]) Aegris valida febre rheumatica decumbentibus, pulſu duro, pleno, forti, celeri, ſiti magna, ſanguinem miſit repetitis vicibus et antiphlogiſtica exhibuit, quae ſimul aluum mouerent.[m]) An inter horum vſum aliquis STÖRCKIVS applicauiſſet Veſicantia? Minime! ſcribit potius: *Saepe his ceſſit febris, cum omni dolore.* Pergit vero deinde: *Subinde autem, licet mitisſima facta fuerit, dolores non remiſerunt, neque iuuarunt fomenta, cataplaſmata, frictiones, vnde febre, ad iuſtum moderamen redacta, locis dolentibus latum veſicans appoſitum, quod quando incepit epidermidem eleuare, dolores vel penitus deleuit, vel multum imminuit*[n]). Nullum vnquam malum ſymptoma ex emplaſtro veſicante obſeruauit STÖRCKIVS, atque inde nullus fere in corpore locus fuit, ad quem id applicare non fuiſſet auſus, capiti raſo, maxillae inferiori, nuchae, ſpinae dorſi,

k) *Anno Medico II. p. 114.*

l) *pag. 130.*

m) *pag. 115.*

n) *pag. 122.*

dorſi, lumbis, ſcapulis, coſtis, humeris, coxendici, femoribus. Ranunculus magnum ſemper dolorem excitauit, licet per effluxum ſeri dolores penitus fuerint diſſipati, praeterea vlcus curatu difficilius fuit, quam factum a Veſicatorio. En temporibus valentem Medicinam! Atque quomodo in hoc rheumatiſmo, qui vniuerſalis ſaepe eſt, omnes pene corporis artus occupans, aut nunc hunc, nunc alium locum, carpos, humeros, genua, ſedem ſuam ſubinde mutans, veſicantium applicatio poſſet fieri? Ab omnibus ſine exceptione topicis, quae ſub ſpe diſcuſſionis humoris, partem obſidentis, applicari poterant, ne plus detrimenti quam emolumenti afferant, in rheumatiſmo ſanguineo dehortatur HOFFMANNVS [o]), et tantum moderato et aequali lecti et tegumentorum calore partes fouere iubet, dum TISSOTVS [p]), quando dolores intolerabiles nil quicquam applicari permittunt, vaporem tepidum ſimplicis aquae bullientis admiſſum magni facit. Quomodo ad haec conſilia attendentibus Veſicatoria vel per ſomnium in mentem venire poſſent!

o) *Med Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 443.*

p) *l. c. p. 196.*

* * *

Tranſeo ad Rheumatiſmum ſine febre. Talem ſi vnam partem corporis tantum occupet, ſi recens fuerit, et vel nulla prorſus febre ſtipetur, vel admodum leui, vna VSe et ſudorifero eſſe curabilem, monet PRINGLE [q]). Datur tamen etiam rheumatiſmus, qui prorſus nullam VSem vult, ſeroſus, viſcidus, frigidus et in hoc veſicatoria omnino locum ſuum habere poſſunt. Dari hoc debet Cl. FORSTEN [r]), quando, vt iam in antecedentibus retuli, inter omnes Medicos conſtare dicit, quod iis in eius curatione carere nequeant, (abſint autem a calido longiſſime!) Cel. HOFFMANNVS [s]) in rheumatiſmis, qui non a ſanguinis puri et conſiſtentis copia, ſed ſeroſi, impuri plenitudine et colluuie pendent, in corporibus praeſertim debilioribus, ſeroſae et phlegmaticae, frigidae conſtitu-

q) *von Feldkrankheiten p. 173.*

r) *p. 173.*

s) *Med. Syſt. Tom IV. Part. II. p. 440.*

ſtitutionis, cautiſſime mercandum eſſe cum ſanguinis miſſione, plusque damni inde quam auxilii expectandum eſſe, docet, diaphoreticis plus tribuens, et de Veſicantibus tacens. Suaſit tamen in rheumatiſmo, a refrigeratione dextrum capitis latus cum aure dextra occupante, et ad ſiniſtrum propagato, Veſicatorium toti capiti raſo applicandum, ſed more ſuo diaphoreticum, cum refracta cantharidum admixtarum doſi[t]). Hoc reſtitutus quidem auditus, dolor autem ad dextrum humerum, ex eo in eiusdem lateris regionem iſchii, poſtea in genu et pollicem pedis deſcendit, tandem ſolis diaphoreticis ſanatus. Scripſerat equidem antea[u]), in rheumatiſmo ſcapularum incipiente nil eſſe praeſtantius veſicatorio, inter ſcapulas poſito, quo nomine iterum ſuum temperatum intelligit, ſed addiderat, in plethoricis illi praeferendas eſſe cucurbitulas cum ſcarificatione. Miror, alibi ſcribere Ill. Virum[v]): *Si ſpiſſus immobilis et frigidus humor paulo altius et pertinacius, cum frigoris ſenſu partibus inſidet, frictionibus cum pannis aſperis et calidis ipſum euocandum, et deinde cucurbitas cum ſcarificatione applicandas eſſe*, atque hoc in caſu, vbi veſicantia vere indicantur, de iisdem tacere. HVXHAM[w]) interea, in rheumatiſmo, ab acri et ſeroſa colluuie pendente, magis obeſſe, quam prodeſſe largam ſanguinis detractionem monens, poſt diaphoretica et cathartica leniora, dolentibus locis fomenta, et mox deinde veſicatoria admouet. Nullus autem rheumatiſmus haec ſibi magis depoſcit, quam chronicus, maxime fruſtra iam in vſum vocato variorum remediorum apparatu; inueterato etiam, potiſſimum aliis irritis, ſua cauteria deſtinabant Veteres. SYDENHAMVS[x]) tamen, qui et in hoc, vbi altiores radices egerit, VSi, ſed longioribus interuallis celebrandae, locum relinquit, non Veſicans, ſed fontanellam in crurum alterutro excitatam, et ſpiritum aliquem volatilem mane et ſero ſumendum praecipit. BOERHAAVIVS[y]) foeminae, rheumatiſmo thoracis a refrigeratione cum aliis incom-

t) *l. c. p. 452. caſu II.*

u) *p. 448.*

v) *p. 44.*

w) *Operum Tom I. p. 364. 365.*

x) *operum p. 350.*

y) *in Conſultationibus I. No. 24.*

commodis laboranti, conſilium dedit, vt ſemel in menſe, triduo ante plenilunium, applicetur inter ſcapulas Veſicatorium, ex cantharidibus, relinquatur per horas 12. in loco, dein aperiatur, et cito ſanetur, id ita tribus menſibus ſucceſſiuis fiat. Alii foeminae[z]), inter alia mala, rheumatico dolore in capite, ceruice et brachio affectae, ſuaſit, vt poſt frictionem harum partium, ſemel in hebdomade brachio affecto veſicatorium applicetur, 12 horis ibi detineatur, plaga ſtatim conſolidetur, atque id ita repetatur, per 8. dies, in quartam vicem. PRINGLE[a]), experientiam ſuam allegans, rheumatiſmum chronicum ſine febre, modica quantitate ſanguinis per interualla detracta, et gummi guaiaco tractandum vult, frictiones, hirudines in locis dolentibus, aut linimentum volatile ſimul commendans et, quod mirum, de Veſicantibus tacens. TISSOT[b]), praemiſſa vna VSe, purgantia, ſaponacea, diaphoretica, externe emollientia conſulit, nulla veſicantia. Habent tamen illa omnino locum, in pertinaci rheumatiſmo vni loco infixo, et praecipue chronico, ſine febre. Sanauit Ill. *van* SWIETEN[c]) Virum, qui contra dolorem grauem ceruicis, numeroſa remedia, ipſamque embrochen aquarum aquisgranenſium, incaſſum adhibuerat, loco dolenti applicato Veſicatorio. Prouocat ſimul ad me[d]), qui exquiſitiſſimo humeri dolore affectus, ſine febre, emplaſtro ex contuſo ſemine ſinapi in aceto fortiſſimo macerato, cum alia nil profuiſſent, feliciter ab illo liberatus ſum, eryſipelaceo rubore, in dorſo enato, quo apparente, dolor diſparuit.

z) *l. c. No.* 32.

a) *von Krankheiten einer Armée p.* 173.

b) *Avis au Peuple p.* 201. 202, 203.

c) *Comm. Tom. V. p.* 671. 672.

d) *Vſus opii ſalubris et noxius Tom II. p.* 312.

De rheumatiſmo ſcorbutico, *a* SYDENHAMO, TISSOTO, STÖRCKIO et aliis annotato, tum et de venereo, qui dyſcraſiam humorum ſpecificis remediis corrigendam volunt, atque veſicantibus non tollerentur, nil adiicio.

§. XIV.

Deferor ad ſumme moleſtum *dolorem coxarum*, aut *malum iſchiadicum*. Notum eſt HIPPOCRATIS effatum:

Malum Iſchiadicum.

Quibus a diuturno coxendicis morbo vexatis, coxa excidit, his crus contabeſcit, et claudicant, niſi vſti fuerint.[a]) Eapropter is vſtiones variis locis commendat[b]). Ab antiquiſſimo igitur aeuo, Parentem Artis ſequentes Medici, per multa ſecula vſtionibus, ipſi loco affecto admotis, opem adferre moliti ſunt, eo fine, vt morbificum humorem ipſi innidulantem amouerent. Ita egerunt Graeci, Latini, Arabes, quos omnes citat *M. A.* SEVERINVS[c]). CELSVS in dolore coxarum ſuadet, vt tribus, vel quatuor locis, cutis candente ferro exulceretur[d]). Aegyptios et Arabes, non ferro, non auro, non alio metallo ignito ad inurendas partes vti, ſed goſſypio et lineo panno ſuccenſo, ignito, pyramidis forma, inuſtionem moliri, atque ſic dolores antiquos cruciatu difficiles, ac praecipue coxendicis, expugnare ſolere, refert *Proſper* ALPINVS[e]). De Sinenſibus et Iaponenſibus refert KAEMPFERVS[f]), quod quidem reputent dolores non tolli felicius poſſe, quam cauteriis, tamen iunctam Vulcani Martisque vim experiri, in humana machina, ſaeuitiam eſſe reputent, vti ſuperuacaneam et inutilem, ita vero indignam rationali Medico, cui vrendo nulla alia eſſe debeat intentio, quam vt impactam doloris materiam reſoluat, vel in flatus reſolutam excludat, et in auras euocet, vnde gliſcentem et lentum ignem eligant, quod Arabes panno goſſypio, iſatide tincto, Indi medulla iunci, Sinenſes et Iaponii lanugine ſiue ſtupa mollicula, moxa vocato, exequi ſoleant. Tandem in Europa fere vbique, magis minusque, inuſtiones hae crudeles igne actuali patratae abrogatae ſunt, et in earum locum potentialis veſicantium ſuffectus eſt. Non tamen defuerunt, qui, miſſis cantharidibus, ex aliis acribus irritantibus compoſita emplaſtra in ſubſidium vocarunt.

a) *lib. VI. aph. 60.*
b) *lib. de affectionibus c. 8. de internis affect. c. 19.*
c) *de efficaci Medicina lib. II. Part I. c. 105.*
d) *lib. IV. c. 22.*
e) *de medicina Aegyptiorum lib III. c. 12.*
f) *Amoenit. exotic. Faſcic. III. obſ. 12.*

Quanquam vero medendi artifices in multis aliis *diſſentire* ſoleant, tamen omnes vno fere ore, aut calamo praecipiunt,

piunt, vt haec externa remedia iſchiade laborantibus protinus admoueantur. RIVERIVS[g]), ſi malum pertinaciter haereat, ad veſicatorium tranſeundum eſſe conſulit, quod parti admotum materiam euellat, idque vel ſolum applicandum eſſe dicit, vel, vt mitius agat, aliquo emplaſtro alio aequis partibus permixtum, ſic enim per longius tempus in parte poſſe detineri. LENTILIVS[h]) magnum Veſicatorium loco affecto imponendum, apertumque ſeruandum ſuadens, tantam fiduciam in id ponit, vt addat: *Hoc ſemper iuuare ſolet, ſi nolit aeger, ſibi habeat.* Vix vllam paſſionem eſſe, ſcribit HOFFMANNVS[i]), in qua tam conſpicuam opem praeſtant veſicantia, quam dolores rheumatici et arthritici, potiſſimumque contumax ille et chronicus iſchiadicus dolor, nullam aliam ob cauſam, quam quod ſerum acre, neruoſis et tendinoſis partibus firmius impactum in motum cieant, et ad euacuationes ſollicitent. Magnus BOERHAAVIVS[k]), medelam coxarii doloris tradens, *inſtituatur VS.*, inquit, *aeger purgetur et Veſicatorium applicetur, ad locum dolentem; tenui vtatur diaeta, die 8. plerumque ſanatus eſt. Si vero tertio die malum non multum imminuatur, tum iterum inſtituatur VS. et tum ſumatur cauterium valde ignitum, et hoc applicetur coxendici, hac ratione omnes hi aegri curantur.* Putat BOERHAAVIVS, *quodſi haec methodus ſemper in hoc caſu fuiſſet adhibita, ex centum, qui nunc claudicant, ne vnus claudicaret.* Habet TVLPIVS[l]) animoſum Iuuenem, qui, remediis parum aut nihil proficientibus, (neſcio ego an inter ea fuerint Veſicantia) vehementi morbo aeque vehementi remedio occurrere decreuit, Chirurgoque copiam adurendi non tam cutem coxae impoſitam, quam exulcerandi eodem ferro carnem, ad ipſum os vsque, fecit. Crudelis haec medicina ab immani carnifice dolore, ipſum ex toto vindicauit, profundo vlcere tamdiu aperto ſeruato, donec euacuata omnis materia arceret omnem recidiuae metum. Rara ſane et rariſſima eſt haec magnanimitas. Strenuo militi cum

g) *lib. XVI. c. 3.*

h) *Miſcell. Part. I. p. 285.*

i) *diſſ. de Veſicantibus.*

k) *in Comm. proprio in aphoriſmos ad aph. 1494.*

l) *obſ. lib. VI. caſu 26.*

cum veſicatorium efficax toties remedium non ſufficeret tollendo grauiſſimo dolori iſchiadico, omnibus argumentis ſtringentibus non potuit perſuadere Cl. *Caſimir* MEDICVS[m]), vt vſtionem permitteret, cui poſtea, poſt ancipitem prognoſin, ſero nimis et fruſtra ſe ſubiiciebat, largiſſimo effluxu puris tabe extinctus. Taxat vtique iure Vir doctiſſimus ſeculi mores effoeminatos, eiusmodi generoſo remedio, vbi eo opus eſt, contrariantes; ſed quando cum ferro et igne contracta familiaritate obduratus Miles operationem chirurgicam, torturae cornificis manu exercendae ſuperiorem, pauidus et tremens recuſat, facile condonandum eſt, delicatioris animi et corporis hominibus, ad ſolum nomen igniti ferri terrore perculſis. Sane de animoſo ſuo Iuuene verba faciens modo laudatus TVLPIVS, non diffitetur, quod inuſitata haec crudelitas Medicos perterruerit. Sed DEO ſint grates, quod innumeri aegri iſchiade laborantes ſine illa ſanari queant. Ipſe BOERHAAVIVS, licet cauterii valde igniti mentionem iniiciat, blandius tamen toties cum iis agere fuit ſolitus. Conſultus a Medico noſtrate occaſione Illuſtriſſimi cuiusdam Comitis, poſt ſuperatam quartanam, diro hoc affectu mulctati, reſpondit illico, purgans dandum eſſe ſingulis 4. diebus ex ſcammonio, antimonio diaphoretico et cremore tartari, veſicatorium coxae applicandum per 12. horas relinquendum, plagam ſtatim conſolidandam; poſt 7. dies et alios 7. dies, eadem ratione agendum; decoctum bibendum, ex radicibus et lignis, ſicque dolor feliciter fuit fugatus. Cel. *de* HAEN[n]), cui inuidenda felicitas contingebat, pendendi ab ore maximi Magiſtri, de cauterio tacens, narrat de illo, quod diſcipulis ſaepe dixerit, ſi vellet arcanum quoddam vendere, id fore tectas et ſub alia ſpecie occultatas cantharides, in iſchiadicis. BOERHAAVIVS, vt ex conſilio eius modo commemorato patet, repetitam applicationem Veſicantis commendare ſolebat. Solemnem eius methodum recenſens *de* HAEN[o]), emplaſtro palma manus maiori, poſt excitatam magnam veſicam ablato,

m) *Beobachtungen aus der Arzney-wiſſenſchaft* p. 367.

n) *Rat. Med. Part. IV. c. 4. p. 152.*

o) *loco citato.*

to, ſanabat vulnus, dolore non abeunte repetebat octiduo poſt, idque aliquoties, ad tertiam quartamque vicem, quamuis raro contigiſſe teſtatus ſit, vt quarto emplaſtro indigeret. HAENIVS[g]) innumeros eſſe ſcribit, quos in Noſocomio, Boerhaauiana hac methodo, ab annoſioribus hiſce aerumnis percurauerit. Tanto magis itaque miror, quando MEADIVM[h]) aſſerere lego, non multum iuuare cucurbitas, aut veſicatoria parti impoſita, ob altius membranis os cingentibus infixum moleſtum humorem, quam vt extrahi poſſit. Eapropter commendat tanquam efficacius epithema volatile, aut emplaſtrum ex pice burgundica, addito euphorbio, cum terebinthina. Prius remedium vix efficacius Veſicatorio, poſterius veſicatorio non potentius, quamuis aeque ac hoc, applicatum cuti, veſicas eleuet; interim tamen MEADIVS, nil magis conferre in pertinaci morbo affirmat, quam ſetaceum, ſub locum affectum. PRINGLE[i]) malum recens quidem VSe, et Veſicatorio, parti dolenti applicato, tolli, ſi vero morbus iam diu durauerit, et cauſa arthritica, materiam nimis alte locatam eſſe dicit, quam vt veſicatorium eam exteriora verſus determinare queat. Recenſet, in Noſocomio, duos aegros, quibus nullum remedium leuamen afferebat, inter longas et diras aerumnas fuiſſe mortuos, tumque ſe aliquod remedium diſſoluens ignorauiſſe; an deinde ſat efficax inuenerit, aut ſciuerit, non addit. Inter ea tamen multos aegros iſchiadicos veſicatoriis iuuari teſtatur ROSÉN[k]). Cel. TISSOT[l]) veſicatoria ſuppurationem in loco affecto excitantia ſat ſaepe facere ad curationem ait, non tamen adeo efficaciter, ac cucurbitulas, quarum ſeptem vel octo illi applicari fecerit, quarumque ope ſola, intra paucas horas, ſanauerit malum iſchiadicum, quod per annos rebelle manſerat ad omnia remedia. In *actis Nat. Cur.*[m]) in iſchiade cucurbitae loco dolenti applicatae praeſentaneum leuamen afferre dicuntur. Verum Cl. *Caſimir* MEDICVS[n]) aegrum habet, miſere iſchiade afflictum, cui varia interna et externa re-

g) *l. c.*

h) *Monit. med. p. 130. 131.*

i) *p. 177.*

k) *Haus und Reiſeapotheke p. 48.*

l) *Avis au peuple I. p. 203.*

m) *dec. II. anno V. obſ. 154.*

n) *Beobachtung aus der Arzneywiſſenſchaft loco cit.*

media fuerant adhibita et inter illa etiam hirudines et ſcarifica-tiones, his omnibus nil iuuantibus amplum veſicatorium cum multo puluere cantharidum medelam attulit. Recentior Scri-ptor *Dominicus* CORTVNNIVS [o]) repetitionem Veſicatorii ſubinde neceſſariam eſſe notat, vt acre et viſcidum tollatur, quia tamen, ex eius ſententia, cauſa non ſaltem in acetabulo, ſed et in neruorum trunco poteſt haerere, poſticam et anti-cam iſchiadem ſtatuit, et eapropter locum applicationis iuxta latus, externum genu, et verſus talum commendat. Sat gra-ves Autores adduxi, omnes Veſicatoriis patrocinantes, licet alii alia topica non excludant, et quandoque aliis maiores vi-res tribuant. Non opus eſt, vt adiiciam, me in longaeua mea Praxi multis aegris illorum ope auxilium deſideratum attuliſſe; neque tamen intermittere poſſum, quin mei ipſius mentionem faciam, qui a tot annis arthriticis et rheumaticis doloribus obnoxius fui, ob tot toleratos, frigido, pluuioſo, nebuloſo ſub ioue, labores curſitans, ab aliis contra diaetam peccatis mihi ſollicite cauens. Ante multos annos graui iſchiade labo-raui, VSi, purgantibus, emollientibus, cataplaſmatibus, bal-neis, oleoſis emulſionibus auſcultare nolente. Applicaui dein-de latum Veſicatorium, ſed eheu vix aliquid proficiebat, recurri iterum ad fotus emollientes, ſub eorum vſu natus eſt, in loco dolente, non ſine doloris exacerbatione, magnus furunculus, qui iuſta ratione tractatus magnam copiam puris tenueque ſe-rum largiter effudit, atque plenarium leuamen tandem attulit.

Ne tamen nimiam fiduciam, in veſicatorium ponamus, atque ſemper certam inde ſalutem ſperemus, legere et perpen-dere intereſt, quae ſcripſit Practicotatus HAENIVS [p]). Pro-gnoſin ſemper incertam eſſe affirmans, fuſius explicat, cur, articulo coxae affecto, ob variam morbi ſedem et ob variam materiae naturam, multi non curentur, imo cur plures omni-bus agendis actis tamen inde, et phthiſi iſchiadica praecipue, pereant. Raro dolor iſchiadicus abſceſſu ſanatur, vt apud

Foe-

o) *de Iſchiade neruoſa.*

p) *rat. med. IV. p. 157. ſeq.*

Foeminam, quam habet TVLPIVS[q]), aliamque, cuius ego mentionem feci[r]). Multum a ſe inuicem differt exulceratio ſuperficialis, a veſicante mature applicato inducta, a profundiore abſceſſu, hoc omiſſo, a peiore natura mali prognato. Illa ſanitati recuperandae fauet, hic quaquauerſum proſerpens vlcus fiſtuloſum ingenerat, atque tandem miſeram mortem poſt ſe trahit. Hanc in propria ſorore declinare nequiui, triſte hoc fatum deinde, neglecto in principio Veſicatorio, in ſpectabili Matrona, poſtquam ingens materiae purulentae copia per omnem membranam adipoſam in toto femore ſerpſerat, ſummo cum angore appropiqquans vidi. Tragicum talem exitum Cl. MEDICVS[s]), vlcere vſtione excitato, totum femur copia puris exedente, operoſa ſua diligentia auertere non poterat. Nolo ſilentio praeterire dolorem iſchiadicum periodicum acutiſſimum, in foemina, quem BRVNNERVS pilulis ex Cort. peruv. ſingulis trihoriis repetendo, ſtatim mitigauit, et mutata pilularum forma in infuſum, continuato vſu prorſus abegit[t]) Aſſerit ibi, verum eſſe, quod dicit *Mortonus*, morbos periodicos antifebrilibus curari, licet abſit febris.

q) *lib. III. obſerv. c 25.*
r) *Vſus opii. Tom. II. §. 29.*
s) *Beobachtung. aus der Arzneywiſſenſchaft p 367. ſeq.*
t) *Miſc N. C. dec. III. anno VII. et VIII. obſ. 207.*

⁂ ⁂ ⁂

Paucula adhuc monere fas ſit de *Lumbagine*. SYDENHAM eam conſiderat, vt ſpeciem rheumatiſmi, materiae inflammatae ortum debentem; hinc VSem repetitam, cataplaſma emolliens, diaetam tenuem, clyſmata, lenem catharſin, ſyrupum de meconio omne punctum ferre et ſanationem ab ſoluere dicit[u]). BOERHAAVIVS, qui paulo difficiliorem curationem futuram edixerat[v]), ſuadet VSem, abſtinentiam a carnibus et piſcibus, diaetam lacteam, purgationem matutinam per tres vel quatuor dies, tumque plerumque quarto die ſanatos fore aegros promittit[w]). Vterque *Hippocrates*, et Graecus, et Batauus de Veſicatoriis nil habet. CRÜGERVS[x]) interea dolorem lumborum intolerabilem Veſicatoriis, parti

u) *Operum p. 346 ſeq.*
v) *aph. 1494.*
w) *in Comm. proprio ad aph. 1494.*
x) *Miſc. Nat. Cur. anno VII et VIII.*

parti dolenti admotis, feliciter curatum recenſet. Non aeque felix fuit Aeger, cuius meminit Ill. STÖRCK[y]), valida aderat febris, dolor ad lumborum vertebras intolerabilis. VSes repetitae, remedia reſoluentiſſima et antiphlogiſtica, cataplaſmata emollientia nil iuuarunt. Quarto die applicatum latum veſicans. Quinto die conciderunt vires, et inter omnia ſigna natae foedae putredinis, quam ſectio deinde manifeſtavit, ſeptimo die mortuus eſt. Ego ante aliquot annos paſſus ſum lumbaginem atrociſſimam, ſine febre, miſi tamen ob vrentiſſimum dolorem ſanguinem, ſumſi purgantia antiphlogiſtica, potulenta emollientia, nitrum, emulſiones, lac, externe applicaui fomenta emollientiſſima, cum omnia nil prodeſſent, feci applicari latum veſicans, a quo, ob perpetuam asſumtionem lactis naturalis et artificialis, incommoda, oriri in viis vrinariis ſolita, leuiter tantum ſentiebam, plagam non conſolidabam, ſed emplaſtro de meliloto apertam ſeruabam; nulla tamen doloris remiſſio. Perſeuerabat ille pertinax, eique iungebatur gonagra et podagra in vtroque latere, quibus tandem diaeta blanda et tenuiſſima diminutis et poſt tumorem ceſſantibus, ceſſabat etiam pededentim et paulatim dolor in lumbis. Cauendum ſollicite a Veſicante, in ſananda lumbagine, vt in omni rheumatiſmo, ſi febris adfuerit, et quam diu illa adeſt, ſanguisque miſſus cruſta tegitur. Cauendum ſummopere a tali emplaſtro, ſi ad haemorrhides, vel coecas, vel fluentes aeger ſit diſpoſitus, ſanguisque in minutiſſimis vaſis incarceratus magis peccat, quem ſerum rheumaticum. Tunc enim cantharides irritatione ſanguinis affluxum augent et incitant, aegrumque in mala adhuc lumbagine peiora praecipitem dare facile poſſunt.

y) *anno medico II. p. 124.*

§. XV.

Dolor arthriticus verus, Podagra.

Conuerto me ad dolorem *arthriticum verum*, inueteratum et habitualem, qui *Podagrae* nomine venire ſolet. De Veſi-

Veſicatoriis, quatenus in huius medela indicantur, rectiſſime ſcribit FORSTEN [a]): *Proſunt ea, vbi materies per corpus vagatur, ac verſus locum determinatum deducenda eſt. Optimos quosque edunt effectus, vbi materies podagrica articulum, quem ante occupauerat, deſerit, ſeque confert in loca nobiliora, ad vitam magis neceſſaria. Hinc in podagra retropulſa, vbi graue ſatis aegro imminet periculum, ad Veſicatoria, tanquam ad ſacram anchoram, confugiunt Medici, vt eorum ſtimulo et motu oſcillatorio, quem minimis vaſis inducunt, materiem reuellant, iterumque ad articulos alliciant, aegroque dolorem adferant, dum periculum auertunt.*

a) p. 171.

Poteſt ſcilicet in corpore ea enaſci diſpoſitio, ſiue haereditaria, ſiue adſcititia, in ſolidis et fluidis, vt vltima vaſcula ſint praeter naturam rigida, et anguſta; et coctionum omnium vitio, vltimum liquidum, quod per illa minutiſſima neruoſa vaſcula circulari debet, non ſit blandum, et mobile, ſed acre, et viſcidum, quod tunc in iis ſtagnans et reſtitans, irritando et tendendo ſenſibiles fibrillulas, circa ligamenta et iuncturas oſſium, dolorem exquiſitiſſimum inducat. Quodſi nunc tota haec diſpoſitio, per quam paroxyſmo ſemel exantlato, noua ſemper eiusmodi arthritica materies generatur, auferri et mutari nequeat, quod hactenus arti fuit impoſſibile (de magno promiſſoribus hiatu non loquor,) permittendum omnino eſt, imo et exoptandum, vt certis interuallis iterum deponatur ad ſua loca, nouum paroxyſmum creatura, certis interuallis, per longam interdum annorum ſeriem. Etenim ſi hoc non fiat, et generari pergens, ac accumulata in humorum maſſa materies intus maneat, atque mala fortuna nobilioribus viſceribus incumbat et inniduletur, grauiſſima mala et mortifera inducere poteſt; niſi ad externas partes, quas antea habitare ſolebat, cito euoccari queat. Ex tribus autem rationibus potiſſimum euenit, vt in interioribus hoſpitetur. ***Primo***, quando vires vitales languidae, vel ob ſenium, vel ob alias

cauſas exhauſtae, non ſufficiunt materiae expellendae, ad corporis extrema. *Secundo*, quando tranſpirationis ſuppreſſione exitum moliens aut iam ſortita materies, clauſis ſubito oſculis, in corporis cortice hiantibus, aut male ſanis artibus, apllicatione adſtringentium, incraſſantium, refrigerantium, vt et abſurda abluitione cum aqua frigida, quae nonnullis placet, retropellitur. *Tertio*, quando repetitis inſultibus articuli ita obſtructi, indurati, deturpati ſunt, vt materies abolita vaſcula amplius intrare nequeat, ſed intus manere cogatur. In hoc quidem vltimo caſu vix vlli medelae locus, in primo autem, et ſecundo, vires vitae expultrices debiles augendae, et incitandae, atque ſtimulus locis dolore adſuetis applicandus, vt affluxum materiae eo alliciat, et inuitet. Ad grauia pathemata, quae, vt notiſſimum eſt, ab arthritica materia internis partibus incumbente imminent, praeſcindenda magnum praeſidium veſicatoria eſſe, ſcribit HOFFMANNVS[b]; ad PISONEM, RIVERIVM et *Miſc. Nat. Cur.* prouocans. Si introuerſae materiae podagricae ſigna adſint, ſine vlla mora, larga veſicatoria femoribus applicanda vult BOERHAAVIVS[c], locis dolere adſuetis fomenta aromatica, ſalina; ſimulque commendat motum corporis, decoctum aromaticum ſudoriferum, hoc non iuuante, vinum generoſum et ſudorem in lecto calido. Monet alibi[d]: Si quis certo tempore podagrae paroxyſmum accipere ſoleat, et ille non eueniat, et alius adeſt morbus grauior, tum cogitandum eſſe, podagram eſſe introuerſam, atque ſtatim veſicantia ad femora applicanda, fermentum panis cum ſale et aceto ad pedes, aut emplaſtrum de galbano, bibendumque vinum generoſiſſimum, vt in lecto ſudor moueatur. Addit: *Aeger eſt in vitae periculo, ſimulac dolorem ſentit, liberatur.* Vix credi poteſt, quot laruas morborum induat intus dominans perſonata podagra. Omnia Praeceptoris monita fuſius explicat *van* SWIETEN[e]: *Si Veterani Podagrici*, inquit, *conquerantur de anxietatibus, tor-*

b) *diſſ. de Veſicatoriis* §. 12.

c) *aph.* 1281.

d) *in Comm. proprio ad hunc aphor.*

e) *in Comm. Tom. III.* p. 388.

terminibus in abdomine, de vomitu, ſingultu, laterum doloribus, reſpirandi difficultate, ſomnolentia, angina, ſi delirent, etc. *metuendum eſt, ne lateat aliquid ſiniſtri, et illico ſuccurrendum.* Omnes has perſonas, et alias ſuſpectas, quas ludere poteſt et ſolet aliis in regionibus corporis, quam in artubus, Regina dolorum podagra et chiragra, tyrannidem ſuam exercens, videre licet apud MVSGRAVE[f]). Illas non raro mihi obſeruare contigit. Cel. ROSE'N[g]) in podagra retrograda, aut remanente, quam certo adeſſe dicit, ſi aeger eo tempore, quo antea paroxyſmus inuadere ſolebat, qualemcunque morbum patiatur, ſub quo ſemper lateat, ſi fortis et plenus pulſus fuerit, VSem praemittit, et tum veſicans in aliquo loco, verſus pedem applicat, et vinum rhenanum additis ei 15. granis ſalis volatilis CC. praebet. Monet ſimul, interdum retrogreſſam podagram non quidem in interioribus haerere, ſed in brachiis, in ſcapulis, intra humeros, vel in dorſo. Licet vero eiusmodi ſedes non adeo periculoſa ſit, tamen melius eſſe, materiem dimoueri, veſicantis ope, ad pedes. Operae pretium eſt, adferre, quae in libro ſuo de podagra, rarius acquirendo, habet *Petrus* DESAULT[h]). Is vocatus ad hominem podagrae ſubiectum, qualicunque nunc morbo laborantem, ſtatim cogitandum eſſe dicit, an forte hic pendeat ab eius remanſione, aut retroceſſione, maxime ſi ante vel poſt Februarium, aeger inſultum leuiorem podagrae aut chiragrae, qui cito diſparuerit, perſenſerit. Rebus ita conſtitutis, ſecta in pede vena, cataplaſma applicat, ex fermento panis, fimo recente columbino, puluere ſem. ſinapi et parca quantitate pulueris cantharidum, vel loco huius, duo magna veſicatoria, pedibus. Conuenientiſſima, et circumſtantiis omnibus conſideratis apprime reſpondens eſt haec methodus, mirorque valde WEPFERVM[i]), oris contorſione a paralyſi laboranti podagrica, veſicatoria non tuta habuiſſe, ob podagram, quamuis alias egregie reuellant. Rationem

f) *de Arthritide anomala.*

g) *Haus- und Reiſeapotheke p. 48. 49.*

h) *Diſſertat. ſur la goutte et la methode, de la guerir radicalement par Pierre Deſault à Paris 1738.*

i) *de affect. Capitis obſ. 150. p. 706.*

non

non addit, an forte acerrimum ſal cantharidum acerrimo podagrico ſali non addendum eſſe credidit? Magis adhuc miror, experientiſſimum Medicum et Podagricum SYDENHAMVM [k]), in medicatione podagrae anomalae, de Veſicantibus prorſus tacere, licet emplaſtrorum repellentium, aliorumque medicamentorum refrigerantium, partibus affectis ad leniendum dolorem admotorum, mentionem iniiciat, vnde morbi cauſa materialis, quae in artus debuerat deponi, in viſcera reiiciatur. Ad damna, quae ab emplaſtris talibus, aliisque incongruis topicis prognaſcuntur, declinanda et tollenda, ſane nil potentius excogitari poterat, quam emplaſtra Veſicatoria. Valet omnino, ex SYDENHAMI conſilio, ad ventriculi debilitatem et tormina hauſtus vini canarini. Poteſt aliud grauius ſymptoma inducias haud ferens, ex retrogreſſu materiae podagricae ingruens et mortem minitans, modo non caput, et partes vel naturales, vel vitales impetat, vomituritio, colica, diarrhoea, laudano, per eius conſilium, impugnari; poteſt, aluo fluere non deſinente, ſudor moueri, vt ad ſtylum eius, morbi vis in artus detonet; *non tamen eapropter excluſa* vellem veſicantia, illam in hos ſimul inuitatura et allectura. Quando metaſtaſis materiae peccantis facta eſt in pulmonum lobos et generauit peripneumoniam, haec, SYDENHAMO [l]) duce, vt talis tractanda eſt, VSe repetita etc. ſine reſpectu habito ad podagram, qui hic de laudano tacet et ſudoris prouocationem diſſuadet. At vero licet in podagra irregulari, regulari reddenda, veſicantium oblitus ſit SYDENHAM, meminit tamen illorum Cl. CHEYNE [m]). Nempe, ſi in capite ſedem fixerit, poſt VSem in iugulo, circa malleolos, ſi in ventriculo; cardialgiam, nauſeam, vomituritionem produxerit, eodem loco ea applicari iubet.

k) *p. 598.*

l) *p. 599.*

m) *Edinburgiſche Bemerkung, Vol VI No. 1. p. 104. ſeq.*

*   *   *

Poterat forte alicui Medico, generoſiorum et energeticorum medicaminum Amatori et audaculo *pauliſper*, in men-

mentem venire, quia Veteres praecipue Medici, monente *van* SWIETEN[n]), tentauerunt lenire dolorem talibus remediis, quae ignea vi pollent, et cutem ſanam inflammant, an non hac ſpe applicari affectae parti poſſent Veſicatoria, vt materiea morboſa mota citius diſſiparetur. Poterat ipſis forte eiusmodi cogitatio naſci, cum in rheumatiſmis pertinacibus, maloque iſchiadico, emplaſtra haec adeo proficua deprehendantur, annon etiam conſultum foret, dolenti articulo, in podagra et chiragra, apponere veſicatorium, ad minimum temperatum, pro diſſipando et euacuando humore peccante. Fauere talibus cogitatis videtur, Aſiae Populis adeo laudata Moxa, in podagrae curatione; ſi nempe pars affecta, eadem accenſa leuiter vſtuletur, id quod HIPPOCRATES[o]) lino crudo, quod inter remedia, ad ſummam doloris in loco ſaeuitiem temperandam facientia, nominat[p]), praeſtare laborauit. Accedit, quod SYDENHAMVS[q]) adeo ad doloris mitigationem aliquid facere poſſe Moxam, largiatur, euocata ſcilicet fomitis morboſi parte ſubtiliſſima, ac maxime ſpirituoſa, in articulum iam depoſita, quamquam optimus Vir radicem mali eapropter non exſtirpari memoret. Multum tamen iam eſſe notat *van* SWIETEN[r]), ſi tuto queat leniri acerbus dolor, cum deinde omnia remedia ad indigeſtiones tollendas, et viſcera roboranda, queant exhiberi. Allegat *van* SWIETEN Hiſtoriam Viri reuerendi, qui in Bataviae vrbe degens, ſuaſu Mulieris Indae, eximium a Moxa effectum ſenſit, vt omnes illi, quibus ipſam deinde commendauerit. Vt de incommodo, quod adfert haec vſtulatio, ipſe certior redderetur, applicuit proprio femori, longe maiorem Moxae conum, et facile tolerare potuit illum dolorem, rationem addit: *gliſcit enim,* inquiens[s]), *ſenſim ignis, per Artemiſiae lanuginem, ſicque gradatim augetur calor, donec ſenſim auctus tolerabilem ſatis vſtionis ſenſum faciat: forte podagrici minus percipiunt doloris a tali vſtione, quae in cutim agit, dum*

n) *Comment. Tom. IV. p. 385.*

o) *de affecta ſect. V. c. 30.*

p) *aph. 1278.*

q) *operum p. 602.*

r) *Comment. Tom. IV. p. 385.*

s) *Tom. IV. aph. 1287. p. 385.*

ſaeuior

vior dolor vrget cuti ſuppoſitas partes. Dixerat HIPPOCRATES, *quod duobus doloribus ſimul obortis, non in eodem loco, vehementior alterum obſcuret.* Regero pace tanti Viri, ipſum hoc experimentum feciſſe, in parte ſana, minus antea dolente. Deinde etiam, vt alibi iam monui, HIPPOCRATES non dicit, quod duobus doloribus obortis alter alterum tollat, ſed obſcuret, quando nempe grauior magis ſentitur, et moleſtus eſt, quam leuior. Accedit adhuc, quod HIPPOCRATES loquatur de duobus doloribus, ſimul, non in eodem loco obortis, moxa autem eidem loco applicatur, qui dolet. Non diffiteri poteſt HEISTERVS[t]), Chinenſes et Iaponenſes, vt et Arabes hodie adhuc magni facere moxae applicationem, nihilominus tamen, *Quicquid*, ait, *harum rerum ſit, Europaei ſane plerique, licet ab aliquo tempore a nonnullis valde laudaretur, ab iſta curandi ratione penitus hodie abſtinent.* Neque id ſine ratione, praeterquam enim, quod acutiſſimos ipſa dolores coniunctos habet, parum aut nihil eandem ſaepius effeciſſe vſu deprehenſum eſt. Praetera etiam, licet BVSCHOVIVS, reuerendus ille Batauorum *Paſtor*, mirum quantum moxam edito peculiari ſcripto commendauerit, popularibus Europaeis, veluti infallibilem podagrae domitricem, veritus tamen iam eſt KAEMPFERVS[u]), ne in Germania plerorumque haec fiduciam fefellerit, de quo non iniuria conqueſtum dicit Cel. VALENTINI[v]) in epiſtola typis impreſſa ad CLEYERVM, *Medicinae Sinicae* Autorem. Atque ipſe VALENTINI, licet remedium hoc, quod in ſe ipſo bonum expertus, vehementer commendauit *de* TEMPLE[w]), minime reiicere velit, aſſerit tamen ſimul, Moxam in arthritide frigida, ab aquoſis et pituitoſis humoribus exorta, magis locum inuenire, quam vbi inflammatio aut rubor in articulis deprehenditur, quo in caſu ſane periculum excitare poſſet non paruum, id quod ab HORSTIO in quibusdam praecipuis Perſonis fuit obſeruatum. Dum non adeo formidan-

t) *Chirurg. Part. II. Sect. I. c. 23.*

u) *Amoenit. exot. faſc. III. p. 595.*

v) *Muſe Muſ. p. 155.*

w) *Eſſay du Moxa contre la Goutte.*

dandum eſſe Moxae vſum aſſerit *van* SWIETEN, prouocat ad TRALLIANVM x), emplaſtrum deſcribentem, quod euphorbium adeo ingreditur, quod hic ſummam cutem vellicare, trahere ex alto, quae impacta ſunt, diſcutere, et dolorem exſcindere dicit. Pergit deinde *van* SWIETEN: *Imo ipſum Euphorbium adeo calidum et acre, cum oleo, et cera coctum, adhibuerunt Veteres, Sinapi tritum cum aceto, veſicantia ex cantharidibus parata, vt et allia* y). *Certe*, inquit, *omnia haec remedia acerrima ſunt, dolorem faciunt, cutim inflammant, adeoque dolorem leuare nequeunt, niſi quatenus materiam morboſam diſſipare valent*, *vnde nec probat illa* TRALLIANVS, *metuens ne, ſubtiliori parte diſſipata, reliquum tanto fixius haereret.* Probat interea nihilominus euphorbium TRALLIANVS, ita tamen, vt dum podagrae cauſam ſtatuit vel bilioſum humorem, vel pituitam frigidam, vel ſanguineum humorem, id tantum podagrae a pituita, vt et ſinapi, et allia deſtinet, contra illam, quae a ſanguine exoriatur, medicamenta conſulens, quae locis inflammatis inducantur, lenientia et refrigerantia, vna cum diaeta tali. Haec omnia qui attentius conſiderauerit, facile videbit, quam inconuenienter dolori podagrico vrentiſſimo leuando deſtinarentur veſicantia, quae adeo tum, quando in ſua loca inuitanda et aduocanda eſt, retrogreſſa et intus ſaeuiens podagra, dolorque valde exoptatur, non his ipſis ea applicare audent medentes, ſed ſaltem vicinis muſculoſis ſuris, et ab extremo pede remotioribus femoribus. Non me latet, Cel. PECHLINVM z) diſertis verbis aſſerere, ſe vidiſſe aliquos veſicatoriis liberatos a praeſenti paroxyſmo, ſed addit ſtatim, *neque hoc perpetuum erat nam ſi lentior materia fluorem detrectaret, aut venarum tubulis quibus imminet veſica, motus linea minus exacte conueniret, etiam illam curam euentus fruſtrabatur. De cauteriis maius quid eſſe*, dicit, *illa enim profundius penetrant, et colliquatis in tabum carnibus, coeterae materiae viam muniunt, modo*

x) *lib. XI. c.* [illegible]

y) *Trall. l. c.*

z) *Obſerv. lib. II obſ. 24. de Sinenſium Moxa.*

modo illis partibus inurantur, in quas prona eſt defluxio. Sed nec illud omnibus, nec tam morbo ipſi, quam acceſſioni paratum eſt remedium, nam quamdiu tabo fluit vulnus, a paroxyſmo vtplurimum praeſtat immunes, quando ſiccatur occluditurque, nouam dolorum miniſtrat materiam. Quis ergo incertae, fallaci, inſecurae et dolorem facile exaſperaturae medelae, podagrico igni faces ſubminiſtrans, et oleum camino addens, furiis dolorum ſubiecti deplorandi aegri ſalutem committeret?

* * *

Aliud vero adhuc in hoc argumento momentum expendendum ſupereſt. Scripſit Cl. FORSTEN[a]): *Commendari etiam merentur veſicantia, ad praecauendum, ne peccans materies articulos nimis copioſe, vel diu occupet, et faciendum, vt ſeſe per veſicam, quam faciunt, euacuet, vnde mirandum videtur, veſicatoria hoc ſcopo non ſaepius applicari.* Hunc finem, nempe in via et itinere ad ſua loca pergere adſuetam materiem intercipiendi, ne nimio impetu, et pleno quaſi flumine ad ea feratur ibidemque, auctiore copia collecta, ferociorem tyrannidem exerceat, ſibi propoſuerunt quoque illi, qui ſcarificationem adeo ſalubrem podagricis habuerunt. Peculiari diſſertione Lipſiae 1732. habita, qua Cel. BAVER *ſcarificationem certum et ſecurum remedium antipodagricum* ſiſtere conatus eſt, illam omnibus medicamentis praeſtantiorem declarat[b]), quia nullum remedium inueniatur, quod adeo commode materiam podagricam, veluti ſanguinem frigidum et craſſum, ſenili aetati familiarem, ſine regreſſu ad interiora euacuet, et vi corruptos humores ex profundo corporis, ad locum ſcarificatum, alliciat. Monet autem[c]) ſimul, quod in ipſo paroxyſmo ſcarificatio haud inſtituenda ſit, quoniam tum, vbi dolores ſaepe ſuperant aegrorum patientiam, verendum eſſet, ne atrociora ſymptomata excitentur, (id certe a veſicatoriis admotis in paroxyſmo tanto magis metuendum erat). Tutius eſſe dicit, tempore intercalari, vel ante, vel poſt

a) *p. 171.*

b) *§. 30.*

c) *§o. 31.*

poſt inſultum podagricum, vbi humores placido motu circulantur, hanc operationem ſuſcipere, hoc pacto enim cauſam materialem futuro paroxyſmo detrahi, vt aegri, etiamſi dolores proximo termino quadantenus recurrant, illi eos vix percipiant. Loca, quibus cucurbitula applicanda eſt, ſollerter indicat[d]). Probauit hanc artem, licet non ſingulis menſibus, vt BAVERVS vult[e]), ſed ſingulis trimeſtribus, in dorſo pedis inſtituendam HOFFMANNVS[f]), qua in pluribus et in ſe ipſo inſigniſſimum emolumentum ſe expertum fuiſſe dicit. Scarificationi autem allegatus ab HAENIO[g]) *Franciſus* PAULMIER peculiari edito tractatu[h]), hirudines ad ſedem podagrae admotas aequiparauit, aut praetulit.

Docuerat vero BOERHAAVIVS[i]), *VSem non attingere mali materiam, ſedem, cauſam;* hocque effatum videtur primo intuitu etiam trahi poſſe ad ſcarificationem, quatenus, vt illa, ita et hac, ſanguis extrahitur, in quo proprie cauſa podagrae non quaerenda eſt, dum haec in vltimae elaborationis tenuiſſimo liquido radicatur. Aliud vero eſſe videtur, ſanguinis vniuerſam maſſam minuere VSe, id quod pro ratione virium vitalium aegri, extra paroxyſmum interdum prodeſſe, interdum nocere poteſt; aliud in ipſa parte dolere ſolita vaſcula diſcindere, vt per vulnuſcula, qui ibidem colligi incipit morboſus humor, cum ſanguine effluat. Interim Illuſtr. *van* SWIETEN[k]), vt Veterum VSi fauentium methodum, ita et Medici Gandauienſis, *van der* HEYDEN, non probat, qui VSem laudauit in articulo dolente, pro dolore praeſente leniendo, et bis, ter, in anno aperiendam voluit venam in pedis pollice, ſede ordinaria podagrae, pro praecauendo reditu. Eadem etiam ratione, calculum non addit HOFFMANNI conſilio, de ſcarificatione prophylactica, ſingulis 3. menſibus inſtituenda, ſimulque adiicit: *quod notum ſit, celebrem illum Medicum, prophylacticas illas VSes, fere ſemper conſuluiſſe, etiam ſaniſſimis hominibus, vt nempe ab omnibus morbis, imprimis*

d) *§. 34.*
e) *§. 33.*
f) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 523.*
g) *Rat. Med. XIV. ſect. I. c. 3. p. 108.*
h) *anno 1765.*
i) *aph. 1270.*
k) *ad aph. 1270.*

mis

mis acutis, manerent immunes. Vellem hanc maculam Optimo Praeceptori inſperſam deleri, qui ſemper diſputauit cum Collega ſuo Cel. STAHLIO, plethoram pro vniuerſali cauſa omnium morborum venditante; qui egregiam diſſertationem ſcripſit *de Plethora inſufficiente morborum cauſa;* qui peculiari diſputatione conſcripta VSem equidem *magnum ad Vitam ſanam et longam remedium,* iuſto tempore inſtitutam, declarauit; qui tamen alibi[l]) elegantiſſimas et vtiliſſimas regulas, quando recte et minus recte ſanguis mittatur, ſtabiliuit; qui data opera *de VSis abuſu* publice diſputauit. Quod ſcarificationem in pede podagricorum attinet, illa non in confirmatis, ſed in illis, qui ſanguine et ſuccis abundant, inſtituenda, ſi ſaltem verum et certum remedium prophylacticum foret, nullam noxam inferet, nec pauco ſanguine detracto facile debilitabit. Vereor autem, ne hic, non niſi pauciſſimam morboſam materiam, ſanguini euacuato forte remixtam, ſecum effundat. Forte autem fonticulus perpetuo geſtatus, conſtanter ſerum acre plorans, illaeſis aegri viribus, quem cum CAPIVACCIO[ll]) et *Benedicto* SYLVATICO[m]) multi alii Practici podagricis commendant, idem, aut maius forte auxilium praeſtat, cui ſuam methodum ſaltem parem habet modo laudatus BAVER[n]), cum per ſcarificationem, fonticuli ad inſtar, materiae peccanti exitus facilis paretur.

l) *diſſ. de VSis prudenti adminiſtratione.*

ll) *Sect. I. lib. V.*

m) *Conſil. 81. 99. 100.*

n) *§. 30.*

Atque vt tandem, in quorum gratiam haec omnia elocutus ſum, ad Veſicatoria veniam, omnino dari debet, ob eandem cauſam, his virtutem ad podagrae prophylaxiam facientem, non derogari poſſe. Quodſi enim mala fortuna intus in hoc, vel illo viſcere ſtabulantem materiam, pedibus applicata extrorſum determinare, et euocare valent, cur non illam in maſſa humorum naſcentem, increſcentem, adultam ſatis et accumulatam, ſuo tempore et breui forte paroxyſmum pro-

crea-

creaturam, mature ad artus inferiores pellicerent, maxime ſi plaga diutius aperta ſeruetur. Ponatur haec excitata in ſuris, nonne materies in ipſo ſuo itinere, quod citius tardiusue ingredietur, hoc modo intercipietur, atque oſtio ipſi aperto, ad quod allicitur, aliqua ſua parte exire cogetur, ne nimio impetu tandem, nimiaque copia ad pedem extremum ruere queat? Ponatur, caueri tamen non poſſe, ne nihilominus ſuetum ſuum, quod praefracte occupare et inhabitare adſueta eſt, domicilium iterum inhabitet, ſufficit, ſi diuiſum inter morbum et artem, quae ipſum quadantenus coercet, ſtabiliatur imperium, illiusque tyrannidi refraenatae aliquis ponatur obex. Nemo interim facile ipſis articulis extra paroxyſmum, prophylatico fine, veſicatoria applicabit, cum ne quidem, quando acceſſus materiae ex intimioribus corporis in illos exoptatur, illis ipſis, ſed ſuris tantum et femoribus circumſpecti Medici ea applicare ſoleant. Multo minus vero ſedem fixam iam nacta doloribus grauibus ſtipata chiragra, gonagra, aut podagra, carpis, genu, pedis pollici, ardentem dolorem ſua natura inferentia veſicatoria, et ne quidem temperata imponere conſultum erit. Quodſi enim BAVERO notante, quando dolores ſaepe omnem patientiam aegrorum ſuperant, verendum eſſet, ne atrocia ſymptomata ſcarificatione excitarentur, quid verendum foret a veſicantibus, quae dolorum furias et earum faces ad ſummam rabiem excitaturae eſſent?

Quicquid vero boni ab his, vt et a fonticulis et ſcarificationibus, rite in vſum vocatis, emergere poteſt, primaria tamen prophylaxis a tranſpiratione per ſudorifera, ex arte mota, pendet, quam BOERHAAVIVS VSi et purgantibus, per ſuperiora et inferiora, praefert. Peripherica excretio, etiam inſenſibilis, omnes ſenſibiles excretorum copia ſuperat. Porro ſine controuerſia cutis eſt illud organum ſecretorium,

quod per minutiſſimas arteriolas exhalantes, tenuiſſimas ſordes, ſubtiliſſimi vaporis ſpecie, corpore eliminat, id ergo quammaxime aptum erit, ad exitum materiae arthriticae ſubtiliſſimae concedendum, ſi eo determinetur. Experiuntur omnes Podagrici, tam diu ſeſe bene habere, et fere liberos eſſe a ſuis ſuetis doloribus, quamdiu tranſpirationis libero ſucceſſui ſtudent, ſimulac vero phoenomena in eorum corporibus oriuntur, quae ſuppreſſae tranſpirationis ſigna praebent, grauitas corporis praecipue, ſtatim eos peius habere, et paroxyſmo appropinquanti ſubiici. Nulla quoque arte melius podagra laborantes reſtituuntur, quam tranſpiratione, et ſudore in lecto, per liquida calida, et leniter mouentia, procuratis. Eapropter BOERHAAVIVS [o]) Machinam ſtaticam SANCTORII ſummam directricem et indicem futurorum, et faciendorum, in podagra declarauit. Notauit quippe SANCTORIVS, in ſua ſtatica medicina perpetuo regulas ſuppeditans, circa vſum ſex rerum non naturalium, pro tranſpiratione illibata conſeruanda obſeruandas, *humores podagricorum, etiamſi craſſiſſimi ſint, ſolum per modum vaporis expelli.* [p]) Quanquam vero, commentatus ad hunc locum SANCTORII de GORTER [q]) ſtatuere mauult, humorem podagricum eſſe tenuem, nil tamen dignitati perſpirationis detrahit, ſed eam potius ſolam eſſe dicit, qua morboſus humor auolet in auras. Recte interim monet NOGUEZ [r]), omnino humores podagricos ita vaſorum contractilitate attenuari et ſolui, vt ſub forma vaporum erumpant, licet in nonnullis adeo craſſa ſit materia, vt nullo modo pars craſſior excerni queat, per modum vaporis, nec reſorberi, vnde tophi cretacei oriantur. De ſalubritate et neceſſitate tranſpirationis conuictus BOERHAAVIVS [s]) propterea podagricis ſuaſit vſum ſalis cuiusdam volatilis, parua doſi aſſumti, mane, antequam quis ſurgat, cum largo hauſtu decocti cuiusdam lenis, ſudoriſque vel madoris expreſſione leui, per horam, ſubiuncta frictione cum linteis, vt nem-

o) *aph. 1282.*

p) *Sect. I. aph 88.*

q) *de Perſpiratione.*

r) *in explicatione phyſico-medica aphoriſmorum Sanctorii.*

s) *aph. 1276.*

nempe, explicante hoc Conſilium fuſius eius Commentatore[t]), illud morboſum, quod incipit colligi et accumulari in corpore, expellatur tuto, antequam nouum paroxyſmum producat, vel ſaltem ſic minuatur copia materiae morboſae, vt leuiora tantum mala efficiat. His ſcopis impetrandis nituntur elegantiſſima conſilia, quae habentur pro podagricis aegris in conſultationibus BOERHAAVIANIS, in quibus ſimul motus corporis valde commendatur[u]). Multus quoque eſt in iniungenda tranſpirationis promotione DESAULT[v]), in qua praecipuum curationis cardinem verti dicit. Quotusquisque autem podagra laborantium, inter tot cruciatus, quos perpetuo extimeſcere debet, ea ſortis felicitate fruitur, vt per vitae et muneris rationem, ea praecepta obſeruare exacte queat, quae ad nunquam interrumpendam et perpetuo conſeruandam perſpirationem, ſunt neceſſaria.

t) *in Comm. ad hunc aphor.*

u) *Sect. I. c. 7. et II. caſu 13.*

v) *de la Goutte.*

§. XVI.

Aſthma.

Sed nimis forte a Veſicatoriis meis declinaui, accedam ergo iterum ad illa, atque an et quousque ad *Aſthmatis* medelam faciant, ſtudioſe inquiram. Vniuerſalem ſane, in graui hoc morbo leuando, ipſis vim tribuit Celebris apud nos olim Medicus KLAVNIGIVS[a]). *Vocatus*, inquit, *ad aegros, aſthmate modo humoroſo, modo conuulſiuo vexatos, ob morbi vim morti proximos, et ad ſenes quandoque grandaeuos, qui iam fruſtra remedia pectori dicata aſſumſerant, ad Veſicatoria tanquam ad ſacram anchoram confugi, et nunquam non inveni ſalutem, ea vtrique ſurae apponendo.* Prorſus cum eo facit, qui eius Amicus erat, noſter Illſtr. *de* HELWIG[b]) *ſuris*, inquiens, *cum pectore communicationem quandam intercedere, alibi notatum fuit, et certe Bagliuianam obſeruationem de inſigni Veſicatoriorum vſu in ſuris, quando aegri aſthmate torquentur, cum coniunctiſſimo Collega noſtro,* KLAVNIGIO, *quantiuis eſſe pretii, in praxi experti ſumus.* Prorſus ita ſentit Cl. FORSTEN[c]), en propria eius Verba: *Minime ſpernenda eſt veſicato-*

a) *Miſc. Nat. Cur. Cent. II. obſ. 64.*

b) *Hiſt. morb. Vratisl. 1702. p. 44.*

c) *p. 191.*

catoriorum vis reſoluens, attenuans et reuellens, in aſthmate, humorali dicto, vtrique enim indicationi in huius morbi paroxyſmo formandae, ſatisfacere poteſt, nempe ad preſſionem in vaſa infarcta minuendam, et materiam attenuandam, reſoluendam, corrigendam, expellendam. Conducere etiam poſſunt, vbi aſthma ex metaſtatica depoſitione oritur, nec vtilitate ſua carent, vbi catarrhoſa materies, in pulmonem delapſa, hunc morbum produxerit. In aſthmate ſpaſmodico prae coeteris etiam antiſpaſmodicorum vicibus funguntur veſicatoria, ad dorſum, ſternum collumque applicata. Sat late extenſa ſunt omnia haec elogia; nollem tamen ſine diſcrimine omnibus aſthmaticis veſicantia applicare, cum in his aegris, vt in omnibus aliis, eo dirigenda ſint cuncta remedia, vt pro ſubiectorum varietate, cauſae proximae cognitae remotioni apta habeantur; aliter enim praxis eſt tumultuaria, et non niſi caſu bonum effectum ſortitur, quando nempe natura et morbum, et Medici errores ſuperat. Per ſe clarum eſt, aſthmati ſtomachali, ſtomachico-hypochondriaco, plethorico, a ſuppreſſis haemorrhoidibus, et menſibus enato, a tuberculis pulmonum, a vomica, ab inſpiratis acribus, irritantibus, conſtringentibus, qualibuscumque, a variolarum et morbillorum reliquiis, a mala conformatione pectoris etc. veſicatoria mederi non poſſe, cum in omnibus his caſibus remouendae verae cauſae imparia habeantur. Quodſi ſumma diligentia, omnes cauſae poſſibiles expendantur, vix conuenient vnquam, niſi quando aſthma, in ſubiectis cacochymicis et pituitoſis, a ſero acri et viſcido, muco pulmonibus innidulante, aut ab exanthematibus, et impuritatibus cutaneis retrocedentibus, aut retropreſſis, achoribus, vlceribus, perperam conſolidatis, ſero oedomatoſo, ipſaque podagra emanente, aut retropulſa, malum exortum eſt. Tunc ſane omnino egregios fructus edunt, vitamque in periculo ſubinde verſantem lucrantur. In ſeroſo et pituitoſo aſthmate grauiſſimi Viri eorum energiam experti ſunt, et col-

lau-

laudant. ETTMVLLERVS[d]), ſi aſthmatis cauſa eſt ſerum, hoc euacuandum eſſe ſuadet per vrinam et ſudorem, vel per veſicatoria confeſtim, vel per fonticulum pedetentim. Inter remedia, quae pituitoſis humidisque aſthmaticis opitulantur, vomitoria, volatilia, purgantia fortiora, et detergentia, etiam epiſpaſtica refert HVXHAM[e]). Magnum Veſicans, intra ſcapulas poſitum, promouere expectorationem, et pulmones ab onere liberare notat WHYTT[f]) Virumque ſiſtit, qui aſthmaticos inſultus patiens, quos magnus affluxus humorum ad pulmones, et larga expectoratio muci viſcidi comitabatur, VSe et Veſicantibus potiſſimum leuamen aſſequebatur, non omiſſis ipecacuanha, oxymelle ſquillitico et gummi ammoniaco. Aegris aſthmaticis, a muco multo periculum ſuffocationis incurrentibus, iuuamen adferri a Veſicantibus, ſuris applicatis, promota expectoratione, aſſerit ROSEN[g]). Iungam adhuc Magnis his Viris Ill. *L. B de* STÖRCK[h]), qui diues experientiis multis aſthmate glutinoſo laborantibus, veſicantia ſuris, et nuchae applicata, demendo pectoris anxietatem, et ſputa promouendo, profuiſſe teſtatur; et alibi[i]) praemittenda ſuadet mucum ſoluentia, ſolutum per expectorationem, aluum et vrinam expellentia, ſi haec inſufficientia ſint, veſicantia ſuris, et clyſmata acria. Aſthmaticum deſperatum, ſuffocationi, apertis etiam feneſtris, proximum, contabeſcentem, ſputo exiſtente viſcido, et tuſſi vehemente, magno veſicatorio pectori applicato, ſingulis ſeptimanis per ſex horas, relicto, quinta ſanauit Cl. *Caſimir* MEDICVS[k]). Superfluum foret, ſi ſimiles curationes a me praeſtitas, referrem. Miratus non raro ſum promptum ſolaminis ſenſum, ſtatim ex quo Veſicantia, modo inter ſcapulas, modo brachiis, modo ſuris applicata, operari incipiebant.

d) *Med. Pr. de aſthmate.*

e) *Operum Tom I. p 53.*

f) *von Nervenkrankheiten p. 375. 378.*

g) *Hausapotheke p 50.*

h) *Anno med. I. p. 102.*

i) *Vnterricht I. p. 147.*

k) *Beobachtungen aus d. Arzneywiſſenſchaft p 345. 346.*

Nunc me conuerto ad illud a me citatum aſthma, quod a repreſſis interiora verſus, tenuioribus, vel craſſioribus impuri-

puri-

puritatibus, quae per cutis cribrum excerni debebant, organis reſpirationis iam inſidentibus, exoritur. Agam ante omnia, de arthriticis et podagricis. Truculentum illud aſthma ſpaſmodico-conuulſiuum, praeſertim ex retrocedente vel remanente podagra prognatum, egregie leuari veſicis in ſuris excitatis, multiplici experientia compertum ſe habere affirmat HOFFMANNVS[l]), qui in huius rei fidem *Miſcellanea Nat. Cur.* allegat[m]), atque in Medicina ſua Syſtematica duo notabilia exempla adfert[n]). Aegris, aſthmate a repreſſa ad pulmones podagra, Veſicatoria inter ſcapulas et cruribus applicata, vna cum gummi ammoniaco, ſpiritu ſalis ammoniaci, et camphora, bis vel ter per diem exhibitis, optimam opem praeſtitiſſe refert WHYTT[o]). Neque oblitus eſt Ill. STÖRCK[p]) commemorare, quodſi acre podagricum pectoris interiora occupet, loca, in quae deponi debebat, veſicantibus ita irritanda eſſe, vt illud ad haec attrahatur, et determinetur. Liceat ex propria obſeruationum penu vnicam depromere. Amicus dilectiſſimus, Pharmacopoeus, podagra laborabat pollicem et pedis dorſum occupante. Male illam habebat pro eryſipelate, et applicarat puluerem ad eryſipelas Mynſ., et ſpiritum Vini camphoratum. Diſparebat rubor et dolor, ſed mox ſequebatur ſumma pectoris anguſtia, cum metu ſuffocationis. Vix ſibi perſuaderi patiebatur, omne hoc malum pendere a podagra, per incongrua remedia retropulſa. Annuebat tamen tandem meis conſiliis; abluebantur pedes ſpongiae ope, cum lacte et aqua tepidis, exponebantur horum vapori per horulam, fricabantur deinde leniter pannis laneis, apponebantur ſuris veſicatoria. Dabatur emulſio cum camphora; interponebantur huius praebiis duo vel tria vaſcula infuſi ligni ſaſſafras; ſtudebat aeger in lecto calido mouendae tranſpirationi; ita intra paucas horas, redeunte dolore et podagra, ab ominoſo aſthmate liberabatur, cautius in poſterum mercaturus. Velim vt hactenus dicta applicentur aſthmati a ſcabie, achoribus, pur-

l) *diſſ. de Veſicatoriis §. XI.*
m) *Cent. I. et II. obſ. 164*
n) *Tom. IV. Part. III. Sect. II. p 340. et 353.*
o) *Nerven-Krankheiten p. 376.*
p) *Vnterricht I. p. 149.*

purpura chronica retropulſis, vlceribus pedum intempeſtiue conſolidatis, originem trahenti.

* * *

Sequatur nunc aſthma, ſpaſmodico-conuulſiuum dictum, quod ab humido et ſicco diſtinguitur, dum his longe grauius eſt, et certis periodis recurrit, aut ſaltem ingraueſcit. In hoc, prae coeteris antiſpaſmodicorum vicibus fungi veſicatoria, quod valde miror, ſcripſit Cl. FORSTEN[q]). Omnis ſpaſmus et conuulſio, ſine reſpectu ad cauſam, leuatur ſtrictas fibras et membranas relaxantibus, emollientibus, et tumultus ſpirituum, vt cum SYDENHAMO loquar, ſedantibus, quorſum volatilia, vaporoſa, ſuaueolentia, graueolentia et praecipue opiata pertinent. Ad horum omnium familiam ſumme irritantia, inflammantia et vrentia veſicatoria minime referri poſſunt. Vix vero etiam merentur laudes antiſpaſmodicorum remediorum, ſi cauſam remoueant, tum enim non agunt in fibras muſculares et neruoſas ipſas, ſed id amovent, quod eas ad ſpaſmodicas ſtricturas ſollicitat, quod fieri interdum poteſt, acre irritans ad exteriora alliciendo, vt modo, occaſione acris podagrici, monui. Vix vero alio reſpectu vllo conuulſiuo aſthmati medentur Veſicatoria. Dantur in vtroque ſexu homines ea delicata partium neruoſarum ſtructura, ea harum ſumma irritabilitate, et mobilitate praediti, vt ab affectu animi, admiſſo frigore, vento, ingeſtis variis, facillime aſthmati ſpaſtico, quin conuulſiuo obnoxii viuant, cum ſtrictura faucium, ac ſi extemplo ſuffocatio immineret. Ingens agmen hypochondriacorum, et hyſtericarum huc pertinet. An autem adeo imprudentem Medicum fingere licet, qui his aegris Veſicantia applicaret? At haec nec aliis miſeris vero aſthmate conuulſiuo tortis conueniunt. Aſthmata vehementia, inquit BAGLIVVS[r]), quandoque in imminens mortis periculum coniiciunt aegrotum; a morte libe-

q) *loco cit.*

r) *operum p. 104.*

rat phlebotomia citiſſime inſtituta, et ſi neceſſitas vrgeat repetita, aut eodem tempore in ambobus brachiis imperata. Qui neruorum affectus data opera explicauit, WHYTT[s]) inſultus veri aſthmatis ſpaſmodici, quod nec in pulmone fixa obſtructio, aut oppletio muci viſcidi comitatur, VSe vel largiore, vel moderatiore, et opio optime tolli memorat, quod et in aſthmate ſpaſtico a ſympathia ventriculi commendat, nullam Veſicantium mentionem iniiciens. Aegram habet Cl. RIDLEY[t]), quae aſthmate conuulſiuo grauiſſimo laborabat. VS. aliquoties ſub paroxyſmo, vrgente ſumma neceſſitate, fuit celebrata, opium multis vicibus circa ſomnum adhibitum cum fructu, quod ſemper paroxyſmum mitiorem reddidit, aut fugauit, nil iuuante veſicatorio amplo, quod poſt primam VSem ſtatim inter ſcapulas applicabatur. Illud vero aſthma erat merus generis neruoſi affectus, in foemina ſexagenaria, gracili, inconcuſſa antea gauiſa valetudine, cui repentinus terror cum vteri ſtrangulatu primam occaſionem dederat. De ipſa medendi methodo RIDLEY in fine obſeruationis ſententiam ſuam patefacit, quam nullis aliis argumentis, niſi quae ab experientia ducuntur, amplexus eſt, *nullis ſcilicet aliis remediis tam facile cedere conuulſiui aſthmatis paroxyſmum, quam vel opio, vel phlebotomiae.* Attamen et rationem bene fundatam addit: dum *illud*, ſpirituum excurſiones, veſicularum pulmonalium contractiones excitantes, inhibet; *hoc* circulationem per vaſa ſanguinea impeditam et inhibitam, ea deplendo, promouet. Sane non aliae rationales indicationes, quam hae duae locum habere poſſunt in medela, tempore vrgentis paroxyſmi, nempe, vt coarctatae per ſpaſmum viae relaxentur, et vt mole mouendorum minuta, iter difficile et impeditum ſanguinis per eas, facilitetur. Ad hos fines autem, neruos irritantia et circulationem incitantia Veſicatoria, quae actioni opii et VSis e diametro contrariantur, nullo modo quadrare, clariſſime patet.

s) *von Nervenkrankheiten p. 372. 373.*

t) *obſervat. de aſthmate et hydrophobia obſ.* 27.

Licet

Licet autem et VS. et Opium, ratione et experientia pro illis militantibus, praecipua et vnica haberi debeant, contra paroxyſmum aſthmatis conuulſiui remedia, expertus tamen ſum, manentibus omnino modo memoratis indicationibus, nec hoc, nec illam, ipſis adaptari potuiſſe. Celſiſſimus Princeps d. H., ab aliquot annis a lauta diaeta, et defectu motus corporis, hypochondriacus, aſthmate ſtomachali et flatulento laborauerat, ob duplicem herniam, et obſtructiones aluinas ſaepe multas moleſtias excludente. Ingens remediorum numerus, ex meo et aliorum conſilio fuerat adhibitus ſine fructu, vitae regimine ſemper eodem manente. Acceſſerant multiplices cauſae, animum perturbantes, affligentes, et deiicientes. Tandem omni compage ſolidorum atonica, omni ſyſtemate neruorum ſumme debilitato et irritabili reddito, aſthmatis inſultus, pituitae quidem viſcidae a mala digeſtione excluſae, natales debebant, attamen et conuulſiui quippiam non raro habere incipiebant, noctu ingraueſcentes, et ſuffocationem minitantes. Aluum laxantia, rhabarbarina, viſceralia, pectoralia, aquae medicatae omnis generis adhibita, et ad ſpaſmos ſtrangulatione facium ſtipatos, hyſtericos referentes, varia antiſpaſmodica, liquor anodynus, galbanum, caſtoreum, aſa foetida, volatilia, ſalia, anodyna in vſum vocabantur. VS. quae intermiſſa haud fuerat, prophylactico et therapeutico ſcopo, vix amplius locum habebat, pulſu paruo et debili exiſtente, habituque corporis in ſtatum cachecticum, cum pedum oedemate abeunte. Mediocrem quantitatem ſanguinis emiſſam, vbi phlebotome poſtulari videbatur, augmentum ſpaſmodicorum motuum, magis quam decrementum inſequebatur, ita vt ipſe aeger hanc euacuationem timeret et deprecaretur. Videbatur Ill. TISSOTO materia arthritica in culpa eſſe, licet Princeps rheumatiſmum grauem in brachio, a ſubita tranſpirationis ſuppreſſione, equidem aliquando paſſus, nunquam podagra aut chiragra laboraſſet. Tanti

Viri conſilium exacte obſeruatum fuerat, rebus in melius haud abeuntibus. Tandem flagitabat a me cum tota Illuſtri familia aeger, vt hiſtoriam malorum, quae patiebatur, ad HAENIVM perſcriberem. Ille, vrgentes ſtricturas ſpaſticas, aſthma inducentes, ante oculos habens, commendabat pilulas ſequentes: R. Gumm. ammon. drachmam vnam, Camph. drachmam dimidiam, Moſchi grana quindecim, laudani puri grana octo, fiant cum balſ. peruuiano pilulae granorum trium. Vna harum ſumatur hora 6 veſpertina, cubitum vero petens ſumat tres, vel quatuor. Si aluum conſtipent, conuenit omni mane ſumere pilularum Rufi grana quindecim, cum granis quinque caſtorei. Magna fiducia ſumebat Optimus Princeps has pilulas, cum forte fortuna ruri ipſi adeſſem, ſed media nocte accerſebar, ad ipſum ſumme anxium, et de tinnitu aurium, de grauitate capitis, de obnubilatione ſenſuum quaſi ebrius eſſet, valde conquerentem. Apoplecticum inſultum timens miſiſſem ſanguinem, ſed aeger ipſe, et eius pulſus, vix fortior et plenior ordinario, contradicebat, igitur, capiti magis aut ſaltem eadem cura ac pectori conſulendum ratus, naribus admouebam acetum deſtillatum, atque acetum ſimplex rubi idaei, quod ad manus erat, cum linteis multiplicibus fronti, et temporibus applicabam, ſimulque balneum pulmonicum ex aqua ſimplici et aceto in vſum vocabam. Ab his remediis pedetentim melius habebat, nulla autem perſuaſione eo adigendus, vt pilulas illas, quibus ſuae naturae contrarium quippiam ineſſe affirmabat, iterum aſſumeret. Ego ſane facile conſentiebam, vt illas ſeponeret, neſciens an Vir ſumme ſenſibilis et vere hyſtericus modicam doſin opii, ipſi adiunctum moſchum, aut vtriusque connubium, perferre haud poſſet. Vixit, generoſis remediis omnibus etiam moderatis doſibus facile laedendus, lenioribus ſemper tractandus, a quibus iuuamen aliquod impetrabat, adhuc per 4 annos,

nos, tandem ſubito apoplecticus valetudinarium vitae curriculum finiuit.

* * *

Multo atrocius autem eorum fatum eſt, qui conuulſiuo aſthmate, hydropem pectoris excluſuro, ab eminente in ſolidis indurationis et calloſitatis vitio, aut polypoſis concretionibus oriundo laborant, his enim nec veſicantia, nec alia remedia opitulantur. Sola infidas inducias quandoque praeſtat VS., quae tamen ſemper ſumma cum circumſpectione inſtitui debet. Virum plethoricum aetatis 33. annorum habet KLAVNIGIVS[u]), horrendo aſthmate conuulſiuo ſubito prehenſum, ab imminente ſuffocationis periculo VSe vindicatum. Attamen varia antiſpaſmodica, hirudines ano admotae, veſicatoria ad ſuras, non impedire potuerunt, quin ſtupendi paroxyſmi quotidie vehementius redirent, ipſa VSe, ad quam tanquam ad ſacram anchoram confugiebatur, nil proficiente. Dum ſuffocati cadauer anatomico cultro ſubiiciebatur, in arteria pulmonali membranaceo-fibroſus polypus inueniebatur. Neque etiam cum Veſicantibus, VS. quicquam boni attulit Electori Palatino, cuius aſthmate conuulſiuo afflicti, a BRVNNERO communicatam hiſtoriam, laudatus KLAVNIGIVS ſuppeditat. Non obſtante binorum horum remediorum adhibitione, paroxyſmi ſemper vehementius redierunt, ad mortem vsque. In corde duo polypi inuenti ſunt, cum ſanguine nigro coagulato. Non video, quomodo eiusmodi aegris veſicantia deſtinari queant. Quando VS. efficit, vt miſerrimae vitae tragoedia diutius protrahatur, impeditum circulum aliquantiſper reſtituendo, et pacatum moderatumque reddendo, abſolute nocere debent veſicantia, illum praeter rem incitando. Neque tuta ſemper VS: a citatis a me Celebribus Medicis laudata, quam nunquam in paroxyſmo inſtituendam vult HOFFMANNVS[v]), quin malum inde fiat deterius et con-

u) *Noſoc. Charit. obſ. 4.*

v) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 305.*

contumacius, neque extra paroxyſmum quicquam proficere, in vllo aſthmatis genere, quam in eo, quod a nimia ſanguinis mole aut craſſitie, coniuncto cordis polypo, vel ab excretionum ſanguinearum ſuppreſſione fouetur, tum ſine praeſeruatorio circa aequinoctia eam decet inſtituere. Et alibi[w]) hoc conſilium ſuppeditat: *Probe tenendum eſt, ne facile aſthmaticis, ſi polypoſi quippiam ſubeſt, vt ex variis ſignis iudicare licet, vena in brachio ſecetur, multo minus, largiori quantitate, nec interrupto flumine ſanguis mittatur. Cor enim coagulo iam infarctum ſanguinis affluxu ſufficiente deſtituitur, igitur facile ex toto ſyſtolen amittit, vt ſyncope lethalis inde emergat.* Apud eiusmodi aegros certe, et aeger et Medicus, in deſperato caſu verſantur. Ni circulatio, per partes vitales inhibita, vtcunque reſtituatur, actum eſt de vita aegri, illa vero vult molem mouendorum per VSem minutam; ſi circulatio, ſecta vena, nimis minuatur, is etiam viuere deſinit; ſique hoc fiat, ſub ipſo effluxu ſanguinis, Medici fama miſere laceratur, hicque trucidaſſe illum non ſatis deliberato conſilio, ſine culpa ſua, reputatur. In his anguſtiis, vt aliis multis, condonandum ipſi eſt, quando tacite, vel alta voce cum LENTILIO ingemiſcit: *O ſi aliam quamcunque artem, quam Medicinam addidiciſſem!* Vanum et inane eſt conſilium RIVERII[x]), quando ſine reſpectu ad ſpeciem aſthmatis, ſi paroxyſmus protrahatur, veſicatorium poſteriori parti ceruicis applicari ſuadet. Vanum eſt promiſſum ETTMVLLERI, quando pro praecauendo recurſu aſthmatis conuulſiui, tale emplaſtrum inſeruire aſſerit. Quam limitata ſit ſalus ab eo expectanda, ex iis quae ediſſerui, luculenter apparet.

w) *Tom. IV. Part. IV. p. 435.*

x) *operum p. 247.*

§. XVII.

Tuſſis.

Deferor ad *Tuſſim* eiusque ſummum gradum, qui tuſſim ſic dictam conuulſiuam abſoluit, quamuis proprie omnis tusſis, etiam leuior, ad conuulſiones pertineat. Haec ſonora, reci-

reciproca, conuulſiua, aëris e pulmonibus per tracheam, et laryngem expreſſio et exploſio, ſpaſmo et conuulſione pulmonis, cellularum eius, bronchialium ductuum, diaphragmatis, muſculorum pectoris et abdominis, abſoluitur. Proxima ergo cauſa tuſſis eſt, ſemper ſtimulus neruos irritans, ſiue is in pectore haereat, ſiue alibi ſedem nactus, organa ſpiritalia per conſenſum neruorum, in motus violentos abripiat. Fundamentalis igitur curatio tuſſis ſemper requirit ablationem ſtimuli, quandoque omnem neruoſam ſyntaxin in conſenſum abripientis; motuumque ſpaſmodico conuulſiuorum nimis exorbitantium, donec ille ablatus ſit, moderationem, talem autem, quae cauſae eliminationem, ſi motibus his obtineri queat, non impediat. Cogitemus nunc, Veſicatoria apud omnes, et eos maxime, qui per naturalem fabricam exquiſitiore ſenſu pollent, nuchae, collo, pone aures, carpis manuum, genubus, poplitibus, ſuris, applicata, irritare neruos, et irritatione agere in totum neruoſum ſyſtema. Et tunc, credo, auſcultabimus HOFFMANNO[a]), vbi totum genus neruoſum vehementibus iam agitatur ſpaſmis, penitus abeſſe debere veſicantia aienti, nil enim certius eſſe, quam quod partes nervoſas ad ſpaſticas ſtricturas magis exſtimulatura ſint, praecipue ſi cauſam tollere nequeant. Superuacaneum autem iam foret, omnes tuſſium ſpecies, cauſarumque varietatem recenſendo, commonſtrare, quod ad remouendas numero multas, minime apta et idonea habeantur. Quis enim tuſſim a plethora, a tuberculis pulmonum, phthiſicam, ſtomachicam, hypochondriacam, pleuriticam, perripneumonicam, cachecticam, ab inſpiratis acribus irritantibus enatam, a mala conformatione pectoris, a grauiditate pendentem, veſicatoriis excipi debere, ſomniaret? Id interea verum eſt, tenuiſſimum acre varii generis, inſidere interdum pertinacius viis ſpiritalibus, easque ſtimulando tuſſim grauem quandoque proritare; huius vnius reſpectu, ſi auelli ſeſe patiatur, applicari poſſunt veſi-

a) *diſſ. de Veſic. §. 15.*

veſicantia, id exteriora verſus auocatura. Certiſſimum eſt effatum *de* GORTER[b]), quando inquit: *Non omnis tuſſis Veſicatoriis curatur, ſed ea ſola, quae fluxu humorum acrium concitatur, nam ſi a larynge ad aliam partem fieri nequit deriuatio, fruſtra attrahens applicatur.* Demonſtrauerat vero antea[c]), non aeque omnibus partibus conſentire laryngem, ſed maxime cruribus, ideoque ad haec loca veſicatoria eſſe applicanda monet. Prorſus eadem ratione HOFFMANNVS[d]) ferinam tuſſim, quae a retropulſis exanthematibus exoritur, indicare dicit materiae peccantis ad ſua loca reuocationem; tunc autem praeter pedum frictiones et pediluuia, nullum praeſtantius ad detrahendum ſerum, eſſe veſicatoriis remedium. Idem valet de metaſtaſi ad pulmones facta, a ſcabie, achoribus, tinea, gutta roſacea, purpura chronica, arthritide et podagra. Quis vero in leuiore, vel et paulo grauiore tuſſi catarrhali, quae vtique cum pituita, ab acri irritante materia prognaſcitur, aliis remediis expugnanda, ſtatim ad veſicantia confugere vellet? Si eiusmodi tuſſis minetur phthiſin, aut huic iam incipienti complicetur, in primo eius ſtadio conſilium exhibet MORTONVS[e]), vt durante aliarum euacuationum, de quibus agit, vſu, ad impetuoſum humorum fluxum a pulmonibus diuertendum, veſicatoria in brachiis, atque in ſcapularum interſtitiis applicentur, quorum proficuum eſſe vſum affirmat. Alii fonticulos ad eundem finem laudant. Quando febris accedit, et calor hecticus, piaculum foret, et hunc et illam, veſicantium vrentium ſtimulo magis accendere. In conſultationibus BOERHAAVIANIS[f]) foemina habetur, quae a morbillis febre hectica laborabat, huic fere ſanatae, tuſſis ſicca, thoracis dolor, purisque identidem expectoratio ſucceſſit. Ob rheumatiſmum, quem a refrigeratione ſubitanea corporis antea calefacti deducit, magis forte, quam ob tuſſim, conſuluit veſicatorium, inter ſcapulas tribus menſibus ſucceſſiuis, repetendum, per 12 horas relinquendum, deinde

b) *Med. dogm. de Tuſſi p. 218.*

c) *§. 34.*

d) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 389.*

e) *Phthiſiol. lib. II. c. 8.*

f) *I. No. 24.*

aperta

aperta Veſica, cito ſanandum. Datur adhuc tuſſis, qua muci inertis viſcidi, ad pulmones depoſiti, mira quantitas eiicitur, ſed nec haec proprie veſicatoria ſibi depoſcit, potius attenuantia, ſaponacea, purgantia, diuretica, niſi ſumma moles pulmones grauet, aut expectoratione ex quacunque cauſa inhibita et inſufficiente, aſthma pituitoſum inde naſcatur tuſſique iungatur. Talis tuſſis ſaepe a languida digeſtione ſuſtentatur, huiusque reſtitutionem praecipue deſiderat. Quodſi tota humorum maſſa ſcorbutica, hydropica, aut alia acrimonia ſcateat, facile intelligitur, vniuerſalem correctionem inſtituendam, liquidisque blandam naturalem craſin reſtituendam eſſe, cum paruula acrimoniae euacuatio nil prodeſſe queat. Neque vnquam conuenit veſicans, ſi tuſſi febris ſociata fuerit, ab inflammatione, vel a materia acri intus latente, oriunda, quia hoc febrem magis incitaret. Quando ipſa febre id acre qualecunque ad cutim depoſitum fuit, tuſſis ſponte mitigatur et ceſſat.

§. XVIII.

An infantibus conferunt Veſicantia?

Iam non inutilem habeo ſeriam inquiſitionem, cum Veſicatoria manifeſte in totum neruoſum genus agant, tantoque fortius, quo magis id irritabile eſt et ſenſibile, an, quando morbi natura eorum applicationem requirit, tuto etiam apud infantes, et puſiones adhiberi queant? Non deſunt Clari in arte Viri, qui ſine metu, et tergiuerſatione in caſibus illorum vſum requirentibus, ad eundem confugiunt. RIVERIVS[a]) adeo tenellulis, qui ſemel epilepſia correpti ſunt, cauſticum occipitio inurere vtiliſſimum habet, ad RONDELETIVM et FABRICIVM ab AQVAPENDENTE prouocans, quanquam antea veſicatorium ceruici imponendum commendaſſet. Non autem adeo ruditer agendum conſulunt, cum delicatulis tenerorum puſionum corpuſculis, alii Medici. Interim magnus Veſicantium Patronus, Amicus meus Antagoniſta, Clar.

a) *Operum p. 179.*

AEPLI, vt ſecuritatem et innocentiam veſicantium, etiam apud infantes, probet[b]), citat Obſeruationem[c]), per quam conſtat, WEPFERVM cum BRVNNERO et CAMERARIO, tres ſeptimanas nati Principis nuchae, veſicatorium impoſuiſſe. Neque deſunt aliorum Celeberrimorum Virorum Auctoritates. *Quodſi infans quiſpiam*, inquit WILLISIVS[d]), *conuulſionibus actu afficiatur, quia fontanella minus et tarde operatur, veſicatorium in nucha, atque vtramque aurem, applicari expedit, et niſi temperamentum frigidius obſtet, ſanguis hirudinum ſuctu venis iugularibus extrahatur.* Mirum dictu, quod tantus Vir vniuerſalem hanc regulam ſtabilire non dubitet. Nemo enim doctorum Medicorum non intelligit, cauſas infantibus conuulſiones inducentes eſſe multiplices, quae multiplici ratione remouendae ſunt, vt motus praternaturales ſileant, quos ſane directe irritantia et excitantia veſicatoria haud pacant. Magis autem miror, WILLISIVM[e]), adeo in Conuulſionibus a dentitione difficili, commendare Veſicatoria, quia ſerum in caput nimis ſuffundi aptum euacuant, ſimulque aſſerere, quod ſaepe iuuamen conferant. Vereor valde, ne ſaliuae copioſior affluxus dentientibus familiaris, potius copioſius attrahatur, quam diuertatur et euacuetur. Vereor valde, ne inflammante ſuo ſtimulo et dolori, quem infert dens erupturus, inflammationique gingiuarum, ſuppetias ferant. Laudo interim Clarum Virum, quod, dum conuulſionum propter lumbricos, et propter acres humores, in Ventriculo et inteſtinis ſtabulantes, exorientium, mentionem facit, et medelam tradit, de Veſicantibus taceat. Celeberrimus HOFFMANNVS equidem puſiones non arcet ab applicatione Veſicantium, tamen eorum vſum exacte determinat, ac tantum ablationi cauſarum accommodat, quando in Epilepſia ex retroceſſione ſcabiei, vel tineae capitis, aut aliorum exanthematum veſicatorium, non ſine fructu in nucha applicatum fuiſſe, experientia repetita ſe didiciſſe refert[f]). Pariter Cel.

b) *Prüfung d. ſpaniſchen Fliege p. 27.*

c) *Wepfer de morb. Capitis obſ. 113.*

d) *de morbis conuulſ. c. IV. p. 39.*

e) *loc. cit.*

f) *diſſert. de morb. Infantum p. 16. et in Med. Syſt. Supplemento p. 60.*

HVXHAM[g]), *Puerulis,* inquit, *diſtentione neruorum laborantibus, vbi vlcuſcula deſudantia pone aures deſiccantur, ſubito veſicantia applicata humores iterum extrahunt, morbumque diſcutiunt protinus.* In praeſcriptione eorum ſapiens et cautus Ill. *van* SWIETEN[h]) infantibus, ex hac cauſa epilepticis, toti capiti raſo applicat emplaſtrum, ex ſeptem partibus emplaſtri de meliloto, et parte vna emplaſtri Veſicatorii, compoſitum, quod optimum remedii genus dicit, et citiſſime iuuare. Ita quoque infantibus, conuulſiua et ſuffocatiua tuſſi laborantibus, incantamenti inſtar prodeſſe affirmat HOFFMANNVS[i]), ſi magnitudine groſſi maiuſculi nuchae imponatur veſicans, dum materiem a bronchiis ad ſuperficiem corporis auocat. In tali caſu Veſicatoria etiam ſuadet WILLIS[k]), pone aures, aut brachiis applicata, vbi de tuſſi puerorum agit, atque Ill. WERLHOFIVS[l]). Nunquam interea ego, ſequens Cl. Anglum LETTSON[m]), quia infantes, hoc morbo extincti, plerumque internam thoracis ſuperficiem, et pleuram inflammatam exhibent, hoc reſpectu pectori veſicans admouerem, quid enim de minus prudente hoc tentamine ſana ratio dictitet, ſectione I. cum de pleuritide agerem, clariſſime commonſtraui. Multo minus cum *Burtono*, temerario auſu cantharibus interne exhibitis, tuſſim Puerorum oppugnarem. Bona deliberatione praeuia, tum ſaltem in hoc morbo locum habere poteſt topicum irritans, quando per ſtimulum tenuiſſima materia acris extrorſum inuitanda eſt, vix aliter. Sane in illa Puerorum conuulſiua tuſſi, adeo effera, vt ſuffocationem minetur, quando viſcida et pituitoſa ſaburra, in pulmonibus et ventriculo ſtabulatur, licet tenuis acrimonia ipſi immiſta ſit, a veſicantibus nulla ſalus. Cl. BASSEVILLE[n]) hanc clangoſam Puerorum tuſſim optime emetico curari ſcribit, ad varios Autores prouocans, et Kermes minerale commendans. Non minus Cl. FORBES[o]) in tali tuſſi, cum niſus vomendi ſemper adſit, poſt VSem, dat emeticum et purgans. RIDLEY[p]) apud Puellam

g) *Operum Tom. I. p. 171.*
h) *Comment. Tom. III. p. 434.*
i) *diſſ. de tuſſi conuulſiua §. 32.*
k) *Pharmacent. ration. Part. II. Sect. I. c. 6.*
l) *Comm. litt. Norimb. 1733. hebd. 22.*
m) *vid. Forſten p. 227.*
n) *in diſſ. Ergo tuſſi Puerorum clamoſae emeticum. Pariſ. 1752.*
o) *in diſſ. edinburg. de tuſſi conuulſiua. Habentur ambae in Coll. diſſ. Halleri.*
p) *obſ. 20.*

iam 6. annorum, poſt VSem et pulueres abſorbentes, tuſſi ſuffocatiua, *Hooping Couph*, laborantem, veſicatoriis vſus eſt, et reuera, vt dicit, non absque euentu felici, praecipue, durante ichoris profuſione, non autem diutius, quae tamen repetita fuiſſent, aliis in locis, modo non obſtetiſſet paruulae peruicacia, vel potius lenitas parentum intempeſtiua. Confugit ergo ad emeticum, quo dato, immenſa phlegmatis viſcidi copia eliminata, mitiore facta tuſſi. Hac autem ferociam ſuam reſumente, emeticum repetitum, eademque operatione ſequente, elanguit quotidie tuſſis, et aegra ſanitati priſtinae fuit reſtituta. Nemo, credo, hic non videt, praerogatiuam emetici, prae veſicante, quod quidem tenue acre ſerum, ſed tantam quantitatem muci viſcidi, cuius eliminatione ad ſanationem opus erat, multis vicibus applicatum non euocaſſet. Cel. HOFFMANNVS[q]), graſſante Berolini epidemice, inter Pueros tuſſi conuulſiua, mixturam exhibuit, tartarum emeticum continentem, a qua ſecutus vomitus, cum praeſentaneo leuamine, expectoratio etiam facilior reddita. Sane Cel. HVXHAM[r]) Tuſſin ſaeuiſſimam apud pueros vix ſedari dicit, niſi poſt Vomitus frequentes, et repetitas rhabarbari doſes, deinde dato decocto Corticis peruuiani. Et alibi[s]), vbi pleniorem curationem Pertuſſis puerorum habet, poſt VSem, ſi febricula adſit, et facies inter tuſſiendum fere nigreſcat, etiam repetitam, exhibet Vomitorium, *Tuſſis enim*, inquit, *ſaltem partim eſt a ſtomacho, vt monuit olim Waldſchmidt, nam vix vnquam ceſſat tuſſis conuulſiuae paroxyſmus, antequam irritans pituita tenax vomitu reiicitur*, dat deinde purgans, et tandem corticem peruuianum. Si humor admodum acris in laryngem et pulmones deſtillet, eum oportet auocare admoto ceruici epiſpaſtico. Methodus Cel. ROSEN[t]) abſoluitur praemiſſa, ſi opus, VSe, vomitorio, clyſmatibus, cortice peruuiano. CLOSSIVS[v]) in eiusmodi tuſſi dedit in puluenbus ſulphuris antimonii aurati granum dimidium, tertia

q) *Med. Syſt. Tom IV. Part. III. p. 413.*

r) *Opeum Tom I. p. 219. 220.*

s) *Tom. I. p. 99.*

t) *Kinderkrankheiten cap. 19.*

v) *in Tr. ſtatu, de Variolis ſubiunctis obſeruationibus No. 28.*

tia quauis hora, cum fructu. His tuſſis ſenſim mitior reddita, iterato remedii vſu plane conticuit, ſine emeſi adeo et catharſi. Ego multoties paruulis doſibus radicis ipecacuanhae, interpoſito Elixirio aperitiuo Clauderi, tandem ſubiuncto decocto corticis peruuiani, vehementiſſimas tuſſes conuulſiuas ſanaui.

Conficitur ex hactenus dictis, dari affectus infantum, qui veſicatoria admittunt et interdum poſcunt, eos tamen etiam ſine illis ſaepe eſſe curabiles. Quodſi igitur iis carere poſſit artifex, nullaque neceſſitas applicationem vrgeat, melius omnino facit, quando aliis remediis rite formatas indicationes explet. Nil dicam de moroſitate puerorum, neque de officio Medici, ſi fieri queat, ſenſibilibus infantibus, moleſta et doloroſa methodo euitata, parcendi. Id tantum vrgeo, non deeſſe Claros Viros, qui innocentiam et ſecuritatem veſicantium, in teneriore aetatae, palam aſſerere haud audeant. Non ſane ab iis abhorret RIDLINVS [x]), potius duas puellas memorans, quae eadem ſatis commode tulerint, adiicit autem vltro, non vna ratione eadem omnes ferre, cum aliis contra tantas creent moleſtias, vt ſemel in vſum ductis, licet poſtea vel maxime opus habuerint, vt tamen iterent, nullo modo perſuaderi poſſint, quod aliquoties iam obſeruaverit. Puerum deinde ſiſtit 15. annorum epilepticum, cui ab applicatione tantus ſubortus fuit dolor, vt non ſolum omnem proſtrauerit appetitum, verum et vigilias continuas, ac convulſionum metum, haud prorſus inanem, adſtantibus induxerit. *Gerhardus* COLVMBA de febre peſtilenti, qui in febribus malignis vſum veſicantium valde laudat, tamen ea apud infantes et pueros prorſus diſſuadet, quia ob dolorem facile connuulſionibus ſubiiciantur. Triſtem euentum in puella 6. annorum a veſicatorio nuchae admoto, refert HÜNER-

x) *lin. med. 1697. p. 865.*

NERWOLFF[y]). Ipſe WHYTT[z]), fautor Veſicantium, dum de medela quarundam conuulſionum epilepticarum verba facit, et Veſicatoria optimum remedium nominat, tamen ſine reſpectu ad infantes, nam de adultis loquitur, quia homines dentur, tenerrimis et ſumme ſenſibilibus neruis praediti, praeſtare dicit alia remedia adhibere, quam haec emplaſtra, quia interdum ob vehementem dolorem noxas inferant. IVNCKERVS[a]), dum de Veſicantium vſu in opthalmia agit, monet ſimul, ne in teneriori aetate imponantur. Ego in puerulo nondum annum nato, cuius regioni Ventriculi, loco emplaſtri ſtomachici, veſicatorium applicatum fuerat, cumque faſcia firmatum, per 8. horas, dolores, clamores, iectigationes, vomitus, conuulſiones obſeruaui, quae mala emulſione oleoſa, oleo per clyſterem iniecto, et emplaſtro ſaturnino leuabantur. Quam parum veſicatoriis in tenellis fidat *van* SWIETEN, adeo vbi vere indicantur, larga miſcela cum emplaſtro de meliloto ſatis oſtendit. Neque vnquam HOFFMANNVS alio, quam emplaſtro ſuo veſicatorio temperato vſus eſt. Semper metuendum eſt, ne, quod adultis ſat ſaepe euenit, tenellis in viis vrinariis dira incommoda ſuſcitentur, quando corporibus ipſorum ſenſibilibus applicantur Veſicantia.

y) *Ephem. Nat. Cur. dec. II. Anno VII. obſ. 86.*

z) *von Nervenkrankheiten p. 349.*

a) *Conſp. Med. p. 210. Tab. 24.*

Ex hiſce conſiderationibus, quae pro vſu Veſicantium apud infantes et militant, et eidem contradicunt, niſi omnia me fallunt, emergit ſerium ad omnes Medicos practicos pertinens monitum, vt, quando in eo ſunt, vt Veſicatorium conſulant, probe inuicem conferant veram cauſam morbi, id prae aliis remediis neceſſario expoſcentem, cum fabrica corporis, vel teneriore, vel paulo firmiore, aetateque modo parum a natiuitate remota, modo paulo magis prouecta infantis. Si hoc fecerint, nunquam ſine ſontica ratione, leues et veloces, ad hoc heroicum topicum confugient. Aegre a me impetro,

vt

vt illam medendi methodum, quam Clariſſimi Viri WEPFERVS, CAMERARIVS et BRVNNERVS neonato cuidam Principi deſtinarunt, ex quo Cel. AEPLI argumentum innocentiae operationis gratis deſumit, cenſurae meae ſubiiciam. Non tamen, opinor, peccauero in Venerabiles tantorum Virorum Manes, ſi vni veritati litans, iudicium meum ſincerum ſubminiſtrem, ingenuusque confitear, illos multum auſos fuiſſe, praeterque omnem rationem et neceſſitatem, paruulo dolores et moleſtias veſicante emplaſtro intuliſſe, iamque ab aliis cauſis, quam ſibi fingebant, praeſentes, praeter rem auxiſſe. Totus macilentus hanc lucem viderat Princeps, abdomine interim tumido et inflato, mammas auide apprehendit, indies robuſtior factus. Plures flatus indies emiſit, excrementa vtplurimum viridia, quandoque flaua, acidum ſemper ſpirantia, grumoſa erant. Accepit puluerem abſorbentem, cum gemmis, et propter tormina et ventris inflationem oleum amygdalarum dulcium et clyſma. Paulo poſt laborauit coryza, ſternutatione et oculorum circumgyratione, vt nil niſi album oculi appareret. Debuiſſent, credo, tres illi celeberrimi Medici, cum Archiatro, conuinci, conuulſiuos hos motus, qui non facile a coryza oriuntur, fundamentum ſuum habere in primis viis, ibidemque ſtabulante acri acido irritante. Verum credebant, ſerum acre iuxta principia neruorum ſtagnare, igitur ceruici admouebatur veſicatorium. Quodſi haec ſententia vera fuiſſet, conueniebat magis, ſeri eliminationem per coryzam promouere, fomentationibus ex aqua et lacte calidis; ſique nimius affluxus erat, determinandus erat per congrua laxantia ad aluum, quibus ſimul ſordes acidae caſeoſae ex inteſtinis eliminatae fuiſſent. Poſt 6. horas naſcebatur veſica, ex qua multum acris ichoris effluxit, quem deguſtans Chirurgus Aulae, tantae acrimoniae eſſe aſſerebat, vt hora elapſa illam adhuc in lingua ſentiret. An autem ſerum, quod cantharides eliciunt, ſale earum cauſtico

ſtico inſectum, aliud eſſe poteſt, quam acre? Interea videbatur Princeps ſe melius habere, ſed tormina continuo durabant, quare denuo iniiciebatur clyſter, vnde quater, bilioſa, flaua, viridia, grumoſa et mucoſa, acidum ſpirantia excreuit, cum leuamine. Veſicatorii fluxu ceſſante, Chirurgus ſpontaneo motu, tantillum emplaſtri veſicatorii, cum emplaſtro de meliloto mixti impoſuit parti laeſae, vnde Princeps mane paulo inquietior fuit redditus. Repetitus fuit clyſter, qui multa excrementa fudit: Accitus WEPFERVS inueniebat abdomen tenſum et tumens, reſpiratio erat difficilis, puerulus inquietus, flatus emittebat; dabatur oleum amygdalarum, puluis ex ſpermate Ceti et radice ireos fl., iniiciebatur clyſter, et poſt aures applicabantur veſicantia. Interea res non in melius mutabantur. Anxia Sereniſſima Mater ob inflatum abdomen, reſpirationem anxiam, diſtorſiones oculorum, faeces acidum ſpirantes, denuo deſiderabat conſilium. Non ſatis mirari poſſum tantos Viros WEPFERVM et BRVNNERVM non introſpexiſſe, acidum in inteſtinis, quod in ſenſus incurrebat, haec rodere et irritare, et cum ipſis totum genus nervoſum, maluiſſe potius ſtatuere, quia in alius infantis Principis cerebro, antea demortui multum aquae fuerat inuentum (quod magis forte pro cauſa mortis, quam pro cauſa morbi erat habendum), eiuſmodi ſerum acre ibidem praeſens eſſe, quod par vagum et neruum intercoſtalem irritaret, functiones inteſtinorum turbaret, flatus crearet, faeces corrumperet, tormina induceret, diaphragmatis motum inhiberet, et prodromos conuulſionum accerſeret. Interim tamen ſat doctus et peritus erat WEPFERVS, vt introſpiceret, corruptum in Ventriculo et inteſtinis lac, quod caſeoſa, viridia et acidum ſpirantia excrementa aperte commonſtrabant, flatus et tormina cauſari, eapropter duplicem morbi cauſam ſubeſſe ſtatuebat. Igitur abdomini vnguentum emolliens applicabatur, dabatur oleum amygd. cum ſpermate Ceti, puluis marchionis cum cinnabari, puluis ſolaris, cucupha ex goſſypio cum te-

ſtis

ſtis cochlearum imponebatur capiti, veſicatoria brachiis applicabantur, ne fiat inquietus. (Bone DEVS, quis crederet haec omnia quieti conciliandae potuiſſe fauere.) An Princeps poſt adhibita haec remedia aegrotare et viuere perrexerit, an ſanitate gauiſus ſit, an mortuus ſit, de his omnibus nil legitur. Si omnes tres citati magni Medici, cum Archiatro HAERLINO, egiſſent cum Principe, ſecundum praecepta *Gualteri* HARRIS *de morbis acutis infantum*, et BOERHAAVII aphoriſmos; ſi dediſſent largius abſorbentia, cum ſapone veneto, rheo, manna, cum aquis aromaticis carminatiuis, loco tot inutilium et fatuorum remediorum; ſi adhibuiſſent cum clyſmatibus balnea, et vnguenta externa, prorſus abeſſe poterant, quae ad morbum nil faciebant, veſicatoria. Si inter viuos remanſit paruulus Princeps, naturae magis quam artis ope, vtique aſſeri poteſt, veſicatoria non nocuiſſe, ſed nulla ratione poterant prodeſſe, et bona fortuna noxas tenellulo corpori non intulerunt. Perpetua ſuctio lactis cauit, quod moleſtiae in viis vrinariis aliis non adderentur. Sane totus hic caſus, inſcribi mereretur vaſto Volumini, quod de erroribus Magnorum Virorum facile conſcribi poſſe, aſſerit Ill. TISSOT.

§. XIX.

De Cortice Mezerei nonnulla.

Innotuit ab aliquot annis, collaudante eum publico ſcripto, *le* ROY, *cortex Mezerei* eiusque vſus externus, quo applicato, largiſſimus ſeri effluxus proritari poteſt. Natura hominis, et ſi vnquam, noſtro ſane aeuo, natura medentum nouitatis auida, dum ſaepe ſine omni examine et attentione, ab iis noua quaeuis remedia arripiuntur, et in vſum deducuntur. Euacuationi et reuulſioni hic cortex inſeruire poſſe videtur, vt Veſicantia, ſed pulſum is accelerare debet iritatione doloroſa, non minus, ac haec. Si craſin humorum intactam relinqueret, neque particulis ſuis, quae ſeſe maſſae eorum inſinuare poterant, eandem haud deprauaret,

 et

et corrumperet, primo intuitu praerogatiuam mereri veroſimile euadere poterat, ſed ſi hoc vitio etiam non laboret, tamen bene multis aliis laborat. Inter *ſpecimina medica* egregia, quae edidit Cl. ENGEL, primum agit *de vſu huius corticis*. Recenſet Doctiſſimus Vir aliquot caſus, in quibus plus praeſtitit quam Veſicantia, ſed aequus et ſincerus, viſas per experientiam magnas difficultates candide exponit. Aliquas propriis ipſius verbis adducam. Dantur homines, quorum temperamento et conſtitutioni inimicus eſt, nimiam tum iacturam ſeri inducit, quae ſanitatem peſſundare poſſet, maxime calida aeſtate[a]). Dolores licet non adeo duri ſint, quam a cantharidibus, diuturna tamen duratione vexant[b]). Adeo natura ſua quibusdam corporibus aduerſus eſt, vt nulla circumſpectione mala, quae patrat, euitari queant[c]). Cutim profunde exedendo et ei pertinaciter adhaerendo, ad cruentam vsque ſeparationem, totius brachii tumorem, dolorem, inflammationem poſt ſe trahit, quam abſceſſus interdum inſequitur, id quod Cl. ENGEL aliquot exemplis probat[d]). Nemo eorum, quos cortex adeo infeſtauit, nimia eius quantitate vſi ſunt, vel vnquam a veſicatoriis aliquid inſoliti fuere experti[e]). Tandem, quando operatur, cruda cutis, conſumta epidermide, diutius roditur[f]). Maturum ab eo auxilium expectari nequit, cum ad exſerendas ſuas vires cortex plus ſibi dierum poſtulet, quam veſicantia horarum, quae ergo praeferenda, quoties ſtimulus potentior, et citior requiritur[g]). Felicior eſt vſus Mezerei in chronicis affectionibus, quam veſicatoria et fonticuli, attamen et quaedam in chronicis morbis exceptio admittenda, vbi Veſicatorium praeferri fas eſt[h]). Ex his, quae vberius explicata legi merentur apud ipſum Auctorem, facile eluceſcit, licet ille paſſim partes corticis tueri conetur, vix ſperari poſſe, vt eius vſus aetatem ferat, atque veſicantium applicationem ſuſpendat, aut minus frequentem in praxi medica efficiat, locum eorum occupaturus.

a) *p.* 13.
b) *p.* 14.
c) *p.* 15.
d) *p.* 16. 17.
e) *p.* 18.
f) *ibid.*
g) *p.* 21.
h) *p.* 22.

ADDENDA.

ADDENDA.

In fine p. 143. Sectionis prioris et in fine ſi. adiiciantur ſequentia.

Nondum autem abitum parare Veſicantia, a curatione febrium acutarum, inflammatoriarum, ſed in illa ſeruari, et magni haberi video, in nuper edita *Praxi londinenſi* Autore Cl. LEVISON[a]). Non ſine admiratione legi, neque ſine dolore, *praemiſſa*, quidem, *ſi pulſus plenus, VSe, in febribus inflammatoriis, prima remedia primis diebus* (vbi ſummus motuum adeſt impetus) *declarari emetica* (p. 32.) (quae tamen cum bonis aegrorum rebus abeſſe poſſunt et debent, vt eleganter et docte monuit Practicus ſummus *Antonius de* HAEN[b]). Sed emetica ad me iam non ſpectant verum tantum Veſicantia). Haec laudantur *in comate et conuulſionibus febrium*, (p. 40.) *in quibus tamen ob irritationem* (ad quam alibi vix attenditur) *ſaepe morbum augere dicuntur. In malignis putridis, locus ipſis tantum in ſummo caſu neceſſitatis conceditur. In phrenitide veſicantia brachiis et pedibus applicanda praeſcribuntur, in caſu deſperato toti capiti p. 105.* (et tamen ſimul VSes, clyſmata pro reuulſione cum refrigerantibus remediis). *In Ophthalmia pag. 107. in Angina inflammatoria, in ceruice et quamproxime ad loca affecta p. 113.* (in maligna quod miror, nulla eorum mentio *p. 115. 116.*) *in inflammatione ventriculi, regioni ventriculi p. 118. in hepatitide dextro hypochondrio (p. 126.)* (in nephritide tamen omittuntur) *in Phlegmone cataplaſmata emollientia et tamen etiam Veſicatoria (p. 134.) in eryſipelate faciei, maxime ſi pulſus paruus, circa collum, vel intra humeros, in pleuritide, lateri affecto ſtatim in principio*, tamen, quod mirum, cum cautela, *ſi ſymptomata poſt ſecundam VSem non minuan-*

a) *Beſchreibung von der Londenſchen Praxi den deutſch. Aerzten vorgelegt von Leviſon Berlin und Stettin 1782.*

b) *Rat. med. Part. I. c. 2.*

minuantur p. 154. etc. etc. Ego quidem non inuideo aegris, his morbis affectis, inde natum emolumentum. Nondum tamen moueor, vt reuocem ea, quae de noxa manifeſta Veſicantium, in curatione febrium acutarum, inflammatoriarum, ſymptomatumque earundem expoſui, multaque cum voluptate animaduerto fidiſſimum olim Praeceptorem PLATNERVM nil dare veſicantibus in febribus acutis, inflammatoriis et earum ſymptomatibus, atque ſpeciatim delirio febrili alienas cantharides habere[c]).

c) *in Arte medendi §. 88.*

* * *

P. 153. lin. 26. 27. 28. adiiciantur ſequentia: Acquiſiui tandem diſſertationem Cl. COSTENBADERI *de abuſu Veſicantium in febribus malignis*[d]). Febrium malignitatem, annuentibus Praeſtantiſſimis Medicis, recte deducit a fomite putrido. Taxat illos iure, qui ob vrgentia ſymptomata, proſtrationem Virium et delirium, confugiunt ad Veſicatoria. *Occurratur cauſae*, inquit, *antiſepticis*, *infringatur putredo, et virium proſtratio ceſſabit. Quaenam remedia maiori vi vires naturae excitante pollent*, *quam cortex peruuianus*, *camphora et acida?* Quoad delirium, quod plerumque ſtuporem excipit, COSTENBADER notat iure Cl. PRINGLE, qui, quando delirium ſtuporem ſequitur, Veſicantia maximopere commendat. Recte ipſum contradictionis arguit. Scilicet Cel. Vir, vbi deliria vrgent, oculi feroces ſunt, ob imminentis phrenitidis metum, veſicatoria adhibet, qui tamen paulo poſt, vt et pag. 280. dicit, in ſtatu deliro, nec calida medicamenta cardiaca, nec vinum conducere. Non videt Cl. COSTENBADER, qua ratione PRINGLIVS veſicantia, ex calidorum claſſe excipere poſſit, cum tota ſua ſubſtantia, cantharides admiſtae, humoribus, parte reſinoſa acri, quin ignea, calidum, aeque ac vinum, conſtituant medicamentum, ſimul autem naturam turbent. Patere hinc inquit, Medicos, dum ſymptomatici fiunt, cau-

d) *habita eſt Lugd. Batav. 1769.*

ſam

ſam morbi intactam relinquere, quin potius augere. Claudit tandem Doctiſſimus COSTENBADER: *Veſicantia, in febribus malignis adhibita, nulli ſane indicationi reſpondent, quin idem eſt, ac ſi ardenti detento praeberes muriam. Sola indicatio ſymptomatica, naturae Vires eſſe ſuſcitandas, falſo anſam dedit indicato, cuius vires non rite perpenſae ſunt. Ignorantia, Philavtia, plurimum Veſicantibus fauere videtur. Ipſemet vidi caſus, et a Medicis prudentioribus nullis praeiudiciis captis audiui, Veſicantia votis, vbi fuſio ſit humorum, nunquam reſpondiſſe. Cum igitur alii offerantur modi et faciliores, et tutiores, quibus indicationibus ſatisfacere putredini reſiſtere, et naturam adiuuare poſſumus, merito medico religioſo a Veſicantibus abſtinendum eſt.* Prouocat deinde ad Celeb. PLATNERVM, de cuius, vt COSTENBADERI calculo mihi adiecto, gaudeo impenſe. *Cantharides* ſcribit Vir Eximius[e]), *proficiunt, ſi nulla febris, et nulla ex febre maligna metuenda ſanguinis reſolutio.*

e) *Art. medendi §. 373.*

⁂

Pag 176. lin. 19. poſt *obſcurat* adiiciatur. Quamuis Praxis Londinenſis Veſicantibus multum, et ſine dubio nimium faueat, tamen de eorum adhibitione in febribus malignis ſic loquitur Cl. LEVISON[f]): *Veſicantia non niſi in extremo caſu neceſſitatis locum habent, quia mali moris vlceribus naſcendi occaſionem ſuppeditant, vt ex aliorum, et meis experientiis edoctus ſum. Quando ſtupor et delirium adeſt, meliora ſunt cataplaſmata, cum ſemine ſin. pi.*

f) *p. 49. 50.*

⁂

In *Sectione poſteriore* ad §um. III. quo de Apoplexia ſanguinea egi, addi velim ſequentia: *Praxis medica Londinenſis*[g]) in Apoplexia ſanguinea, omnia remedia ſollicite commendat, quae ſanguinem a capite reuellunt, et cauendum vult, ab

g) *Part. II. p. 16. 17.*

omnibus, quae denuo et magna copia ipſum eo propellere poſſent. Igitur VSes in iugulo, occipite, et pedibus praeſcribit; prohibet vomitoria, quia ſanguinem ad caput vrgent, et vaſa iam turgida diſponunt, vt rumpantur et ſic mors eueniat. Declarat omnia calefacientia, et volatilia noxia; et tamen veſicatoria humeris, et pedibus applicari ſuadet. Nonne autem haec annumeranda remediis calidiſſimis? nonne ſtimulo ſuo incitant circuitum ſanguinis, atque vt hic verſus caput propellatur, efficiunt? Magnum olim decus Medicorum Londinenſium et Edimburgenſium, *Iohannes* HVXHAM [h]), maximam differentiam inter apoplexiam ſanguineam et pituitoſam rectiſſime ponere Medicos, affirmat; quae haud minor videatur, quam inter febrem inflammatoriam, et lentam neruoſam. *Prior*, ait, *ſemper comitem habet circulum ſanguinis rapidum valde et fortem; magnum hinc eius attritum, ac vehementem calorem; vrinam quoque impenſe rubram* etc. *In pituitoſa vis ſolidorum eſt debilitata, pulſus languidus, nec acris vnquam calor, tenuis vrina, fractae naturae vires, et inualida humorum agitatio.* Nunc ſi in febre neruoſa veſicatoria indicantur, vt de hac febre agens notat HVXHAM, impoſſibile eſt, vt indicentur in febre inflammatoria; ſi in illa iuuent, in hac neceſſario debent nocere. Idem valet de Apoplexia ſanguinea et pituitoſa. In hac iis omnino opus eſt, in illa abſolute debent abeſſe, vt noxia, dum omnibus indicationibus veris et genuinis ſunt oppoſita. Perpetuae veritatis eſt Axioma practicum: *Contraria contrariis tolluntur, ſimilia ſimilibus conſeruantur.*

h) *Operum I. p. 166.*

ERRATA.

pag. 2 lin. 26 pro diſgreguntur, lege diſgregantur, et in Margine Bagliv. p. 655.
pag. 4 lin. 6 pro vnum, lege vnam.
pag. 5 lin. 21 pro pronas, lege prona.
pag. 7 lin. 8 pro numeroſus, lege numeroſas.
pag. 9 lin. 15 pro elegantiſſimum, lege elegantiſſimam.
pag. 10 lin. 6 pro quod id, lege id quod.
lin. 17 pro et, lege ex.
lin. 19 pro VS., lege VSi.
lin. 27 pro acerbatam, lege exacerbatam.
pag. 16 lin. 23 pro clauam, lege clauum.
pag. 17 lin. 28 pro errhini, lege errhinum.
pag. 29 lin. 18 pro tenuis, lege celerior.
pag. 30 lin. 19 pro ſuperent, lege ſaperent.
pag. 32 lin. 15 pro ſuffocati, lege ſtrangulati.
pag. 52 lin. 5 deleatur at.
pag. 59 lin. 15 pro eodem, lege eadem.
lin. 16 pro hoc, lege hac.
lin. 20 pro eo, lege ea.
pag. 64 lin. 16 poſt vrgetur adde, facile conſtabit.
lin. vlt. pro ſpinali medullae, lege ſpinae dorſi.
pag. 71 lin. 25 deleatur oeſtri.
pag. 75 lin. 6 pro canificinam, lege carnificinam.
pag. 77 lin. 7 pro dimotionem, lege dimotio.
pag. 85 lin. 16 pro reſorptiae, lege reſorptae.
pag. 88 lin. 22 deleatur et.
pag. 90 lin. 8 pro humectis, lege humidis.
pag. 99 lin. 21 poſt *at vero* lege *ad*, et pro praemittendam, lege praecavendam.
lin. vltima poſt concedit, lege fiat.
pag. 100 lin. 24 pro papilla, lege pupilla.
pag. 108 lin. antep. pro redditam, lege redditum.
pag. 115 lin. 2 pro quando, lege tum.

Reliquarum plagulorum errata, quia illas a Typographo remotus non vidi, benevoli Lectores ipſi corrigent, mihique non tribuent.

Cn. 18